

100

+

100

100

12013

Z BIBLIOTEK
SENIOR
A. B. B. B.

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
DOGMATICO-SCHOLASTICO-
MORALES,

QUAS

IN UNIVERSITATE TYRNAVIENSI
AUDITORIBUS SUIS EXPLANAVIT

R. P. NICOLAUS SCHMITTH, e Soc. JESU, SS. Theologiae
Doctor, & Professor Publicus,

NUNC

NOMINATÆ UNIVERSITATIS
CANCELLARIUS

TRACTATUS
DE DIVINA GRATIA.

EDITIO ALTERA.



TYRNAVIÆ

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU,
ANNO MDCCLXXII.

INSTITUTIONES

12013

THEOLOGICÆ

DOGMATICO-CRISTICO



MORALE

IN UNIVERSITATE TYRNAVIENSIS

AUDITORIBUS SUI EXPLANAVIT

R. P. NICOLAUS SCHMITT, Soc. Jesu, S. Theologiae

Doctor, & Professor Publicus

et

NOMINATE UNIVERSITATIS

CANCELLARIUS

TRACTATUS

DE DIVINA GRATIA

EDITIO ALTERA



TYRNAVIA

TISS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU
ANNO MDCCLXXII

A D
THEOLOGICÆ
AUDITORES.

Peraque mysteria nostræ Religionis perobscura esse, multisque difficultatibus obsepta, docent vel maxime ea, quæ in gravissimo argumento Divinæ gratiæ nobis proponuntur. Namque, ut nihil dicam de cælestis illius doni natura, vi, methodo operandi, partitione; quantis tenebris involutam experimur, gratiæ efficacitatem, & necessariam cum libertate arbitrii compositionem & concordiam? quot præstantissima ingenia a veritate toto, ut ajunt, celo aberrarunt, dum isthoc arcanum ad leges humanæ Philosophiæ audacius perscrutati sunt? Certe Hippoensis Præsul, & Ecclesiæ Doctor, candore animi non minus, quam pugnis pro gratia Christi susceptis inclutus, Lib. II. de peccat. merit. & remiss. fatebatur: Ipsa etiam ratio, quæ de his rebus, a talibus, quales nos sumus, iniri potest, quarentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur. Et Lib. de gratia Christi: Quæstio ista, inquebat idem, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.

Quam quidem difficultatem hæretici Pelagius, Semipelagiani, Calvinus, Lutherus, Farsenius, atque alii, suis variis & extreme oppositis erroribus, majorem in modum auxerunt. Ipsi Catholici DD. inter se vehementer discordes, ad conciliandam gratiam cum libero arbitrio, salvos dogmatibus fidei, diversas iniverunt vias, unius veritatis amore impulsæ, ut dicere amant; & quod sequitur tenebris tenebras addiderunt, ut adeo, nisi Theologus hujus arcani

AD THEOLOGIAE AUDITORES.

explorandi cupidior, cauto pede incedat, facile a sincera Ecclesiae doctrina aberrare possit.

Equidem providus sacrarum literarum Spiritus, commentis haereticorum omnem aditum praecloserat, dum interdum extollendo Divinam gratiam, tacita libera voluntate hominis, totum attribuit gratiae, ne homo existimet aliquid esse suum, quod ortum non habeat ex Dei munere; interdum tacita gratia totum homini attribuit, ne videlicet ita in Deum omnia rejiciat, ut arbitretur se posse esse otiosum & sequem. Verum inquieta ingenia repagula infregere.

Nos abjectis erroribus, errorumque magistris, Ducem Ecclesiam, Scripturas, CC. decreta, & PP. sensa, veluti praecipuos fontes, in hoc arcano explanando sequemur; dein adversas nobis sententias, quae integra fide in sana Theologia locum obtineant, quaeve a viris omni doctrina & pietate clarissimis sustentur impugnabimus citra censuram & aculeos verborum, propositis argumentis pro utraque parte facientibus. Ex hoc amico & modesto argumentorum conflictu, magno Scholarum commodo veritas emicabit.

Præter istam gratiae concordiam cum libertate humana, in praesenti Tractatu V. Dissertationibus definito, plura complectemur methodo scholastica. Et in I. quidem agemus de iis, quae generatim pertinent ad actualem gratiam, ubi etiam errores, errorumque magistros pro eruditione Theologica dabimus. In II. de gratia sufficiente & efficaci. In III. de distributione actualis gratiae. In IV. de justificatione impii. In V. de merito bonorum operum. Largiantur boni superi, ut exhaustis difficultatibus, depulsis tenebris, veritatem assequamur, qui unicus scopus hujus operæ.



DISSERTATIO PRIMA.

DE

GRATIA ACTUALI GENERATIM.



In præfenti Dissertatione agemus I. De diversa significatione, & divisione gratiæ. II. De vario humanæ naturæ statu in ordine ad gratiam. III. De erroribus circa gratiam Christi. IV. In quo consistat gratia actualis, & quomodo influat in actus salutares? V. An & qualis gratia necessaria sit ad actus salutares? VI. Utrum liberum arbitrium possit se disponere suis viribus ad gratiam? VII. An ad bonum morale naturalis ordinis necessaria sit gratia? VIII. Utrum ad aliquod bonum opus exercendum necessaria sit gratia habitualis, vel fides Theologica? IX. Quanta sit necessitas gratiæ ad malum vitandum? X. Utrum ad perseverandum usque ad finem in accepta justitia, opus sit auxilio gratiæ specialis? XI. Quod gratiæ genus datum & necessarium fuerit in statu naturæ sanæ & integræ?

CAPUT PRIMUM.

De diversa significatione, & divisione gratiæ.

I I.



Vocabulum *gratiæ* varias sortitur significaciones in sacris literis. Interdum elegantiam seu venustatem tum oris, tum sermonis denotat, ut Psal. 44. v. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Proverb. 31. v. 30. *Fallax gratia & vana est pulchritudo;* Et Lucæ 4. v. 22. de Christo dicitur: *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Aliquando significat amorem ac benevolentiam, qua quis alteri gratus & acceptus est; sic dicitur quis cum altero *redire in gratiam*, atque hic modus loquendi usurpatur sæpius in scripturis; ita Genes. 39. v. 4. legitur Joseph *invenisse gratiam coram Domino suo*; & Laban ait genero suo Jacob: *Inveniam gratiam in conspectu tuo.* Genes. 30. v. 27. Verum hæc vocabuli *gratiæ* significatio, aliena prorsus est a præsentis nostri instituto.

Pressius aliquando ad rem nostram, nomine gratiæ in genere intelligitur quodcumque donum seu beneficium gratis concessum, id est: ex mera Dei benignitate, non ex justitia & præviis ex parte nostra meritis, secundum illud Apostoli ad Rom. 11. v. 5. & 6. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ, salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Unde. D. August. *Enarrat. in Psal. XLIII. ait: Non fuisti, & factus es, quid Deo dedisti? malus fuisti, & liberatus es, quid Deo dedisti? quid non ab eo gratis accepisti? merito & gratia nominatur, quia gratis datur.*

II. Gratia hoc modo accepta dividitur in *naturalem*, & *supernaturalem*. Naturalis est beneficium quodlibet a Deo ut auctore nature gratis, hoc est citra omne præcedens debitum collatum. Et hoc sensu ipsa etiam creatio, conservatio, existentia hominis, aliaque dona naturalia, uti & ipsum liberum arbitrium dici possunt gratia. Apposite S. Augustinus epist. CLXXVII. alias XCV. ad Innocent. Pontif. ait: *Etsi quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec isa essemus*

ali-

aliquid, ut cadaver, quod non vivit, & arbor, quæ non sentit, aut pecus, quod non intelligit: sed homines qui & essemus & viveremus & sentiremus & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere debeamus: unde merito & ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. Atque in hoc sensu Pelagius liberum hominis arbitrium dicebat esse gratiam (neque tamen propterea a PP. damnabatur, sed ob id damnabatur, quod ultra hanc gratiam, aliam supernaturalem ad actus salutares necessariam esse negaret) turpiter illudens Patribus Palæstinis; interrogatus enim in Concilio Diospolitano anno CCCCXV. an gratiæ necessitatem admitteret? respondit: se omnino admittere; at subdolos ille per gratiam intellexit naturalia beneficia creationis, conservationis, liberi arbitrii, sine quibus nec sumus, nec quidquam possumus. Hæc gratia naturalis etiam Philosophica & pertinens ad ordinem creationis dici solet.

Supernaturalis gratia dicitur beneficium a Deo gratis collatum supernaturalis ordinis, quod videlicet nec ad constituendam, conservandamve naturam necessarium est, nec ex ea fluit, nec ei debetur ullo modo, sed omnem ejus sive physicam, sive moralem superat exigentiam, conducens ad beatitudinem supernaturalem.

Ex hac descriptione gratiæ supernaturalis seu Theologicæ sumptæ, colliges I. Contra rationem gratiæ esse, illam naturæ secundum se acceptæ deberi metaphysice, vel physice. Nam si ita debita sit, jam a Deo negari naturæ non potest vel simpliciter, vel saltem sine miraculo, adeoque quando datur, non datur gratis, sed ut debitum non distinctum a dono creationis. Non est tamen contra rationem gratiæ esse metaphysice debitam, ex suppositione alicujus decreti Divini liberi, vi cujus Deus efficaciter promisit alicui gratiam. Cum enim hujusm. decretum sit Deo liberum & gratuitum, imo gratia active sumpta & extrinseca, nequit efficere; quò minus etiam gratia passiva, seu donum sic collatum sit gratia. II. Esse etiam contra rationem gratiæ, eandem deberi moraliter, seu deberi operibus nostris mere naturalibus, ut fides docet. Nam Concilium Arausicanum II. anno DXXIX. damnavit Semipelagianos docentes: in nobis dari aliquod initium & meritum gratiæ, quod meritum gratia veluti pedissequa expectet & sequatur nostram voluntatem, donec hæc incipiat aliquod meritum naturale ponere. Ratio præterea est: quia inter me-

ritum & præmium debet intercedere quædam proportio, utpote cum meritum sit medium respectu præmii tanquam finis; atqui inter medium naturale & gratiam supernaturalem nulla intercedit proportio, ergo. III. Non esse contra rationem gratiæ Theologicæ, esse debitam moraliter operibus ex gratia factis & supernaturalibus. Etenim iusti merentur de condigno vitam æternam, & hæc est moraliter debita eorum meritis supernaturalibus; atqui vita æterna est gratia secundum illud ad Rom 6. v. 23. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Nec mirum: cum enim ipsa merita nostra supernaturalia sint gratia Dei, non impediunt, quo minus id, quod datur propter illa, sit etiam gratia. Caterum vita æterna ratione meriti condigni collata, non est in rigore gratia *formaliter*, verum duntaxat *radicaliter*, nempe ratione gratiæ sanctificantis dignificantis meritum, & ratione gratiarum actualium, dependenter a quibus elicitur meritum.

3 III. Gratia supernaturalis Theologicæ accepta (de qua in posterum agetur) dividitur *imo.* in *externam* & *internam*. Nomine externæ veniunt omnia dona supernaturalia non inhærentia animæ, conducentia tamen ad salutem æternam, uti sunt incarnatio Verbi Divini, vita, exemplum, passio, mors Christi, Sacramenta, prædicatio Evangelii &c. Nomine internæ venit donum supernaturale, quod intra hominem est, eumque interius afficit, sive inhærendo; sive trans eum solum movendo per illuminationem mentis, & voluntatis excitationem.

2do. dividitur in gratiam *gratis datam*, & *gratum facientem*. Illa est, quæ per se & primario non in recipientis, sed in aliorum sanctificationem & salutem conceditur. Dicitur *gratis data*: non quod non omnis gratia sit gratis data, sed quod huic gratiæ defectu alterius vocis hæc denominatio adhæserit, & alioquin Christus de his gratiis apud Matth. 10. dixerat: *Gratis accepistis, gratis dare.* Hæc gratia enumerantur ab Apostolo 1. ad Corinth. 12. nempe *sermo sapientiæ* id est: donum loquendi, inferendo ex fidei principiis conclusiones circa mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. *Sermo Scientiæ* Id est: donum loquendi, inferendo ex principiis fidei conclusiones circa objecta certa, vel intelligendo ea, quæ ad mores & vitam recte instituendam pertinent. *Fides* id est: donum intrepide ac clare proponendi veritates Evangelicas. *Gratia sanitarum* id est:

donum sanandi languores & morbos corporis. *Operatio virtutum* sive donum patranda prodigia, & patefaciendi virtutem Divinam. *Prophetia* hoc est: donum prædicendi futura libera, vel etiam aperiendi aliena arcana cordium. *Discretio spirituum* id est: donum discernendi affectiones internas animi, utrum sint a natura, demone, vel Deo. Donum loquendi variis linguis. *Interpretatio sermonum* id est: donum intelligendi obscuriora loca Scripturarum, vel obscuriores linguas. Quamvis autem hæ gratiæ absque gratia gratum faciente, nihil conducant ad salutem habentis eas, attamen cum ipsa gratia si quis illis recte utatur, multum prodesse possunt, ut discimus ex illo Daniel. 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam eruduerint multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Gratia gratum faciens est, quæ ordinatur ad sanctificandum illud ipsum subjectum, cui inhæret, redditque Deo gratum, & acceptum, vel *formaliter* ut gratia sanctificans, vel *dispositivè* ut gratia actualis. Hinc

3^{io}. dividitur gratia gratum faciens in *habitualem* & *actualem*. Prior dicitur, quæ hominem reddit Deo formaliter gratum, amicum, filium adoptivum Dei, regni cœlestis hæredem, & denique permanenter seu stabiliter habilem ad exercendos actus supernaturales fidei spei, charitatis &c. Talis est gratia sanctificans. Posterior est auxilium supernaturale transiens, seu quod instar motionis transeuntis homini datur, eumque transeunter habilem reddit ad eliciendum actum supernaturalem. Istud confertur etiam injustis seu peccatoribus, quia non facit hominem formaliter Deo gratum & sanctum, sed solum causaliter & dispositivè, in quantum vel juvat ad acquirendam gratiam habitualem sive sanctificantem, ut in peccatoribus; vel ad eandem conservandam & augendam, ut in iustis.

IV. Actualis gratia subdividitur 1^{mo}. in *excitantem* & *adjuvantem*. 4
Excitans est, qua Deus interior per suas illustrationes illuminat intellectum, & per inspirationes pulsat torpentem, ac veluti somno peccati consepultam voluntatem, eamque sollicitat ad bonum agendum, & malum fugiendum. *Adjuvans* est, qua Deus cum voluntate jam excitata, in actu 2^{do} concurrat ad eliciendum actum salutarem. De utraque gratia excitante scilicet & adjuvante loquitur Scriptura Apocal. c. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso (en gratia excitans) si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi*

januam, intrabo ad illum (en gratia adjuvans) Et Conc. Trident. Sess. VI. de justificat. c. VI. cum ait: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt.* Tum August. in *Enchiridio C. XXXII.* *Deus hominis voluntatem & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Idem *Lib. II. de peccatorum meritis & remiss. C. XVIII.* *Quod ad Deum, inquit, nos convertimus, nisi ipso excitante & adjuvante, non possumus, & hæc est bona voluntas; quam scilicet non possumus habere sine auxilio gratiæ excitantis & adjuvantis.* Denique utramque gratiam petit Ecclesia dicendo: *Actiones nostras præveni & adjuvando prosequere.*

2do. In operantem & cooperantem. Operans illa dicitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur, non quidem sine potentiis nostris intellectu & voluntate active & physice concurrentibus, sed sine nobis libere agentibus; sunt enim vitales hi motus subiti & ideo a nostra libertate independentes. Hinc gratia operans vocatur omnis illustratio mentis, & voluntatis ad bonum subita excitatio, si ve indeliberatus motus intellectus & voluntatis cœlitus immissus, per quem Deus incipit bonum opus in nobis. Cooperans est, per quam Deus facit, ut impleamus id, ad quod nos excitat, seu per quam Deus facit, ut quod voluerimus, impleamus. Quare cooperans gratia est eadem cum adjuvante, & operans cum excitante. Utriusque gratiæ meminit D. August. *Lib. de gratia & libero arbit. C. XVII.* his verbis: *Quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem (nempe S. Petro, de quo loquitur) nisi ille, qui præparat voluntatem & cooperando perficit, quod operando incipit? quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. - - - Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus.*

5 3tio. Subdividitur in prævenientem, comitantem, & subsequenter. Præveniens est, quæ antecedit liberum consensum voluntatis, efficiendo in ea boni motus initium. Comitans seu concomitans, quæ voluntatem comitatur & adjuvat, ut bonum velit. Subsequens, quæ subsequitur & provehit bonum motum jam in vo-

luntate per gratiam prævenientem inchoatum. Unde vides, prævenientem eandem esse cum operante & excitante; comitantem vero & subsequenter cum cooperante ac adjuvante.

Interim gratiam prævenientem & subsequenter etiam alio sensu accipiunt Patres: nam per prævenientem gratiam intelligunt eam, quæ iuvat ad actus salutare ante justificationem, vel quæ datur ad internum voluntatis actum sive ad internum propositum, vel quam nullis nostris meritis meremur. Per subsequenter vero intelligunt eam gratiam, quæ iuvat ad actus salutare justificationem subsequentes, vel quæ datur ad externam propositi executionem, vel quam meremur per prævios actus supernaturales. Recte Augustinus in *Enchiridio C. XXXII. Præcedit*, inquit, *bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia; quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in scriptis eloquiis, & misericordia ejus prævenit me; & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra delit. Et Lib. de natura & gratia ait: Misericordia ejus prævenit nos. Prævenit autem, ut sanemur, quia & subsequetur, ut etiam sanati vegetemur; prævenit, ut vocemur, subsequetur, ut glorificemur; prævenit, ut pie vivamus, subsequetur, ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere.* Ex quibus tamen colligas, secundum Augustinum illam esse maxime propriam explicationem, qua diximus prævenientem gratiam esse, quæ iuvat ad actus salutare ante justificationem subsequenter, quæ iuvat ad actus justificationem subsequentes, adeoque ad perseverandum in via justitiæ.

4to. In gratiam *sanitatis & medicinale*. Illa est, quæ Adamo adhuc innocenti & sano collata fuit in ordine ad observandum præceptum. Hæc, quæ hominibus in peccatum originale lapsis, eoque infirmis ad bonum operandum redditis datur.

5to. In *sufficientem*, & *efficacem*. 6to. subdividitur in *auxilium sine quo non*, & in *auxilium quo*; de quibus suo loco uberius dicetur.

CAPUT SECUNDUM.

De vario humanæ naturæ statu in ordine ad gratiam.

6 I. **V**Ox status apud TT. Scholasticos, & apposite ad præsens de gratia Christi argumentum, significat certam conditionem totius humanæ naturæ, in ordine ad suum finem ultimum secundum legem Divinæ providentiæ. Status hominis in genere duplex considerari potest, alter *patriæ*, alter *viæ*. Prior dicitur, in quo homo jam possidet æternam beatitudinem; posterior, in quo homo tendit ad beatitudinem ceu ultimum suum finem. Status viæ subdividitur in statum *naturæ puræ*, *naturæ integræ*, *naturæ innocentis*, *naturæ elevatæ*, *naturæ lapsæ* & *reparatæ*.

Status puræ naturæ est, in quo homo existeret cum perfectionibus suis essentialibus, naturalibus facultatibus animæ & corpori debitæ, & concursu atque providentiâ Dei huic homini proportionata, absque ullo tamen gratiæ dono, & perfectionibus indebitis, simulque sine peccato originali, atque adeo & reatu pœnarum huic peccato debitæ; attamen defectibus, & miseris naturalem compositi humani constitutionem consequentibus v. g. morbis, siti, frigori, morti obnoxius esset.

Status naturæ integræ est, in quo homo ultra omnia modo enumerata haberet insuper appetitum sensitivum subiectum rationi, & hanc Deo ac legi Divinæ. Hæc autem subiectio non est naturæ humanæ debita, neque tamen est quoad substantiam, sed ad summum quoad modum supernaturalis. Ratio *immo* patet: tum quia Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt propositionem XXVI. Michaelis Baii: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio*; tum quia si hæc subiectio foret naturæ debita, permansisset in nobis etiam post peccatum; nam peccatum teste Dionysio non abstulit naturalia dona seu debita naturæ dona; atqui non permansit, ut constat, ergo. Ratio *adi* est: quia ut observat Doctor Angelicus *I. Part. Quæst. LXXXVIII. art. VI.* hæc subiectio licet indebita naturæ, est illi tamen admodum consentanea, eadem solum perficit naturam in ordine ad operationes naturales, & faciliorem legis naturalis observantiam, ac proinde ad beatitudinem solum naturalem facilitans; atqui

ex

ex his nullum apparet fundamentum asserendi, hanc subjectionem esse entitative & intrinsece supernaturalem, igitur est ad summum quoad modum, vel est favor quidam extraordinarius Dei ut authoris naturæ.

Status naturæ innocentis seu justitiæ originalis, supra naturam integram importat immunitatem a morte corporis, nec non a mortis vestigiis, ut sunt morbi, dolores &c. adeoque impassibilitatem. Item pactum cum Adamo de his perfectionibus in posteros transfundendis, si non peccaret. Quod immunitatem a morte hic status importet, colligitur tanquam fide certum ex illo Apostoli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* quod etiam definivit Trident. Sess. V. de peccato origin. can. II. Quod autem immunitatem a mortis vestigiis importet, habetur ex communi PP. sententia.

Status gratiæ seu naturæ elevatae ad beatitudinem supernaturalem, importat præter recensita dona gratiam sanctificantem cum aliis donis supernaturalibus, naturam ad beatitudinem per actus supernaturales obtinendam adjuvantibus. Hic observ. Hominem duplici modo posse dici in statu gratiæ: *proprie* scilicet, si reipsa gratia sanctificante ornatus sit; & *improprie* si illa quidem destitutus, ad eam tamen habendam a Deo sit ordinatus.

Status naturæ lapsæ est præsens status, in quo natura propter peccatum ab Adamo ut Capite morali generis humani patratum, e statu integritatis, & originalis justitiæ est delapsa, qui proinde status reperitur in omnibus Adæ posteris, dempta sola B. Virgine. Rursum observ. I. Hunc statum in moderna providentia inductum fuisse post statum gratiæ, reipsa autem induci potuisse, etsi status gratiæ non præcessisset, sed solum status naturæ puræ, vel integræ, vel innocentis non elevatae, ut patet, cum in his omnibus statibus homo grave peccatum committere potuisset. II. Statum naturæ lapsæ non excludere *essentialiter* illa specialia privilegia, quæ competunt statui naturæ seu integræ, seu innocentis, cum iis etenim simpliciter posset consistere; attamen defacto hæc privilegia usque adeo sustulit, ut illa omnia nec quidem B. Virgo habuerit, licet habuerit subjectionem appetitus sensitivi, & caruerit omni fo-

mite peccati, quemadmodum dixi in *Tract. de Verbi Divini mysterio, Dissertat. V. Num. 371.*

Status denique naturæ reparatæ per Christum est, in quo natura humana per Christum, ejusque pretiosam mortem reparata fuit quoad infirmitatem culpæ, licet non quoad infirmitatem concupiscentiæ & mortalitatis, qualis etiam in justis reperitur, seu, ut ita dicam, reposita erat ad statum gratiæ, non tamen ad statum naturæ integræ & innocentis. Hic status non immerito potest dici status gratiæ per Christum, tum quod tota natura humana ordinata sit ad finem supernaturalem, tum quod importet gratiam sanctificantem cum habitibus virtutum infusus, & actualibus Divinæ gratiæ auxiliis, quæ Deus filiis suis adoptivis largitur. Peccator quoque actualis in hoc statu esse dici potest, in quantum Deus & illum ad capiendum fructum redemptionis ordinavit, & ad idem suis auxiliis opportuno tempore ac loco concessis adjuvat.

- 8 II. Quod ad existentiam horum naturæ statuum attinet, pro certo habetur: omnes illos, excepto statu puræ naturæ, exitisse in primis nostris parentibus, qui tamen in peccatum prolapsi, perdidierint non modo statum naturæ integræ & innocentis, verum etiam statum gratiæ, non tamen idcirco desinebant esse ordinati elevatique ad æternam, ac supernaturalem beatitudinem cum posteris suis, qui vel concipiuntur in statu peccati originalis, vel in statu gratiæ sanctificantis, ut B. Virgo. Certum præterea est, statum puræ naturæ nec esse, nec fuisse, nec unquam fore: nam primi parentes simul atque conditi sunt, non modo omnia naturæ integræ & innocentis privilegia, verum etiam gratiam sanctificantem, aliaque dona supernaturalia acceperunt, & ad finem supernaturalem elevati sunt. Quæritur nihilominus: utrum possibilis sit status puræ naturæ, vel vero homo necessario condi debuerit in eo statu, in quo ante peccatum erat? Lutherus istud negavit *Commentario in III. cap. Genes. Quare, inquit, statuamus justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia juere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt.* Calvinus pariter *Lib. I. Institut. c. XV.* nulla alia, quam naturalia in primis parentibus agnoscere videtur, aitque: *Divinæ justitiæ & bonitati adversari,*
pri-

primitus hominem creari sine justitia originali ejus naturæ debita. Huic Novatorum doctrinæ accessit Bajus, cujus complures propositiones proscriptæ sunt, ut XXI. *Humanae naturæ sublimatio & exaltatio in consortium Divinae naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* XXVI. *Integritas primæ creationis, non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* LV. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem (intellige secluso etiam peccato & pœnis peccato debitis) qualis nunc nascitur.* LXXVIII. *Immortalitas primæ hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Et LXXIX. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, & institui sine justitia naturali,* id est: sine subjectione appetitus inferioris, uti ad mentem Authoris explicat Soaresius. Errores Bajanos Jansenius defendendos suscepit non sine gravissimo Apostolicæ Sedis contemptu, & Catholicorum Doctorum injuria, quos Manichæis suffragari, cum Atheis de immanitatis palma certare, Deum crudelitatis arguere, ejusque providentiam ac justitiam funditus exinanire non dubitavit scribere. Adversus hos omnes sic

A S S E R T I O.

Status puræ naturæ fuit possibilis, licet defacto in hoc non fuerit condita natura humana.

Veritas assertionis nititur I. *Authoritate summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. Pius V. in Bulla sua, quæ incipit: Ex omnibus afflictionibus, & Gregorius XIII. in sua Constitutione, cujus initium: Provisonis nostræ, damnarunt propositiones Baji, Num. 8. allatas, cum aliis, quarum aliqua negant possibilitatem status puræ naturæ. Urbanus VIII. in sua constitutione edita anno MDCXLI. quæ incipit In eminenti, posteaquam Jansenius damnatas Baji propositiones resuscitasset in libro, quem AUGUSTINUM inscripsit; memoratum Jansenii librum, continentem Bajanos errores semel atque iterum a Sede Apostolica damnatos, proscrit; omnibusve, ne eum legant, vel apud se retineant, severe prohibet.*

10

II. Nititur autoritate S. Augustini, ut ostendunt Ripalda, Annatus, & alii ex plurimis ejus testimoniis; sic *Lib. IV. contra Julian, c. XVI.* ait: *Gratia Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore, quod puderet, spoliatus gratia sensit, quid operire deberet; igitur quod in Adamo, de quo loquitur, non fuerit caro rebellis, erat ex gratia Dei, non ex debito naturæ: quam naturam quidem habuit Adam immunem illa rebellionem; at non ex se, sed ex gratia Dei. Et Lib. I. retract. c. IX. Ad quam miseriam, inquit, justæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ; nec ab isto malo, nisi gratia, quisquam liberatur: quam miseriam Pelagiani nolunt ex justa damnatione Dei descendere, negantes peccatum originale, quamvis ignorantia & difficultas, etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset.*

III. Rationibus TT. I. Potuit natura humana a Deo condi, quin conderetur in statu integritatis, seu cum subjectione appetitus sensitivi ad rationem, igitur potuit condi in statu puræ naturæ, qui proinde possibilis est. Consecutio est certa: nam si natura humana a Deo ut auctore naturæ (de hoc enim loquimur) condi potuit sine dono integritatis, adeoque istud eidem non fuit debitum, multo minus fuit illi debitum donum immortalitatis, gratiæ sanctificantis, elevationis ad finem supernaturalem &c. igitur sine his omnibus condi potuit, sed sic condita, fuisset in statu naturæ puræ condita: hic enim status dicit omnes perfectiones debitas, & carentiam indebitorum, ergo. Probat. jam ant. Humanæ naturæ connaturalis est pugna inter appetitum sensitivum & rationem; igitur subiectio appetitus sensitivi ad rationem, non est naturæ humanæ debita, adeoque citra hanc subjectionem connaturaliter condi poterat. Ant. declaratur: quia connaturale est homini, ut ejus cognitio a sensibus incipiat, ut appetitus sensitivus ab objectis sensibilibus moveatur, & ad illa afficiatur, etiam dum eadem rectæ rationi repugnant; atqui istud ipsum est pugna inter appetitum sensitivum & rationem, ergo. II. Immortalitas corporis, seu immunitas a morte & morbis, est donum indebitum naturæ humanæ, cum corpus hominis ex elementis sibi contrariis & corruptioni obnoxiiis com-

positum sit; ergo naturæ humanæ connaturalis est mortalitas & morbi, adeoque potuit natura humana creari sine immunitate a morte, morbis, concupiscentia &c.

Respondetur Adversariis.

Oppoz. I. Nequit natura rationalis condi in eo statu, in quo, II
 nulla præcedente sua culpa, esset obnoxia morti, morbis, ignorantia, concupiscentia, aliisque miseriis, atqui hoc fieret in statu puræ naturæ, ergo. M. déclaratur ex S. Augultino *Lib. XIII. de Civit. Dei c. XV.* dicente: *Constat nobis corporis mortem non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati; & Lib. III. de libero arbitr. c. XVII.* *Non posse a libidinosis operibus temperare, non natura instituti hominis, sed pœna damnati est;* ergo secundum Augultinum mors, ignorantia &c. sunt pœna peccati; sed h. i. natura rationalis nequit condi in eo statu &c. ergo. II. Repugnat status, in quo concupiscentia esset a Deo; atqui talis esset status puræ naturæ, ergo. M. prob. concupiscentia pugnat adversus spiritum & rectam rationem, adeoque naturaliter bona non est, &, quod sequitur, a Deo esse non potest. Unde 1. Joan. 2. v. 16. dicitur: *Concupiscentia carnis, non est ex Patre, sed ex mundo;* atque Apostolus eam peccatum appellat, ergo. III. Repugnat status, in quo turpia forent licita; atqui in statu puræ naturæ forent licita, ergo. Prob. m. Natura pura naturaliter propenderet ad turpia, sed ad quæ illa naturaliter propenderet, forent licita, quia h. i. essent bona, uti probat. propensio naturæ bonæ utique est bona, sed natura pura est bona, utpote per peccatum non viciata; ergo etiam ejus propensio esset bona, ergo cum hæc propensio esset ad turpia, propensio ad turpia esset bona. IV. Repugnat status, in quo sine peccato daretur necessitas erubescendi; atqui daretur in statu puræ naturæ; quippe in hoc statu daretur membrorum rebellio, ex qua consequitur erubescendi necessitas; idcirco etiam Augustinus *Lib. I. de nup. & concupiscen.* vocat concupiscentiam *puendum opus,* ergo.

Rs. Ad I. N. M. nam mors, morbi &c. sunt defectus naturæ 12
 humanæ connaturales; cum enim homo non constet sola anima, quæ natura sua immortalis est, verum etiam corpore, cujus habi-

tudo ac temperies viciari potest, ejusque partes naturaliter dissolvi, luculenter patet, quod hominem mori, defatigari &c. eidem profus connaturale sit; alioquin Bajana propositio damnationi subjacet: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.* Pariter cum intellectus humanus in suis cognitionibus pendeat a sensibus, adeoque non nisi imperfecte intelligat spiritualia, cum essentias rerum non penetret, nec veritates practicas & speculativas assequatur citra magnum laborem &c. quid illi magis connaturale, quam multa ignorare? Ad declarationem concessis textibus dist. conf. Mors, ignorantia &c. sunt pœna peccati in præsentis statu naturæ lapsæ, & providentia, in qua Deus hominem *gratuito* ab his omnibus præservare decreverat, si non peccasset c. conf. sunt necessario & pro omni statu ac providentia pœna peccati proprie talis n. conf. Nam ut dictum, naturæ humanæ connaturale est mori, multa ignorare &c. attamen ab his Deus singulari & indebito beneficio præservasset hominem, si in peccatum lapsus non fuisset, verum cum lapsus fuerit, in pœnam peccati voluit hominem obnoxium esse hisce miseriis, quæ in statu puræ naturæ, futuræ erant solum defectus naturales.

Neque dixeris: has miseras non esse pœnam, cum alioquin sint connaturales & debitæ naturæ humanæ; nam *14.* in tantum esse pœnam, in quantum liberalitate Dei futuræ non erant, si peccatum non fuisset. Sic rustico pœna foret ad dignitatem Regiam liberaliter elevato, si postea dignitate sua exueretur ob patratum aliquod scelus, quamvis pœna non esset, si nunquam elevatus, in conditione rustici relictus fuisset:

13

Ad II. dico: concupiscentiam sumptam pro actu *1^{mo}* seu pro potentia concupiscendi, esse a Deo ut authore speciali, nihil repugnantiae involvere; quia concupiscentia sic accepta, est bona & perfectio naturæ, licet in quantum eadem potest exire in actus *2^{dos}* rationi adversantes sit defectibilis, qua ratione etiam voluntas (quæ dici potest concupiscentia rationalis) defectibilis est. At concupiscentia sumpta pro actu *2^{do}* concupiscendi objectum vetitum, & ut inclinante ad peccatum, adeoque repugnante rectæ rationi, non est a Deo ut authore speciali, sed is ad illam concurrat solum ut causa universalis ad exigentiam causarum *2^{darum}*, non aliter quam ad entitatem peccati. Observa igitur I. Actus concupiscendi alios esse

malos, recteque rationi adversantes; cujusm. sunt actus omnes, quibus sive deliberate, sive indeliberate appetimus objecta illicita, & corporeæ omnes immutationes, quibus sollicitamur ad objectorum illicitorum appetitionem; alios malos non esse, neque rectæ rationi repugnare, sed potius huic conformes & consentaneos, cujusm. sunt omnes actus, quibus sive deliberate, sive indeliberate objecta licita appetimus, & corporeæ omnes immutationes, quibus ad appetenda objecta honesta excitamur. Hos, non illos posse esse a Deo, ut *specialiter* eos procurante, inde colligas, quod priores actus concupiscendi rectæ rationi adversentur, & voluntatem ad amplectendum objectum inhonestum sollicitent, vel jam conjuncti sint cum ejusm. objectorum amplexu. II. Concupiscentiam acceptam præcise pro potentia appetitiva objecti sensibilis, non pugnare adversus rectam rationem, nec inclinare ad malum morale *per se*, & ex natura sua, vel intentione Dei creatoris, sed solum *per accidens* ex imperfectio-
ne subjecti; in quo est, & applicatione contingente objecti; immo si rem accuratius perpendamus, concupiscentia de se ordinata est ad exercitia honesta, licet ob suam defectibilitatem quandoque erumpat, præter intentionem Dei in motus indeliberatos inclinantes ad peccatum; & solum inclinatur in bonum sensibile corpori proportionatum, cui hic & nunc relate ad hanc personam & circumstantias per accidens est, quod sit peccaminosum, & quidem inclinatur solum inefficaciter, ut Apostolus ad Rom. 7. ait: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis; ac concludit: Igitur ego ipse mente servo legi Dei: carne autem legi peccati.* III. Concupiscentiam, etiam secluso voluntatis consensu in malum, ab Apostolo vocari peccatum, improprio quodam sensu, quia nempe est defecto a peccato, & ad peccatum inclinatur, ut loquitur Trident. Sess. V. can. V. eo fere modo, quo manus dicitur scriptura, quam facit manus: non esse autem peccatum proprie dictum; alias in rite baptizatis, in quibus ad victoriam & virtutis exercitium concupiscentia remanet, verum esset peccatum, quod falsum declaravit Trident. his verbis: *Concupiscentia, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari; quod vere & proprie in re-*

natis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur; si quis autem contrarium senserit, anathema sit. Denique IV. S. Augustinum adversus Julianum de concupiscentia disputantem (qui negabat eam ortam ex peccato originali & pœnam peccati, ac insuper contendebat, eam in presenti statu esse bonam, laudabilemque) loqui de presenti statu & providentia, in qua primi parentes nostri in innocentia, & integritate absque ulla rebellionem appetitus sensitivi conditi erant, & quia per peccatum integritatem naturæ amiserunt, recte arguere, concupiscentiam propter rebellionem contra rationem esse malam (non quidem formaliter, quasi esset peccatum, hoc enim falsum est ex Tridentino, sed malam denominative, quia denominatur a peccato originali talis, veluti ejus effectus & pœna, quam Deus inflixit tantum *negative*, subtrahendo gratiam suam penitus refrænandi concupiscentiam, homo autem in peccatum lapsus per culpam commertuit & causavit) & pœnam peccati; non vero S. Doctorem loqui de concupiscentia generatim accepta, prout est inclinatio ad bonum sensibile proportionatum naturæ. Ex his patet responsio ad M. probationem

14

Ad III. C. M. n. m. ad probat. Dist. M. natura pura ut bona est, & per se propenderet ad turpia N. M. natura pura ut defectibilis & per accidens propenderet ad turpia C. M. sic cum proportionem distincta m. n. conf. Ad ulteriorem probat. rursus Dist. M. propensio naturæ bonæ bonitate indefectibili, bona est C. M. propensio naturæ bonæ bonitate defectibili, bona est N. M. Ratio distinctionis est: quia homo in statu puræ naturæ conditus, sortiretur quidem naturam bonam, at bonitate defectibili tum in linea physica per morbos, mortem &c. tum in morali per peccatum; & natura naturaliter propendendo ad turpia, naturaliter deficeret: unde naturæ in puris naturalibus conditæ propensio ad illicita, quantumlibet naturalis, non foret bona, sed defectus, quem homo in statu naturæ puræ conditus obligaretur, quantum posset, cohibere; interim iste non propenderet necessario & per se ad turpia moraliter seu vetita, sed solum per accidens, si hæc illi contingenter applicarentur.

Ad IV. N. M. Nam ista necessitas erubescendi, nihil importat aliud, quam inordinatos corporis motus, sive rebellionem membrorum adversus rectam rationem, quæ in natura pura esset omni-

no aliqua, licet non tanta, quanta in natura lapsa; atque adeo esset quædam necessitas erubescendi non de operibus Dei & membris ipsis, sed de rebellionem membrorum. Hæc autem rebellio esset a Deo ut præcise a causa *ima* ex determinatione causarum *ædarum*; velletque Deus hominem ab eis, quantum posset, abstinere. Vide Edmund. Simonnetum *Tract. VI. de gratia, Disp. II. art. II.*

Oppon. V. Deus in statu puræ naturæ non condidisset hominem ad finem supernaturalem, sed Deus non potuit condere hominem, nisi ad finem supernaturalem, ergo eum non potuit condere in statu puræ naturæ. Prob. m. Deus non potuit condere hominem, nisi propter finem ultimum, sive beatitudinem, atqui finis iste est supernaturalis, ergo. M. ostenditur: quia Deus nequit operari ad extra, nisi ex motivo suæ bonitatis, & cum sit sapientissimus, nequit operari, nisi propter finem, qui ipse solus est; igitur necessario propter se tanquam ultimum finem condere debuisset hominem; m. vero prob. Finis ultimus seu beatitudo hominis consistit in visione Dei intuitiva, & amore supernaturali perfecto; atqui ista sunt supernaturalia, ut patet, ergo. VI. Nequit natura rationalis condi in eo statu, in quo non posset diligere Deum propter se; atqui non posset in statu puræ naturæ; nam hujusmodi amor foret supernaturalis, qui in statu puræ naturæ non daretur. Denique S. Augustinus pluribus locis negat, hominem posse consequi beatitudinem sine auxilio gratiæ, quod tamen status puræ naturæ excluderet, ergo.

æ. Ad V. C. M. n. m. Ad probat. Dist. M. Deus non potuit condere hominem, nisi propter beatitudinem solum illam, quæ consistit in visione Dei intuitiva & amore Dei supernaturali N. M. nisi propter hanc vel aliam beatitudinem C. M. dist. m. Finis seu beatitudo hominis est supernaturalis in præsentī providentiā c. m. in statu puræ naturæ, de quo disputamus, n. m. & cons. Verum quidem est, quod Deus summe sapiens & providus nequeat ad extra aliquid producere, & maxime creaturam ratione præditam, quin agat propter finem, qui est ipse Deus, consequenter nec potest hujusmodi creaturam non ordinare ad ultimum finem; at verum non est, quod necessario debuerit ordinare ad finem supernaturalem, seu ad sui possessionem per intuitivam visionem, & amorem supernaturalem; cum possibilis sit etiam finis ultimus naturalis,

lis, consistens in perfecta Dei contemplatione abstractiva, & amore Dei naturali necessario naturæ viribus proportionato, ut docetur in *Tract. de Actibus humanis*. Porro homo in statu puræ naturæ conditus, fruiturus fuisset beatitudine sua naturali in altera vita post mortem corporis, saltem secundum animam, quæ immortalis est naturaliter & præcipua pars nominis.

Ad VI. C. M. n. m. Ad rationem m. ajo: duplicem amorem Dei propter se, distinguendum esse, alterum naturalem, alterum supernaturalem; ac ille naturalis potuisset a creatura rationali elici in statu puræ naturæ: & vero creatura rationalis, non vitata, cum solo concursu & providentia naturali sibi debita, habere potuisset aliquem Dei amorem propter se, sicuti habere potuisset lumine naturali cognitionem Dei, & perfectionum ejus, ob quas amore est dignus. Patet præterea hæc divisio duplicis amoris Dei tum e proscripta propositione Bajana XXXIV. quæ habet: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia*; tum ex Concil. Trident. *Sess. VI. de justificat. Can. III.* definiente: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quæ verba sat clare indicant, Tridentinum haud negare, posse dari amorem Dei procedentem ex sola cognitione naturali, sed duntaxat negare, hunc amorem esse talem, qualem esse oportet ad justificationis gratiam obtinendam, ad quam requirit illustrationem supernaturalem Spiritus S. attingentem Deum sub iis etiam prædicatis, sub quibus solo lumine naturali cognosci non potest. Hinc dum ait August. *Lib. de grat. & libero arbit. C. XVIII.* *Unde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos*; loquitur de amore Dei, quo homo in moderno statu elevatæ naturæ justificationem obtinet, qui amor cum supernaturalis sit, solis naturæ viribus & citra auxilium gratiæ elici non potest; quæ doctrina Augustiniana pugnat adversus Pelagium, ut ubertim suo loco dicitur.

Ad postremum dico: S. August. agere de supernaturali beatitudine, ad quam in præsentī providentiā homo elevatus est, & sine auxilio supernaturali obtinere nequit; non vero de beatitudine naturali, quam homo in statu naturæ puræ non depravatus, & a multis impedimentis, quibus nunc implicamur, liber, per merita pure naturalia moraliter bona, facile consequi posset. Alioquin natura pura haberet potentiam observandi totam legem naturalem, & in eo statu concupiscentia nondum per peccatum efferata, minus lacefferet.

Ut reliquis argumentis; quibus possibilitas status naturæ puræ impugnatur, satisfacias, observ. I. Homo in statu naturæ puræ conditus, posset in altera vita consequi beatitudinem naturalem suo statui proportionatam, videlicet perfectam Dei cognitionem abstractivam cum amore ipsi correspondente; quæ quidem cognitio rependeretur homini, veluti merces bonorum operum naturalium: non secus ac in præsentī statu rependitur intuitiva Dei visio, tanquam merces operum supernaturalium. Porro in hac abstractiva cognitione Dei (quæ utique multo clarior foret, ac sit nunc in hac vita) appetitus creaturæ rationalis quiesceret, eo quod reipsa ignoraret in statu puræ naturæ, an sit possibilis visio Dei intuitiva, & *ignoti* alioquin *nulla cupido*. Quod vero appetitus rationalis in hac providentiā non possit expleri, nisi visione intuitiva Dei, ratio datur: quia visionis beatificæ intuitivæ non modo præstantia, verum etiam possibilitas nobis innotuit per revelationem Dei.

II. Homini sine peccato decedenti ex hac vita, non potest Deus denegare in moderno statu elevationis visionem intuitivam Dei. Etenim Deus in moderno statu hominibus sine peccato decedentibus promisit vitam æternam, ut ipsimet Pelagiani fatebantur, in visione sui intuitiva & amore sitam, idcirco talibus ob immutabilem Dei voluntatem ea denegari non potest. Hinc cum iidem Pelagiani falso docerent, parvulos in hac providentiā sine peccato nasci, pluribus locis eos reprehendit S. Augustinus, quod parvulos sine baptismo vita sanctos excluderent cælo, & solummodo iis concederent vitam æternam, quam a regno cælorum insulse distinguebant, quia nempe scivit hujusm. innocentibus modo promissam esse beatitudinem in cælo, neque tales esse posse sine gratia sanctificante. At vero in statu puræ naturæ, Deus non promississet cœlum,

lum, ac sui visionem intuitivam, adeoque potuisset homini etiam innocenti denegare hanc visionem.

III. Cognitio etfi abstractiva, quæ foret altissima contemplatio Dei ut authoris naturæ, proponens infinitam creatoris amabilitatem, ejusque innumera beneficia, moraliter necessitaret ad diligendum Deum super omnia; neque ulla foret in cognoscendo & amando difficultas. Alioquin statui naturalis beatitudinis deberetur singularis Dei providentia, avertens irritamenta malorum, & peccandi illecebras; namque Deus ut rectus provisor, debet tempus creaturæ rationali determinare ad pugnandum & merendum, & tempus vel potius æternitatem ad percipiendum fructum victoriæ & præmium meriti, vel etiam ad subeundam pœnam prævaricationi debitam. Quare finito tempore viæ, si in naturali Dei amicitia & gratia creatura rationalis migret e vita, debet quiescere & perpetua pace frui.

IV. Natura humana in statu naturæ puræ foret bona, licet bonitate defectibili, ut supra dictum; quæ illius defectibilitas in actu *imo* non moralis, sed physicus defectus esset, seu limitatio perfectionis, conveniens creaturæ ex nihilo productæ; ex quo defectu fieri quidem posset, ut caro concupisceret adversus spiritum, voluntatis tamen culpa esset, si dominari eam sineret. Quapropter cum homo in eo etiam statu teneretur observare legem naturalem, obstringeretur inordinatos concupiscentiæ motus, quantum posset, reprimere. Et tamen non haberet dominium eorum motuum quoad sensum, haberet tamen dominium quoad consensum, adeoque si libere iis consensum præstaret, peccaret. Vide Honoratum Tournelyum Tom. III. *de gratia Christi, quæst. II. art. III.* Simonnetum loco laudato.

CAPUT TERTIUM.

De erroribus circa gratiam Divinam.

- 18 **I** Divinæ gratiæ cum libero arbitrio conciliatio gravissimam difficultatem parit, atque hanc esse multis difficultatibus involutam disputationem, ipse D. Augustinus agnovit, in qua duo extrema omnino vitanda sunt: alterum, ne ita asseramus li-

berum arbitrium; ut superba impietate ingrati Divinæ gratiæ videamur: alterum, ne ita gratiam tueamur, ut liberum arbitrium evertamus. In alterutrum horum extremorum impegere varii hæretici, ut per decursum hujus Tractatus videbimus. At Ecclesia utrumque conciliatura, media semper via incessit, suumque gratiæ Divinæ, suum libero arbitrio locum concessit; cum hac gratiæ respectu liberi arbitrii prærogativa, ut hoc illi subjectum esse quidem fatetur, neque tamen gratiæ *includibile* quoddam dominium in libertatem attribueret. Cum enim certum haberet ad salutariter operandum & gratiam Dei esse semper necessariam, & liberum arbitrium creaturæ, ut gratiam libertati præferret, illius dignitas postulabat; ut vero libertatem dominantis gratiæ necessitati non subiceret, libertatis natura & essentia requirebat. Unde Augustinus *Epist. XLVI.* ait: *Tolle liberum arbitrium, & non erit, quod salvetur: tolle gratiam, & non erit, unde salvetur.*

II. Errores porro in materia de gratia sequentibus potissimum 19
fidei dogmatibus adversantur: I. Libertas nostra per Divinæ gratiæ auxilia non evertitur, etsi iisdem ad omne opus salutare summe egeamus. II. Non solum libertas a coactione, sed & libertas indifferentiæ, seu a necessitate datur in statu naturæ lapsæ. III. Primi hominis integritas non fuit conditio naturæ, sed speciale Dei misericordis beneficium. IV. Gratia Dei non solum est necessaria ad operandum *prout oportet*, sed etiam ad credendum, adeoque ipsum salutis initium oritur sine præviis liberi nostri arbitrii meritis. V. Ad omne opus salutare nos prævenit interior Dei gratia. VI. Ad omnes & singulos actus supernaturales necessarium est adjutorium interioris Divinæ gratiæ cooperantis. VII. Gratia non tantum dat *facilius* posse, verum etiam *simpliciter* posse ad operandum salutariter. VIII. Gratia Dei non datur ob posita antecedenter merita naturalia, sed ex pura Dei misericordia ob Christi merita &c. Jam Magistri errorum recensendi.

De Pelagio ejusque erroribus.

III. **D**ivinæ gratiæ primus apertum bellum movit Pelagius, natione 20
Britannus, Professione Monachus, eorum ex numero, qui privatis in ædibus ea tempestate vitam agere solebant; nulli idcir-

co Religioso cœtui infertus, nec Sacris Ordinibus initiatus. Huic prælusit Ruffinus Aquileja, vel ut aliis placet, ex Syria oriundus, e cujus institutione semina errorum hausit Pelagius, teste S. Hieronymo in præfat. ad commentar. in Jerem. ubi GRUNIUM (ita Ruffinum appellat) vocat *Præcursorem Pelagii*. Ruffinum præivit Theodorus Mopsuestiæ Episcopus, ac utrumque Origenes, quemadmodum testatur Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem: *Doctrina tua, alloquitur Pelagium, Origenis ramusculus est; & ibidem Origenem Pelagiani erroris principem compellat*. Fraudes Pelagii in vulgandis erroribus P. Garnerus e S. J. Dissert. I. de primis auctoribus & defensoribus hæres. Pelag. his verbis enarrat: *Hæ, inquit, Pelagio erant artes hæresim disseminanti. Nihil de suis mysteriis aperte vulgo credere, sed fides tantum auribus. Si quid dogmatum emanasset in publicum, negare palam, quod in cubiculis doceret. Si aperte proponendus error, alienam inducere personam; si suo nomine loqui cogeretur, dubitantis more, timideque afferre, de quo simularet se velle doceri. Si ex libris argueretur cujusdam assertionis, libros causari vel non esse suos, vel prius subreptos, quam emendarentur. Si ex confessis urgeri contingeret, sententias interpretari verbis perplexis & in speciem catholicis. Si necessitas foret, Ecclesiæ nonnulla damnanti consentire, damnare libenter omnia, sed, ut agebat, Ecclesiæ sensu, id est: eo, quem postea fingeret ad arbitrium. Si aliquando fidem exponere deberet, copiose prosequi plurima, de quibus non interrogaretur; de re vel nihil, vel ambiguum quiddam eloqui &c.*

His artibus, acutissimoque ingenio instructus, plurimos in suam hæresim pellexit. Inter eos eminuit Cœlestius, qui suo Magistro audacior, venenum per Africæ provincias sparsit. Synodali judicio Carthagine damnatus, ac anathemate percussus anno CCCCXII. in Asiam transmisit, ubi novo furore, ex omni hominum genere non paucos suis erroribus infecit, dictos subinde *Cœlestianos*. Pelagius interea in Palæstina tum voce, tum scriptis Ecclesiam vehementer turbavit, quem S. Augustinus libro edito de natura & gratia anno CCCCXV. retudit post D. Hieronymum, qui ætate & linguarum peritia Augustino major, cum primus impugnavit. Accusatus apud Palæstinos Antistites, quod negaret ad opera meritoria vitæ æternæ necessariam esse gratiam Dei, in Synodo Diospolitana XII. Epi-

scoporum, hunc suum errorem ambiguis verbis revocavit, bonifque Patribus illudit. Nam fatebatur gratiam esse necessariam, verum eo nomine libertatem naturalem homini a Deo collatam intellexit, atque ita omni suspitione hæresis absolutus fuit. Detectis fraudibus, in Concil. Milevitano II. cui & Augustinus interfuit, damnatur anno CCCCVI. Hujus Concilii, uti & Carthaginensis adversus Cœlestium celebrati, acta Innocentius I. summus Pontif. confirmavit. Innocentii literis in Africam perlatis, Augustinus *serm. CXXXI. C. X.* populum adhortans: *Ubi tales, inquit, Pelagianos inveneritis, occultare nolite; non sit in vobis perversa misericordia - - Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est; utinam aliquando finiatur error.* A Zozimo Innocentii successore rursus damnatus, insuper ab Honorio Imp. Roma, quo, ut Pontificem falleret, semet contulerat, cum suis sociis ejicitur. In patriam suam reversus, erroribus pertinaciter immoritur. Alter discipulus Pelagii erat Julianus in Apulia natus, subinde Episcopus, Eloquentia tumidus, ut res Pelagianorum proveheret, multa conscripsit ab Augustino refutata. Italia depulsus Constantinopolim migravit; verum a Mario Mercatore detecta ejus hæresi, in Siciliam secessit, ubi in ignobili vico Ludimagister pueros instituens, misere obiit. De Pelagii, Pelagianorumque historia plura reperire licet apud Doctissimum Dionys. Petavium *Lib. de Pelagian. & Semipelag. dogmat. hist. Alexand. Natal. Secul. V. c. III.*

IV. Pelagii, ejusque sequacium non erat semper constans, eademque doctrina. Etenim *imo*: initio hæresis suæ docebat, nullam gratiam homini necessariam esse, sed solas vires naturales liberi arbitrii sufficere ad implenda omnia præcepta, superandas quaslibet tentationes, exercenda, *sicut oportet*, quarumvis virtutum officia, & denique ad salutem æternam obtinendam. Hinc librum edidit in naturæ laudem, quem S. Augustinus confutavit *libro de natura & gratia* conscripto. Primum hunc Pelagii errorem discimus ex August. *Serm. XXVI* alias *XI. de verbis Apostoli* Pelagianos sic loquentes inducente: *Ipsi fecimus nos, id est: ut justi essemus, justos nos libera voluntate fecimus. Quando conditi sumus, liberum arbitrium accepimus. Ut ergo justii simus, libero id arbitrio agimus.*

Quid adhuc Deum invocamus, ut justos nos faciat, quod habemus in potestate, ut justos nos ipsi faciamus?

V. Cum ob suam doctrinam male acciperetur a Catholicis Pelagius, admisit necessariam esse gratiam, sed hujus nomine liberum arbitrium intellexit, ut vidimus Num. precedente. Patet istud ex ejusdem Augustini laudato sermone, ubi de Pelagianis hunc in modum loquitur: *Disputantes ergo contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & catholicis offensionem, ceperunt horreri, ceperunt ut certa perniciēs devitari; cepit de illis dici, quod contra gratiam disputarent. Et invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam DEI disputo. Unde probas? eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Vide acumen, sed vitreum.*

VI. Objurgatus a Catholicis, quod nullam aliam præter liberum arbitrium agnosceret gratiam, confessus est extrinsecam gratiam, nempe legem & doctrinam, virtutes item & exempla Christi, ut quemadmodum Adam nobis obfuit exemplo malo, ita Christus prodesset exemplo bono; quam ipsam tamen gratiam negavit esse simpliciter, sed solum ad facilius posse necessariam. Id rursus discimus ex Augustino *Lib. de gratia Christi C. XII.* in hunc modum loquente: *Sed hoc adiutorium legis, atque doctrinæ (ait Pelagius) etiam prophetis fuisse temporibus, adiutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratum exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur: ut videlicet tanquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via; quamvis & ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura, sed facilius, si adjuvat gratia.*

VII. Tandem visus est Pelagius internam actualem, eamque supernaturalem gratiam admisisse, in sola tamen intellectus illuminatione sitam, qua mens illustretur, sed ea non juvetur, nec excitetur voluntas infirma. Indicant id ipsius Pelagii verba apud Augustinum *Lib. de gratia Christi c. VII.* relata: *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum dia-*

boli perdit infidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat. Nihilominus dubium manet apud nonnullos: an Pelagius admiserit gratiam, quæ esset interior & supernaturalis illustratio intellectus: potuit enim homo vasserimus, & ad illudendum Catholicis promptissimus, per laudata verba intelligere cognitionem ac cogitationem *naturaliter* ortam ex propositione legis, doctrinæ & exemplorum Christi, quo non obstante, ea cognitio potuisset dici esse donum Dei, quia promulgatio Evangelii nobis facta est ex speciali Dei providentia; idcirco etiam cogitationes inde in nobis naturaliter obortæ & excitatæ, potuissent appellari gratiæ.

VIII. Interim qualemcunque gratiam internam, eamque ad solum intellectum, non vero voluntatem, pertinentem confessus fuerit, attamen docuit *imo*: hanc gratiam non esse necessariam ad simpliciter, sed solum ad facilius posse operari bona, & mala evitare esse utilem. Sic enim refert Augustinus doctrinam illius *Lib. de hæresibus hæresi LXXXVIII.* ubi relatis Pelagii verbis: *Ad hoc eam* (nempe gratiam internam illuminationis) *dari hominibus, ut quæ facere per liberam jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam,* subdit S. Doctor: *Dicendo utique ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia Divina facere iussa.* Docuit *2do*: hanc ipsam gratiam non esse gratuitam, sed bonis naturæ meritis obtineri posse, ut testatur August. *Lib. de gratia & libero arbitr. c. XIV.* *Cum fuerint, inquit, convicti, non defensores, sed instatores & præcipitatores liberi arbitrii, - - - ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Id ipsum produunt verba Pelagii in epistola ad Innocentium I. data: *Illi idso iudicandi, atque damnandi sunt, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possunt, & Dei gratiam promoveri, male utuntur libertate concessa. Hi vero remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio, merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Cæterum nomine hæresis Pelagianæ semper venit, quod ea necessitatem gratiæ ad salutariter operandum, atque adeo etiam ad salutem obtinendam negaverit.

Quær. Utrum Pelagius admiserit aliquando interiorem gratiam 22
inspiracionis, seu interiorem gratiam ex parte voluntatis, qua vi-

delicet gratia Deus immediate afficiat, & corroboret voluntatem, eique vires tribuat ad faciendum id, quod faciendum esse cognoverit per interiorum illustrationem? *æ. negative.* Istud probatur cum Simonneto ex *Lib. de gratia Christi*, quem ad defendendam inspirationis gratiam adversus Pelagium & Cœlestium scripsit S. Augustinus. Ex hoc libro discimus I. Pelagium tria in homine distinguisse, nempe possibilitatem, voluntatem, hoc est: volitionem, & actionem, seu posse, velle, & agere: *Ecce*, inquit Augustinus c. V. *totum dogma Pelagii, in libro ejus tertio, pro libero arbitrio his omnino verbis diligenter expressum, quo tria ista: unum quod est posse, alterum, quod est velle, tertium quod est esse, (sive agere) id est: possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta subtilitate curavit distinguere.* Discimus II. Pelagium sensitse, ex his tribus, solam possibilitatem a Deo adjuvari, non item voluntatem seu volitionem, aut actionem: *Scire quippe debemus, prosequitur S. Augustinus eodem cap. quod nec voluntatem nostram, nec actionem Divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo tanquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura; cætera vero duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; & ideo non adjuvet, ut agamus, sed tantummodo adjuvet, ut velle & agere valeamus.* Discimus III. Pelagium hoc possibilitatis adiutorium constituisse tantum in lege & doctrina, quibus vocibus Augustinus intelligit etiam virtutes & exempla Christi cum interna illustratione: *Hanc autem, ait S. Doctor c. VI. naturam possibilitatem, quam adjuvari Dei gratia consuetur Pelagius, non est hic apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari: sed sicut aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi, quam legem atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur.* Immo discimus IV. Pelagium nullam unquam interiorum admisisse gratiam, qua voluntas & actio immediate adjuvantur, quæve gratia inspirationis dicitur: *Illos etiam ait August. c. XXXIV. quos in eisdem literis, quas misit Pelagius, ad sanctæ memoriæ Papam Innocentium, libros suos vel scripta commemorat, legi præter unam epistolam, quam se brevem misisse ad Sanctum Constantium Episcopum dicit; nec alicubi potui reperire,*
hanc

hanc eum gratiam confiteri, qua non solum possibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere, etiamsi nec volumus, nec agimus bonum, sed ipsa etiam voluntas & actio subministratione Sancti Spiritus adjuvatur. Istud ipsum testatur S. Doctor c. XXX. de Cœlestio Pelagii discipulo, se in omnibus ejus scriptis non aliud reperisse, quam eum Dei gratiam, qua juvamus ad bonum faciendum, vel ad declinandum a malo, ponere in naturali voluntatis arbitrio, cui adveniat lex & doctrina, adeoque eum non aliam, præter naturale arbitrium, gratiam interioriorem confiteri, nisi ad summum illustrationem, qua homini divinitus innotescit bonum agendum, vel malum vitandum, nusquam vero confiteri internam inspirationem, qua homini conferantur vires ad faciendum id, quod norit esse faciendum, immo clarissime asserere, orationem ad hoc præcise necessariam esse, ut homo per eam impetret illustrationis gratiam, quacum liberi arbitrii vires sufficiunt ad concupiscendum & diligendum, quod in ordine ad salutem concupiscere & diligere oportet.

Neque dixeris Pelagium apud Augustinum *Lib. de gratia Christi* c. X. agnovisse gratiam, quæ in quadam voluntatis motione & excitatione sita foret, his verbis: *operatur, inquit Pelagius, in nobis velle, quod bonum est, quod Sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, inutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium DEI stupentem suscitatur voluntatem, dum nobis - - - suadet omne, quod bonum est; nam r. Pelagium ejusm. verbis non aliam gratiam agnoscere, quam gratiam legis atque doctrinæ, & gratiam intellectus, quæ ad legem & doctrinam pertinent, cum interna illuminatio solum doceat & illuminet intellectum, quod etiam faciunt lex, & doctrina exterius proposita per prædicatores v. g. fidei, aut pœnitentiæ. Id advertit Augustinus verbis Pelagii hæc subjiciens: *Quid manifestius, nihil eum aliud dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle, quod bonum est, quam legem atque doctrinam? in lege namque & doctrina sanctorum Scripturarum, futuræ gloriæ, atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia revelatur. Ad doctrinam pertinet, cum suadet omne, quod bonum est.* Reliquam licet de gratia actuali, quæ*

Pelagium inter & Catholicos intercessit, commodiore loco expediemus.

De Semipelagianis, eorumque erroribus.

24 IX. **P**elagianæ hæresis partem aliquam tuiti sunt Semipelagiani, sic nominati, quod partim cum Ecclesia contra Pelagium, partim cum eo sentirent: dicti etiam Massilienses, quod Massiliæ in Galliis præcipui ejus sectæ defensores constiterint. Errandi occasionem sumpserunt ex libris D. Augustini adversus Pelagium, male intellectis. Cum enim in iis S. Doctor non solum necessariam esse doceret gratiam supernaturalem, ad pie & sancte vivendum, sed etiam *gratis* omnino conferri sine præviis ullis hominum meritis, eo tandem in illis disputationibus pervenit, ut videretur humanæ salutis ac justificationis negotium ad solam Dei electionem, & prædestinationem revocare. Qua doctrina non intellecta, exorti sunt *Prædestinatiani* seu, ut alii dicunt, Prædestinati, qui per prædestinationem & reprobationem existimarunt sublatum hominis arbitrium, inutiles esse exhortationes & correptiones, Deum esse personarum acceptorem pro solo suo placito aliis gratiam dantem, aliis negantem. Hoc sui erroris præsidium acceperunt a Pelagianis, de quibus Augustinus in sua ad *Sixtum epist. CV.* ait: *Personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quos dignatur, vocat.* Denique nulla bona opera prodesse, aut mala obesse putarunt, sed solam gratiam ex prædestinatione datam sufficere ad salutem. Hæc pleraque complexus est Sigebertus Gemblacensis Monachus ad annum Christi CCCCXV. his verbis: *Prædestinatorum hæresis hoc tempore cepit serpere, qui ideo prædestinati vocantur, quia de prædestinatione & Divina gratia disputantes, asserebant, quod nec pie viventibus proffit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impiis obset, quod improbe vivant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio & bonos a bonis vocabat, & malos ad mala provocabat. Hæc hæresis ex libris Augustini male intellectis initium sumpsisse dicitur.*

25 X. His erroribus offensi in Africa Adrumetini Monachi, & quidam alii cæteroquin pii viri, præsertim in Galliis Massilienses,

nova condidere dogmata eo consilio, ut & a Pelagianis, & Prædestinacionis discederent. Iti igitur contra Prædestinacionianos, aliquas in negotio salutis etiam libero arbitrio partes attribuerunt: contra Pelagianos autem gratiam Dei supernaturalem, non quidem ad inchoandam, sed perficiendam salutem, & ad proficiendum in bonis operibus, necessariam esse fatebantur. Proinde asseriebant, saltem initium salutis & fidei esse a nobis, in quantum videlicet liberum hominis arbitrium solis naturæ viribus, nulla interiore Dei gratia supernaturali præventis, desiderando, petendo, commendando se Deo, illud auspiciari potest, potestque ponere fidem quandam inchoatam, desiderium sanitatis & salutis, ita ut mediantibus istis tanquam naturalibus meritis de congruo, debeatur & conferatur infallibiliter gratia Christi, per quam perfecte sanemur, & salutem exercitio bonorum operum consequamur. Istim Semipelagianorum erroneam doctrinam hac similitudine adumbrat Faustus Regiensis Episc. & ipse Semipelagianus *Lib. I. de liber. arbit. c. XVII.* Ita, inquit, *se duo ista conjungunt, attrahentis virtus & obedientis affectus, quomodo si æger aliquis assurgere conatur, & facultas unum non sequatur, & propterea sibi porrigi dextram deprecetur. Exclamat voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus invitat volentem ex solis arbitrii viribus, attrahit desiderantem ex solis arbitrii viribus, erigit adnitentem ex solis arbitrii viribus.*

Idem Error Semipelagianorum, quo docebant, initium fidei & salutis esse a viribus arbitrii, a naturali libertate seu possibilitate, ab ipsa natura; item gratiam esse posteriorem bona voluntate, patet ex plurimis testimoniis. Sic Joan. Cassianus Semipelagianorum non ignobilis Dux *Collat. XIII. C. VIII.* ait: *Cum Deus in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat illam confestim atque confortat & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei &c.* Adversus Cassianum edidit librum S. Prosper, quem inscripsit: *Contra Collatorem.* S. Augustinus, qui duobus libris, uno de *prædestinatione Sanctorum*, altero de *dono perseverantiæ*, hunc errorem jugulavit; in priori libro Cap. II. statim aperit, quid sibi probandum statuerit: *Nunc eis, inquit, respondendum esse video, qui Divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incremen-*

rum ejus ex Deo: tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis, eo merito, quo cæpit a nobis. Et Cap. III. ingenuè fatetur, se ante Episcopatum suum semipelagianorum errore irretitum fuisse. Nam allatis iis Apostoli verbis: *Quid habes, quod non accepisti: ita prosequitur: Quo præcipue testimonio etiam convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos imperrare Dei dona, quibus temperanter, & juste & pie vivamus in hoc seculo. Neque enim fidem putabam gratia præveniri &c.* En errorem Semipelagianorum expictum! *Lib. verò de dono persever. C. XXIII. ait: Putant Semipelagiani esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus, & hoc esse dicunt, quod gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus, nec volunt intelligere etiam hoc Divini muneris esse, ut oremus, hoc est: petamus, quæramus, atque pulsemus.*

26

XI. Errarunt itaque Semipelagiani imo: quia docebant cum Pelagio initium fidei, justitiæ, & salutis esse ex nobis, adeoque posse nos, per solas naturales vires liberi arbitrii desiderare & orare fidem ac piam vitam, ut Deus intuitu illius desiderii & orationis naturalis, det gratiam in præmium ad credendum reipsa & pie vivendum necessariam, secundum dicta Num. priorè. Unde fiebat, ut gratiam Dei, quam ad perficiendam salutem requirebant, dicerent esse *pedissequam* voluntatis naturalis, quæ nulli volenti negetur. Error iste capitalis patet ex censura IV. propositionis, inter famosas quinque Jansenii his verbis conceptæ: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, obtemperare. Hanc propositionem, ajunt summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

2^{to}: Quia docebant liberum arbitrium non præveniri gratia, sed gratiam præveniri a libero arbitrio, atque adeo gratiam esse in ejus potestate, nec necessariam esse ad incipiendum salutare opus, sed ad prosequendum, ut constat ex dictis. Certe negarunt gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei, ac salutis,

Hanc

Hanc vero contra eos disputans Augustinus , cum cæteris PP. exigebat.

3tio: Errarunt: quia nullum speciale donum finalis perseverantiæ agnovere ; & docebant Deum , quantum est de se , æqualiter & indifferenter velle salutem omnium , ac proinde æqualiter & indifferenter paratum esse , ad danda auxilia omnibus hominibus ad salutem necessaria , solumque expectare , ut secundum vires naturales , quas habent , ponant initia salutis , id est: desiderent , conentur , orent ; ita ut per hujusm. actus quilibet mereatur , & infallibiter obtineat gratiam , quam pro arbitrio retinere vel abjicere possit. Istud colligimus ex epistola S. Prosperi ad Augustinum , in qua scribit: Semipelagianos docere : *Quantum ad Deum pertinet , omnibus paratam vitam æternam : quantum autem ad arbitrii libertatem , ab his eam apprehendi , qui Deo sponte crediderint , & auxilium gratiæ , merito credulitatis acceperint.*

4to: Quia docebant , Christum pro omnibus indifferenter mortuum esse (quem errorem rejeci in *Tract. de Verbi Divini mysterio Dissert. IV. C. III.*) atque illius meritorum & gratiarum thesaurum omnibus indifferenter expositum ; haurire proinde ex illo omnem posse , qui vellet ; velle autem eum , qui meritum naturalis fidei , desiderii & orationis ponit , cui merito sicut semper conferitur gratia , ita sine illo semper negetur. Ex quo habes eos existimasse , discretionem fidelis ab infideli , justi ab injusto , non a Deo , vel gratia , sed a naturalis fidei , & desiderii merito repetendam esse.

5to: Errarunt: quia docebant , ideo certis hominibus prædicari Evangelium , non item aliis , quod illos potius , quam hos sub conditione prædicandi iis Evangelii , Deus præviderit *suismet viribus naturalibus* credituros , atque sic ob hoc naturalis fidei meritum sub conditione futurum , voluisse his potius , quam aliis Evangelium prædicari. Cum vero urgerentur exemplo parvulorum , quorum alii cum baptismo moriuntur , alii sine baptismo , licet omnes in eodem originali peccato (nam hoc peccatum contra Pelagianos confessi sunt) nascantur , nec fuerint perventuri ad eam ætatem , in qua prævisi fuerint a Deo aliquid etiam naturalis boni operaturi? respondebant : quod Deus præviderit conditionate futura parvulorum merita naturalia v. g. desiderium fidei &c. quæ pone-

rent, si ad adultam ætatem pervenirent, ac propter ista merita absolute nunquam futura, in præmium largiatur baptismum & salutem; alios autem, in quibus merita sic non prævidet, sed potius demerita, permittat mori, damnarique. De hoc miserabili Semipelagianorum effugio, hunc in modum scribit Augustinus *Lib. de prædest. Sanctor. C. XII.* Unde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, ut futura, quæ non sunt futura puniantur, aut honorentur merita parvulorum. Merita pure futuribilia vocat S. Doctor *merita futura, quæ non sunt futura*, & quidem recte, quia non sunt futura absolute, adeoque non sunt futura eo modo, qui secundum prudentem æstimationem requiritur ad hoc, ut in ordine ad puniendum, vel remunerandum, illorum possit haberi ratio. Vide Simonnetum *Disp. I. art. IV.* Thyrsium Gonzalez *Tom. I. Disp. XII. Sect. III.*

- 27 XII. Hi præcipui erant Semipelagianorum errores, quos in Gallia propugnarunt inprimis Joannes Cassianus, & Faustus. Ille ex Scythia oriundus, vel ut aliis placet, Gallus in Provincia natus, erecto Massiliæ Cœnobio magnum pietatis & eruditionis nomen sibi peperit vulgato libro *Collationum Patrum.* Faustus vero ex Abbate Lirinensi renunciatus Episcopus Regiensis in Gallia, natione Britannus, libros edidit *de gratia & libero arbitrio*, in quibus Augustinianam doctrinam carpit & Semipelagianos defendit. His accessit Gennadius Massiliensis Presbyter, qui Fausti libros magnopere commendat, & Cassiani doctrinam male reprehensam a S. Prospero, scribit *Libro de viris illustribus C. LXXXIV.* Hi alii que Semipelagiani, antequam a Synodo Arausicana II. anno DXXIX. sub Felice IV. damnati fuissent ut hæretici, tanquam viri pietatis, eruditionis ac ingenii laude conspicui habebantur, & in Catholica communione permanserunt. Præter Augustinum, Prosperum, Fulgentium, impugnarunt Semipelagianos Cæsius Arelatensis, Joannes Antiochenus Episcopi.

De erroribus Lutheri & Calvini.

- 28 XIII. **L**utherus, & Calvinus (eorum ortum & res gestas scribere operæ pretium haud duxi) errarunt docentes *1mo*: Hominem non potuisse creari sine justitia originali, ut dictum Num. 8.

2do:

2do: Naturam humanam peccato originali esse ita corruptam, ut ab ea nihil possit procedere, nisi peccatum.

3tio. Liberum arbitrium in natura lapsa esse penitus extinctum; sic Lutherus in art. XXXVI. quos Leo X. proscripsit, ait: *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo.* Et in assertione eorundem articulorum: *Liberum*, inquit, *arbitrium est signum in rebus, seu titulus sine re.* Calvinus pariter in *Antidoto ad Can. V. Sess. VI. Conc. Trident.* Quia, inquit, *per liberum arbitrium intelligunt PP. Tridentini eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta, titulum sine re esse, qui affirmant, Christum habent auctorem &c.*

4to: Hominem ex quadam necessitate agi vel a concupiscentia in peccatum, vel a gratia in bonum, adeoque non esse in potestate voluntatis humanæ, moventi gratiæ consentire vel dissentire, sed necessario consentire. *Voluntatem Deus movet*, ait Calvinus *Lib. II. Instit. C. III. non qualiter multis seculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo.* . . . *Neque secus accipi sententia Christi potest, omnis, qui audivit a Patre meo, venit ad me, quam ut efficacem a seipsa Dei gratiam doceat.* Lutherus vero *lib. de servo arbit.* Ita loquitur: *Necessario operamur sive bonum, sive malum; necessario inquam, non vero coacte; & ut aperitius suam mentem declaret, hac utitur similitudine: Humana voluntas in medio posita est sicut jumentum; si insederit Satan, vult & vadit, quo vult Satan, si insederit Deus, vult & vadit, quo vult Deus.*

5to: Voluntatem assentiendo vocanti Deo, nihil ex seipsa cooperari, hoc est: nihil partiali virtute, etsi per gratiam elevata, agere, sed Deum esse causam totalem & adæquatam consensus, quem in voluntate & per voluntatem operatur. Ita Calvinus *Lib. V. de libero arbit.* *Nego, inquit, gratiam sic nobis offerri, ut nostræ postea sit optionis vel obtemperare, vel refragari: nego tantum in hoc dari, ut imbecillitatem nostram subsidio suo adjuvet: quasi in nobis alias quidquam sit firmum: sed hoc in solidum illius opus, ac beneficium esse confirmo, ut cor nostrum ex lapideo in carneum vertatur.* Et *lib. III. Instit. C. XV.* Sorbonicos seu Catholicos suggillat, quod etsi principalem boni operis causam referant ad gratiam,

libero tamen hominis arbitrio aliquam ipsius partem attribuant. *Quia vident, inquit, parum valere ad hominem attollendum bona opera, ac ne merita quidem proprie vocari, si Divinae gratiae fructus censeantur: ex vi liberi arbitrii ea eliciunt, oleum scilicet ex lapide. Ac principalem quidem causam in gratia esse non negant; sed eo tamen contendunt non excludi liberum arbitrium, per quod fit omne meritum.* Censet igitur Calvinus, omne boni operis meritum in solidum a Deo esse, nec liberum arbitrium quidquam de suo conferre. Addit praeterea aperte Lutherus: voluntatem nostram se non habere *active* ad actus bonos, sed ab extrinseco eos recipere, & mere pati; quod etiam sequi videtur e doctrina Calviniani, cum nullam veram cooperationem liberi arbitrii, nullum verum influxum ipsius ad bonum opus, quatenus naturam meriti induit, agnoscat, eo quod per gratiae influxum necessario ad unum determinetur, ut Cl. Tournelyus *Tom. III. de gratia Christi, quaest. III.* ostendit. Denique vim & efficaciam gratiae Calvinus repetit ex delectatione victrice seu superiori.

De Michael Bajo, ejusque erroribus.

- 29 XIV. **H**Os haeresum conditores secutus est Michael Bajus, ut videre licet in LXXIX. propositionibus ipsius, a Pio V. Gregorio VIII. Urbano VIII. damnatis, in materia gratiae, liberi arbitrii &c. ut XXXIX. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* XLI. *Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.* LXXVI. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali &c.* Ortum habuit Bajus Melini apud Belgas in agro Atheniensi anno MDXIII. Laurea Theologica in Facultate Lovaniensi donatus anno MDL. anno insequente Regius sacrarum literarum Professor instituitur a Carolo V. Hispaniarum Rege. Eo in munere cum suspectas sententias doceret, Ruardus Tapperus, quem Magistrum habuerat Bajus, & Jodocus Ravensteinus, eundem impugnaverunt. Non post multo Fratres Minores acrius in Bajum inventi, XVIII. articulos ipsius Parisinae Facultati porrexere, quos etiam sacra Facultas sua censura notavit anno MDLX. Altero anno complures propositiones Baji, ad Cardinalem Granvellanum Mechli-

chliniensem Antislitem delatæ sunt, quas author in meliorem sensum interpretatus, satisfecisse videbatur Cardinali & Pio IV. Pontifici, qui utrique parti silentium indixit.

A Philippo II. Hispaniarum Rege ad Concilium Tridentinum missus anno MDLXIII. quo plena tranquillitas eo absente rediret Lovaniensi Academia; inde redux vulgavit opuscula de *libero arbitrio*, de *charitate*, de *justificatione*, de *virtutibus impiorum* &c. Recruduerunt illico dissidia. Decerptæ sunt e dictis opusculis non pauca propositiones, quas Pius V. anno MDLXVII. cal. octob. solenni constitutione damnavit, tacito Baji nomine ad preces Granvellani. Mox Aologiam suæ doctrinæ ad Pontificem dedit, in qua commemorat: inter sententias damnatas, plurimas sibi falso imputari, atque eas ad mentem S. Augustini veras esse; utque rescinderet Bullam, oravit; sed frustra. Verum cum aliqui damnatos articulos pertinaciter tueri pergerent, Gregorius XIII. Pii V. successor, dictam constitutionem confirmavit, misso Lovanium Francisco Toletum Soc. Jesu, Concionatore Pontificio, postea Cardinale, qui novam promulgaret Bullam, & ab omnibus, ea, qua par est, reverentia, recipi curaret. Hujus opera Bajus suos errores revocavit, obiitque MDLXXXIX. die XVI. Septembr. annos natus LXXVII.

Quid præstiterit Toletus e verbis ipsius Baji, publico instrumento, quod subscripsit, insertis colligere licet: *Ego Michael Bay Cancellarius Universitatis Lovaniensis, agnosco & profiteor me, ex variis colloquiis & communicationibus habitis cum R. P. Francisco Toletum, Concionatore suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter misso, super diversis sententiis - - - ita motum & eo perductum esse, ut plane persuasum mihi habeam, earum omnium sententiarum damnationem, atque prohibitionem jure, meritoque, ac non nisi maturo judicio & diligentissima excussione præmissis factam, atque decretam esse. - - - Denique declaro, me in præsentiarum ab his omnibus recedere, & damnationi a S. Sede factæ acquiescere, neque posthac ullas docere, asserere, aut defendere velle. Actum die XXIV. Martii. MDLXXX.*

Vivente Bajo, discipuli ipsius Bullam Pii V. eludere conabantur. Ea clauderetur his verbis: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto* 30
su-

sustineri possent, in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respective - - damnamus. Ex hujus Bullæ exemplari transcriptum est aliud sine commatibus seu virgulis & interpunctionibus (ut in Romana Curia fieri consuevit) ac Lovanium missum: unde Bajani ansam arripuerunt, Bullam ita intelligendam esse, ut verba illa: *in rigore & proprio sensu* conjungenda sint cum antecedentibus absque ullo commate, & virgula disjunctiva, proindeque sensum Pontificis esse hunc: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas &c. damnamus.* Hincque inferebant: aliquas ex propositionibus condemnatis a Pio V. & Gregorio XIII. in rigore & proprio verborum sensu a Bajo & aliis intento veras esse, & solum proscriptas fuisse, quia offensionem erant, propterea quod opiniones contrariæ essent in Scholis communes. Hoc fucos Jansenius inobedientiam suam erga Bullam duorum Pontificum tegens, renovare ausus est doctrinam Bajanam. Verum si ita se res habet, ut fingunt Bajani: sequitur I. Pontifices damnasse propositiones, quas ipsimet fatentur sustineri posse. Quid autem absurdius, & summis Pontificibus magis injuriosum fingi potest? sequitur II. Pontifices non damnasse propositiones in proprio verborum sensu ab assertoribus intento, sed alieno & extraneo, qui ad Bajum non pertinet; & tamen ipse Bajus suas esse propositiones agnovit, & retractavit. Deinde cum in exemplari MS. Lovanium transmissio nullæ interpunctiones sint positæ, quo fundamento dicere potuerunt, verba Bullæ esse connectenda hoc modo: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento?* Plura reperies apud Thyrsium Gonzalez Tom. IV. Disp. IV. & Tournelyum loco laudato.

De Cornelio Jansenio, ejusque erroribus.

31 XV. **C**ornelius Jansenius (diversus a Cornelio Jansenio Gandavensi Episcopo) Iprensis in Belgio Episcopus, errores Bajanos defendendos suscepit. Natus est is anno MDLXXXV. apud Ba-

Batavos in agro Leerdamensi e Catholicis parentibus. Ultrajecti literis humanioribus, Lovanii Philosophiæ & Theologiæ operam dedit sub disciplina Jacobi Janſonii doctrinæ Baji defenſoris. Pariſiis & Bajonæ verſatus, conſilio Abbatis San-Cyrani novum circa gratiam ſyſtema elaborare cœpit. Laurea Theologica a Lovanienſi Facultate inſignitus, Regius Sacrarum literarum Profeſſor Lovanii renunciatur anno MDCXXX. & quinquennio poſt Ipreſem inſulam obtinuit; demum lue peſtifera die VI. Maji anno MDCXXXVIII. in communionem Eccleſiæ extinctus. Opus, quod primum inſcripſerat *Apologia Baji*, ut quidam referunt, ſubinde *Auguſtinus*, (quod exiſtimaret, ſe ſinceram Auguſtini doctrinam de gratia Chriſti, quingentis annis exulem, revocare) poſtremis annis perpolivit, ac duos & viginti annos ei concinnando impendit. Judicio ſummi Pontificis inſelicem partem ſubjecit hiſce verbis: *Quamquam eo in opere regre quidpiam mutari poſſit, ſi tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, ſum obediens plius & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi, uſque ad hunc lectum mortis obediens ſum.* Hujusm. verba in ipſomet opere ſemel atque iterum repetit. Biennio poſt mortem Janſenii, Libertus Fromondus, & Henricus Calenus, Lovanienſes Doctores, typis excuſum, elogiis, indicibus locupletatum, vulgarent in lucem. Odium, quo terebatur in noſtræ Societatis Theologos, non uno loco, ſuo in *Auguſtino* exprompſit Janſenius; Bellarminum, Soareſium, Vaſquezium, Molinam, Leſſium, Valentiam, graviffimis calumniis aſſecit. Ad calcem ſui operis ſtateram dolofam appoſuit; & in ea noſtrorum Theologorum doctrinam cum Semipelagianorum dogmatibus, vere aut falſo præſumptis, appendit, parallelum inſtituens inter Jeſuitas & Semipelagianos. At Theologi Lovanienſes Soc. Jeſu, in aſſertionibus anni MDCXLI. huic dolofæ ſtateræ triplicem oppoſuere antiſtateram fidelem, in qua 1^{mo}: Janſenii doctrinam cum definitionibus oppoſitis Concilii Trident. ex adverſo collatam exhibuere. 2^{do}: Cum propoſitionibus Michaelis Baji damnatis eandem compoſuere. 3^{io} denique: cum Lutheri & Calvinii erroribus. Subinde P. Steph. Deſchams e S. J. illuſtre opus vulgavit in tres libros diviſum, quorum primus eſt: *Janſenius hæreticorum plagiarius*. Secundus: *Janſenius pridem cum hæreticis damnatus*. Tertius: *Janſenius poſt hæreticos S. Auguſtini corruptor*. Præter hunc, in Janſenium calamum ſtrinxere Fran. Annatus,

Joan. Mart. Ripalda, Joan. Martinonius, Ludov. de Marche, & alii. Inde odia Jansenianorum in nostram Societatem, & infames libelli de ejus doctrina morali &c.

32 Dum in edendo *Augustino* Jansenii prælum Lovanii sudat, singula folia Romam ad examen mittuntur. Unde vix typis editus, ab Urbano VIII. die IV. Martii anno MDCXLI. data constitutione *In eminenti* damnatur. Interim in Belgio & Gallia a Jansenianarum partium studiosis turbæ concitantur. Igitur Innocentius X. anno MDCL. ad examen revocavit V. famosas propositiones Jansenii. Celebratis duorum annorum spatio XXXVI. congregationibus, coram V. Cardinalibus, & XIII. Consultoribus Theologis ex omni Ordine delectis, Innocentius edita constitutione: *Cum occasione impressionis libri*, famosas propositiones tanquam falsas & hæreticas proscripsit. Hanc Constitutionem Rex Gallia cum Clero Gallicano, Italia, Hispania, Germania, Ordines Sacri, Academiae susceperunt, demptis pauculis, Jansenitarum partibus addictis, quodve vanissimum, negantibus eas propositiones in libro Jansenii reperiri, sed pro arbitrio confictas, vel non in sensu ab eodem intento damnatas esse.

Istud Jansenianorum effugium Alexander VII. anno MDCLVI. decreto edito interclusit, dum disertis verbis declaravit, V. illas propositiones ex libro Cornelii Jansenii excerptas, *ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse*. Ut vim decreti infringere Janseniani, præsidium quasi vere celebri illa *facti*, & *juris* distinctione, asserentes: quæstionem de hæresi alicujus libri, quæstionem *facti* esse, atque Ecclesiam, vel Pontificem perinde errare posse in quæstione de hæresi alicujus libri, quam in quæstione de patrato v. g. homicidio, furto &c. cujus decisio ex testimoniis humanis peti debet. Verum etsi in quæstionibus *puri facti* errare possit Pontifex, non tamen si eæ conjunctæ sint cum quæstione juris, seu sint *facti dogmatici*, ut docui *Tract. de virtut. Theol. Dissert. IV. Num. 410*. Cui utique mixta est hæc quæstio: quis sensus sit a Jansenio intentus; an nempe V. propositiones Jansenii in sensu obvio & vulgari, quem verba præferunt, sint conformes, necne doctrinae Catholicae? non enim ullus Pontifex definivit, Jansenium sic *interne* sensisse, aut sensisse proprie quid hæreticum, sed V. propositiones esse eatenus in sensu ab authore intento hæreticas, quate.

tenus obvius illarum propositionum sensus, quem verba præferunt, doctrinæ Catholicæ adversatur; unde etiam Innocentius XI. anno MDCXCIV. in sua constitutione ad Episcopos Belgii data declaravit: propositiones ex Augustino Jansenii excerptas, a suis decessoribus fuisse damnatas, *in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præferunt.*

Inane hoc præsidium Alexander VII. erepturus, votis Christianissimi Regis Ludovici XIV. & Galliæ Episcoporum annuens, formulam juramenti præscripsit ab Ecclesiasticis omnibus præstandi, famosas illas propositiones excerptas fuisse ex libro Jansenii, cui nomen *Augustinus*, & in sensu ab eodem authore intento damnatas. Hoc fulmine perculsi Jansenii defensores, alii huic formulæ subscribere detrectarunt, seque in Hollandiam receperunt; alii nihil veriti solenniter mentiri & dejerare, prædictæ formulæ subscribere ad speciem. Istorum opera in Academia Duacena theses prodierunt hujus tenoris: *Sine gratia efficaci non tantum nihil boni facimus, sed nec facere possumus; qui secus sentit, Semipelagianus est. Gratia sufficiens sensu Molinistico error est, & hæresis; sensu Thomistico fatuitas & ineptia. Episcopus Iprensis factione Moliniana damnatus est. Nec ullus Pontifex apertius usquam suæ fallibilitatis dedit argumentum, quam cum damnatae sunt V. propositiones in sensu a Jansenio intento &c.* Præterea sparsi per Galliam & Belgium libelli, quibus docebatur: ad obedientiam Apostolicis Constitutionibus debitam, non esse necessarium, ut quis Janseniani libri sensum, in V. propositionibus damnatum, *interius* ut hæreticum damnet, sed satis esse, si ea de re *obsequiosum silentium teneatur.* Hanc viam eludendi juramenti formulam præclusit Clemens XI. per constitutionem: *V. neam Domini Sabaoth* anno MDCCV. datam, declarans illo silentio minime satisfieri Constitutionibus Apostolicis, *sed damnatum in V. Præjatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præferunt ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licite posse.* Subjicio jam famosas V. propositiones Jansenii, reliqua continuaturus in Paschasio Quæsnello.

XVI. I. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus, secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia,*

bilis, deest quoque illis gratia, qua possibile sunt. Hæc propositio temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata & hæretica declaratur, & ut talis damnatur. Traditur in terminis a Jansen. *Tom. III. Lib. III. de grat. Salvat. c. XIII.* & a Calvino *Institut. Lib. VIII. c. VII. & VIII.* a Luthero *in confutatione rationis Latomian.*

II. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Hæc ut hæretica declaratur, & ut talis damnatur. Traditur manifeste a Jansf. *Tom. III. Lib. II. de grat. Salvat. c. V.* a Calvino *Lib. II. Institut. c. III.* a Luthero toto libro *de seruo arbitrio.*

III. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Hæc pariter hæretica declaratur, & ut talis damnatur. Traditur a Jansf. *Tom. III. Lib. VI. de grat. Salvat. c. VI.* cui hunc titulum præfigit: *Duplex necessitas Augustino, coactionis & simplices, seu voluntaria; illa, non hæc repugnat libertati.* A Calv. *Lib. II. Instit. c. II. & III.* a Luthero *Lib. de seruo arbit.*

IV. *Semipelagianii admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Hæc falsa, & hæretica declaratur, & ut talis damnatur. Traditur a Jansf. partim *Lib. VIII. de hæres. Pelag. c. VI.* partim *Tom. III. lib. III. c. XII.* ubi ait: *Gratia sufficiens a Semipelagianis ortum habet, & inde in Catholicorum scholas translata est.* A Calv. in *Antidoto ad Car. V. Sess. VI. Conc. Trid.* & alibi sæpissime oggerit, Catholicos DD. hallucinari, quod eiusmodi admittant gratiam, cui obsequi vel repellere librum sit.

V. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem sudasse.* Hæc falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit*, impia, blasphema, contumeliosa, Divinæ pietati derogans & hæretica declaratur, & ut talis damnatur. Traditur a Jansf. *Tom. III. lib. III. de grat. Salvat. c. XI.* & a Calvino *Lib. III. Institut. c. XXIV.*

De Paschasio Quesnello, ejusque erroribus.

XVII. **P**aschasius Quesnellus Jansenianæ hæresi ad insaniam additus, non leves in Ecclesia Dei concitavit turbas. Erat is gente Gallus, patria Parisinus. In Oratorium Gallicanum nominis Jesu, a Cardinale Berullo institutum cooptatus, cum nollet subscribere adversus Baji, Jansenique doctrinam conceptæ in comitiis generalibus dicti Oratorii formulæ, e Gallia profugit an. MDCLXXXV. Bruxellis usus veste laica, cum Antonio Arnaldo exauthorato Doctore Sorbonico Jansenianæ factionis Duce diversabatur, a Governatore Belgii tandem expulsus cum socio anno MDCXC. Delphos Hollandiæ urbem petiit. Inde Bruxellas reversus, mortuo Arnaldo MDCXCIV. ipse evasit Jansenianorum caput. Eadem in urbe detectus, jussu Humberti Gulielmi Archi-Episcopi Mechliniensis, in palatio Episcopali captivus attinetur die XXX. Maji MDCCIII. Nocte inter XI. & XII. Septemb. ejusdem anni, amicorum opera effaeto pariete, liber evolavit in Hollandiam. Communione Ecclesiæ privatus Amstelodami obiit II. Decemb. MDCCXIX. atatis LXXXV. Damnatum suum librum *considerationum moralium* &c. Gallico sermone conscriptum, excerptasque ex eo propositiones ad mortem usque pertinax defendit. Quarto ante obitum suum die, a Pontifice ad Concilium Generale provocavit, adhibitisque duobus testibus, id ipsum scripto reliquit.

S. Leonis M. opera adjectis dissertationibus illustravit, quæ illico Romæ proscripserunt. Subinde in Belgio, Hollandia complures libellos in lucem emisit in causa Jansenii, quorum plerique a carnificibus publice combusti, incendio inclaruerunt. Sedulam quoque operam navavit, ut *Historia Congregationum de auxiliis* typis excuderetur, ut refertur apud P. Vivam in *Archi-Episcopali sententia in Patrem Quesnel lata*. Maximas turbas concivit liber *considerationum moralium in novum testamentum*, repetitis typis variis in locis excusus. Ut primum infelix partus lucem aspexit, illico ad tenebras generatim condemnatus est a Clemente XI. an. MDCCVIII. die XIII. Julii. Serpenti latius contagioni limites objecturus idem Pontifex, complurium Galliæ Episcoporum, & ipsius Regis Ludovici XIV. precibus incitatus, *sigillatim* excerptis centum & unam propositiones, quas omnes variis *respective* censuris affecit, data

constitutione *Unigenitus Dei Filius* anno MDCCXIII. die VIII. Septemb. Liqueat a propositione IX. ad XXIV. Quesnellum nullam gratiam nisi efficacem agnovisse. Tota Christi Ecclesia Petrum per Clementem loquentem secuta est. In Gallia pauculi Episcopi tergiversabantur. Verum adnidente Ludovico XIV. turbæ utcumque conquieverunt. Hoc e vivis sublato, novi tumultus ab iisdem fiunt: appellant ad Concilium Generale, exemplo novo & a solis hæreticis ac Schismaticis, in materia fidei, usitato. Malum isthoc ut extingueret idem Clemens, literas edidit *Pastoralis officii* die XXVIII. Augusti anno MDCCXVIII. universis Christi fidelibus inscriptas; quibus declarat: eos omnes, cujuscunque status, gradus, ordinis & conditionis illi sint, qui memoratæ constitutioni debitam obedientiam præstare renunt, a S. R. E. charitate profus segregatos habitum iri, nullamque deinceps sibi, vel Ecclesiæ Romanæ cum illis communionem Ecclesiasticam fore, donec rejecta penitus audacia refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ resipiscant.

36

Hoc Pontifice vita functo anno MDCCXXI. ausi sunt septem Episcopi Gallicani, ad Innocentium XIII. literas dare, quibus Apostolica Constitutio calumniose proscindebatur. Verum Innocentius Decessoris sui vestigiis insistens, literas illas meritis censuris damnavit. Rursum Benedictus XIII. anno MDCCXXV. in Concilio Romano, cui præter Purpuratos Patres multi Præsules interfuere, omnibus Episcopis & animarum pastoribus injunxit, ut Constitutio *Unigenitus* a Clemente XI. edita, ab omnibus cujuscunque conditionis & gradus, *omnimoda* ac debita obedientia & executione observetur. Demum enata his annis in Galliis controversia: utrum *refractariis* erga constitutionem *Unigenitus* sanctissimum corporis Christi viaticum expetentibus denegari debeat? commendata est Benedicto XIV. qui nuper Ecclesiam moderabatur, ut eam decideret. Hac super controversia Sapientissimus Pontifex dedit encyclicam, cujus initium: *Ex omnibus Christiani orbis regionibus*, anno MDCCCLVI. die XVI. Octob. ad S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos & Episcopos Regni Galliarum, in novissimis Comitibus Cleri Gallicani congregatos; quam cum præ manibus habeam mihi Roma a Cl. Viro P. Christophoro Mueslero Pœnit. Hung. opportune missam, ex ea quædam recito. *Tanta est profecto*, inquit summus Antistes, *in Ecclesia Dei auctoritas Apostolicæ Constitutionis, qua*

in-

incipit Unigenitus, eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium, & obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit, absque salutis æternæ discrimine, a debita erga ipsam subiectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea, quæ exorta est, controversia: utrum hujusmodi refractariis sanctissimum corporis Christi viaticum expetentibus denegari debeat, sine ulla hesitatione respondendum sit, quoties prædictæ constitutioni publice & notorie refractarii sint, denegandum eis esse; ex generali nimirum regula, quæ vetat publicum, atque notorium peccatorem ad Eucharistiæ communionis participationem admitti, sive eam publice, sive privatim requirat. Dein declarat, qui sint publici, atque notorii refractarii, quidve animarum Pastores, & Ecclesiæ Ministri in certis casibus circa viaticum dandum observare debeant &c.

Enumeratis præcipuis erroribus in materia Divinæ gratiæ obortis, eorumque authoribus, singulares quæstiones agitandæ sunt de gratia actuali.

CAPUT QUARTUM.

In quo consistat gratia actualis, & quomodo influat in actus salutare?

CUM ex dictis constet gratiam actualem esse donum aliquod supernaturale, gratis datum naturæ rationali, quo hæc ad actus salutare eliciendos elevatur, excitatur & adjuvatur; quaeritur jam: in quonam consistat hæc gratia, & an physice, vel solum moraliter influat in actus salutare? Recentiores Thomistæ, ut ait Albelda apud Ripaldam *Disp. CIV.* docent: gratiam excitantem, vel adjuvantem consistere in qualitate quadam mortua, seu non vitali, supernaturali, & ad actus, ad quos movet, physice effective influente. Hanc vero qualitatem, quam etiam *physicam præmotionem* vocant, dicunt nobis a Deo infundi, tum ad hoc, ut per illam elevati & adjuvi, actus vitales, nempe illuminationes & inspirationes supernaturales indeliberatas producere possimus, ratione cujus hæc qualitas dicatur gratia præveniens; tum etiam ad hoc, ut eadem qualitas ad actus nostros salutare physice concurrat, ratio-

tione cujus dicatur gratia adjuvans. Verum Soaresius *Tom. VII. Lib. III. c. III. de auxiliis*, cum communi sententia, non agnoscit aliam internam gratiam excitantem, quam actus illos vitales supernaturales sanctarum illustrationum & inspirationum, ac piarum affectionum, quos Deus immediate per se cum potentiis nostris in nobis efficit, adeoque gratiam excitantem ex parte intellectus esse illustrationem supernaturalem Spiritus Sancti, qua innotescit, quod latebat, & ex parte voluntatis esse piam affectionem, inspirationem, & complacentiam in bono, qua suave fit, quod non delectabat, quemadmodum loquitur S. Augustinus *Lib. II. de peccat. merit. & remiss. c. XVII. Ut innotescat, inquit, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est.* Idem Soaresius cum non paucis Authoribus tuetur: gratiam excitantem, sive sanctam cogitationem, & indeliberatam delectationem, influere in actum voluntatis deliberatum, qui ex illa ponitur, in genere causæ moralis movendo, suadendo, inspirando, delectando &c. non autem in genere causæ efficientis realiter efficiendo. Cum quibus sit

A S S E R T I O P R I M A.

Gratia interna actualis excitans & preveniens, consistit in actibus vitalibus supernaturalibus tum intellectus, per quos innotescit, quod latebat, tum voluntatis, per quos suave fit homini, quod non delectabat, vel displicere incipit malum, quod prius delectabat.

- 38 **M**omenta pro veritate assert. adfero. In quo consistat gratia excitans, desumendum est ex Scripturis, CC. & PP. cum enim doctrina de gratia non aliunde, quam ex revelatione Divina petenda sit, nullus adest alius modus veritatem assequendi, quam ex Scripturis CC. & PP. quæ nobis revelationem patefaciunt; atqui a Scripturis, CC. & PP. non traditur alia gratia excitans, quam quæ sita est in actibus vitalibus supernaturalibus intellectus & voluntatis (nam qualitatis mortuæ nulla fit mentio) ergo. M. negari prudenter nequit; m. ostenditur I. ex Scripturis: ad Ephes. 1. v. 17. & 18. dicitur: *Deus --- det vobis Spiritum Sapientia & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis &c.*

Et c. 2. ad Corinth. 4. v. 6. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei; quibus locis nomine illuminationis indicatur gratia excitans ad intellectum pertinens.* Et Psal. 20. v. 4. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, ubi designatur gratia inspirationis seu pie affectionis pertinens ad voluntatem; sic enim Augustinus Lib. 11. contra duas epist. Pelagii in hunc locum habet: Per benedictionem dulcedinis intelligit gratiam Dei, quæ sit in nobis, ut nos delectet, & amemus, quod præcipit nobis Deus.* Rursum Joan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, tractionem hanc Patris, ad voluntatis delectationem revocat Augustinus Tract. XXVI. in Joan. Quomodo, inquit, voluntate credo, si trahor? parum est voluntate, etiam voluptate traheris; si enim Poetæ dicere licuit: trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio, quanto magis dicere debemus, trahi homines ad Christum, qui delectantur veritate.* Quæ quidem ut qualitati cuiuspiam mortuæ conveniant, nemo sibi persuaserit.

II. Ex CC. Arausicanum II. can. VII definit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est: Evangelizanti prædicationi consentire posse confirmari, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Nunquid idonei sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis? sed sufficientia nostra ex Deo est, Joan. 15. 2. ad Corinth. 3. Hic locus Concilii in sequentibus sæpe usui erit. Idem Conc. can. v. ait: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est: per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, Beato Paulo dicente: Confidimus, quia qui cæpit in nobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi, ad Philip. 1. Tridentinum cum alias sæpe, tum sess. VI. C. V. ubi prævenien-**

tem gratiam, a qua justificationis exordium sumitur, describens, eamque vocationem Divinam compellans, ita prosequitur: *ut tangente Deo cor hominis, per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere potest: neque tamen gratia Dei, movere se ad justitiam coram illo, libera sua voluntate possit.*

39

III. Ex PP. S. Augustinus, qui variis in locis gratiam actualem in vitalibus actibus consistere innuit, *Lib. II. de peccat. merit. & remiss. C. XIX.* ait: *Cum autem ab illo (Deo) illius adiutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur? quam ut appareat, quod latebat, & suave fat, quod non delectabat, (Editio Antverpiana habet ut aperiat, quod latebat, & suave faciat, quod non delectabat, quæ verba a prioribus sensu non discepan) ubi voces: quid aliud? idem significat, ac nihil aliud; adeoque ex mente Augustini, gratia illa non est aliud, quam illuminatio & inspiratio vitalis. Eodem modo S. Prosper *Lib. II. de vocat. gent. C. XXVI.* explicat gratiam: *Gratia, inquit, Dei principaliter præminet suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.**

IV. Cæterum placet in rem præsentem ratiocinari. Deus etiam in ordine gratiæ & supernaturalibus accommodat se modo agendi connaturali creaturarum, ut est apud omnes in confesso, atqui voluntatis, utpote appetitus rationalis, modus agendi connaturalis est moveri cognitione, qua cognoscat bonum; & delectatione, qua alliciatur ad amplectendum bonum; igitur etiam sic movetur ad actus salutares per gratiam excitantem, proinde hæc consistit in dictis actibus. Et vero omnia prædicata gratiæ excitanti propria, conveniunt actibus supernaturalibus intellectus & voluntatis, præsertim indeliberatis; hi enim sunt donum Dei supernaturale, movent & incitant ad bonum, fiunt in nobis sine nobis moraliter & libere, licet non sine nobis physice concurrentibus. Denique reddunt hominem potentem ad actus supernaturales liberos, quia habita illuminatione supernaturali in intellectu, qua cognoscat honestas objecti, & delectatione seu pia affectione supernaturali in voluntate, qua placeat eadem honestas, suppositis alioquin viribus phy-

physicis effectivis, nihil deest, quo minus voluntas, si velit, ponat actus salutare, & vitæ æternæ meritorios.

Quod autem hi actus vitales sint reipsa supernaturales, inde colligitur: quia secus possent per vires naturæ elici, & solum darentur a Deo ad facilius posse, non ad simpliciter posse operari meritorie; utrumque vero damnatur a CC. & primum quidem ab Arausicano II. can. VII. ut vidimus Num. 38. §. II. Alterum a Tridentino sess. VI. de justificat. can. II. qui sic habet: *Si quis dixerit, ad hoc solum Divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen & difficulter possit, anathema sit.* Vide etiam Num. 21. §. VIII.

Confectaria.

I. **A**ctus intellectus, in quibus sita est gratia illuminativa, seu 40 pertinens ad intellectum, possunt esse actus omnium trium operationum, nempe apprehensionis simplicis, iudicii, & discursus supernaturalis. Nam quævis mentis operatio potest illustrando intellectum, incitare & movere voluntatem ad actus honestos ponendos, & inhonestos vitandos. Si enim aliqua non posset, tunc simplex apprehensio; at hanc, si suasiva sit, seu inclinans voluntatem ad amorem boni, quod repræsentat, non solum ad actum fidei Divinæ, verum etiam ad alios actus voluntatis honestos movere potest.

Neque dixeris I. Omne iudicium juvans ad actum supernaturalem meritorium esse actum *deliberatum* seu liberum alicujus virtutis e. g. fidei, ad quem prærequiritur gratia actualis, ergo ipsum iudicium nequit esse gratia actualis. Nam g. n. assertum, *omne iudicium esse actum deliberatum*, quia multa iudicia supernaturalia possunt esse indeliberata. Cur enim non posset iudicium supernaturale immediate a Spiritu S. esse in intellectu citra ullam deliberationem voluntatis, esto præcedat etiam simplex apprehensio. Si vero sint deliberata, præsupponunt quidem gratiam, & sic non sunt *1ma* gratia excitans, quocum stat, quod iis ratio gratiæ excitantis *2da* convenire possit, & sic possunt esse gratia excitans *2da* ad eliciendum alium actum salutarem.

Neque II. Licet iudicium v. g. assensus fidei sit supernaturalis, & juvet ad actus meritorios, attamen a CC. & PP. non numerari inter actuales gratias. *1^a*. enim n. iterum assertum; quia actui fidei nihil omnino deest, quo minus sit vere gratia illuminativa, cum sit & donum Dei, ut ait Apostolus ad Ephes. 2. & juvet ad actus supernaturales dicente Tridentino *sess. VI. de just. fiat. C. X. cooperante fide bonis operibus*, & D. Prospero *Lib. de vocat. gent. C. XXIII. Fides bonæ voluntatis, & justæ actionis est genitrix.*

41

II. Actus voluntatis, in quibus consistit gratia affectiva, sunt imprimis affectus indeliberati, & aliquando etiam deliberati. Ratio *1^{mæ}* partis est: quia gratia excitans, quam ingreditur etiam gratia affectiva, est secundum CC. & PP. quæ fit in nobis sine nobis (nempe moraliter & libere operantibus, licet non fiat sine nobis physice operantibus, utpote actus vitalis necessario procedens physice a principio vitaliter operante, nempe anima nostra) sic Concil. Arausicanum II. can. XX. ait: *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non præstet Deus, ut faciat homo; & S. Greg. Lib. XVI. moral. C. X. Superna, inquit, bonitas prius aliquid agit in nobis sine nobis, ut sequente nostro libero arbitrio bonum, quod jam appetimus, agat nobiscum; atqui actus, qui fiunt in nobis sine nobis (libere concurrentibus) sunt actus indeliberati, ergo. Unde gratia excitans 1^{ma}, seu deit sit absolute 1^{ma}, id est præcedens omnem aliam gratiam, seu comparative nempe 1^{ma} solum relate ad determinatum actum, est affectus indeliberatus. Ratio 2^{dæ} partis est: quia hujusm. affectus & actus deliberati habent omnia prædicata gratiæ excitantis: nam I. tales actus sunt dona Dei saltem in radice, prout nimirum dependent ab aliis gratiis mere gratuitis. Hinc Tridentinum *sess. VI. C. XVI.* ait: *Cujus (Dei) tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; & August. Lib. II. ad simplic. quæst. II. Mirum est, inquit, si quisquam audeat negare, dum quæritur: utrum donum Dei sit bona voluntas? II. Tales actus deliberati & meritorii, possunt movere & excitare voluntatem ad alios actus salutare; sic actus piæ affectionis, movet ad actum fidei, actus fidei ad actum spei, actus spei ad actum charitatis; item actus deliberatus imperans ad imperatum. Interim nota: hanc gratiam in actibus deliberatis consistentem esse necessariò**

gra-

gratiam *2dam*, quia supponit aliam, a qua dependet; cum enim hi actus debeant esse supernaturales, ad id ut gratia Theologica sint, ex alia priore gratia fieri debebant, quam proinde supponunt.

III. Actus indeliberatus voluntatis, in quo etiam sita est gratia excitans *1ma*, debet esse simplex, nec potest esse ab intrinseco 42 efficax. Si enim gratia *1ma* consistens in actu indeliberato, posset esse ab intrinseco efficax, proinde entitative & essentialiter connexa cum actu, v. g. amoris Dei, ad quem excitat, actus amoris nec *immediate*, nec *mediate* esset liber, adeoque nec meritorius; sed hæc consecutio nequit admitti, ergo. M. ostenditur: talis actus amoris non esset *immediate* liber, quia actus *1mus* proximus constitutus per dictam gratiam, foret essentialiter & determinate connexus cum actu amoris, proinde voluntas non haberet libertatem indifferentiæ ad ponendum, vel omittendum actum amoris. Non etiam *mediate* & in causa: quia causa amoris, nempe dicta gratia *1ma*, utpote actus indeliberatus, non esset libera homini, ergo. Hinc gratia tenens se ex parte voluntatis, seu inspiratio indeliberata, debet esse affectus simplex, & solum extrinsece efficax, in quantum movet ad positionem alterius actus, tanquam objecti sui, eumque sæpe causat, quin tamen cum eo physice, vel metaphysice connectatur v. g. affectus indeliberatus complacentiæ, & amoris, displicentiæ, odii, desiderii, timoris &c. At actus deliberatus voluntatis potest esse ab intrinseco efficax per modum imperii ab intrinseco efficacis; sic sæpe fit, ut ex auxilio gratiæ prævenientis, eliciamus *libere* actum voluntatis supernaturalem, quo nobis efficaciter imperamus alios actus variarum virtutum: jam actus libere elicitus imperans constitueret actum *1mum* proximum ad actum imperatum v. g. amoris Dei, qui actus imperans tolleret quidem libertatem immediatam amoris, amor tamen foret *mediate* ac in causa liber, nempe in ipso actu deliberato imperante ab intrinseco efficace *immediate* nobis libero; & cum libertas mediata sufficiat ad meritum, ut suppono, hujusm. actus imperans non tolleret rationem meriti, igitur haberet etiam rationem gratiæ *2de*, non obstante efficacia intrinseca. 44 Hæc clariorem lucem accipient, ubi de gratia victrici Janseniana sermonem instituemus.

A S S E R T I O S E C U N D A.

Gratia actualis consistens in actibus intellectus & voluntatis, non influit in actus salutare physice, sed solum moraliter.

- 43 **H**Æc assertio nititur rationibus TT. Gratia actualis, in quantum consistit in actibus intellectus, illustrat, docet, allicit, excitat, &c. ad actum salutarem; in quantum consistit in actibus voluntatis, inspirat, delectat, reddit suave, quod antea non delectabat &c. sed hæc manifeste indicant gratiam moraliter influere, seu causare actus salutare, sicut is, qui alterum docet, allicit &c. ad patrandum homicidium, arguitur, istud causare moraliter, non vero physice, ergo. II. Et gratia actualis, & actus salutare sunt actus vitales animæ, atqui nullus actus vitalis influit physice effective in alium, ut communis Philosophorum docet, ergo. Certe ex communi sensu, intellectus non dicitur movere voluntatem, nisi illuminando, & voluntas intellectum, nisi imperando, atqui nec *illuminare*, nec *imperare* designant influxum physicum, utraque enim motio est præcise moralis, & alia motio solide nequit probari, ergo.

Quar. Quid igitur physice effective concurrat ad actus salutare? *34.* Inprimis omnipotentia Dei concurrens influxu supernaturali; dein intellectus & voluntas nostra, tum in homine justo habitus virtutum infusi, in peccatore autem his habitibus destituto, eorum loco omnipotentia Dei speciali modo applicata. Ita docet Soaresius *Lib. III. de auxiliis C. XXXV. &c.* Observa hic: per habitus infusos non intelligi *qualitates* creatas, verum in justo posse intelligi nomine habituum omnipotentiam permanentem & habitualiter, ut TT. loquuntur, applicatam ad actus supernaturales eliciendos, vel dona Spiritus S. in peccatore vero omnipotentiam Dei specialiter & transeunter applicatam.

- 44 Pars *ima* responsi inde patet: quia certum est contra Durandum, Deum ut causam *imam* & universalem ad omnem effectum creatum physice & immediate concurrere, igitur etiam ad actus nostros salutare concurrat, & quidem concursu & influxu supernaturali.

2da pars de influxu physico intellectus & voluntatis nostræ ad actus salutare, videtur definita esse a Trident. *sess. VI. de justification. can. IV.* ubi damnat asserentes: *liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, --- sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere ad actum meritorium.* Unde vident Thomistæ, qua ratione possint tueri, gratiam esse totam rationem agendi & efficiendi immediate & proxime actus salutare, arbitrium vero creatum se præcise remote & radicaliter habere ad eosdem. Certe Apostolus aliter sentit 1. ad Corinth. 15. v. 10. scribens: *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem sed gratia Dei mecum;* & gratia passim adiutorium appellatur. Ideo recte Augustinus *Tract. IV. in epist. Joan.* ait: *Si dicis adiutor meus esto, aliquid agis: nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat?* Deinde actus salutaris cum sit vitalis, debet procedere a principio vitali ab intrinseco se movente ad hujusm. actum, quodve per illum vivit in actu 2do, quale principium est utique noster intellectus & voluntas. Item: actus salutaris est liber, atqui de conceptu actus liberi est, ut fiat a principio libero, seu libere eligente, quale est, rursum voluntas nostra, ergo.

3tia pars supponitur ex *Tract. de virtutibus Theol.* quo reipsa habitus infusi pertinent, & paucis declaratur: Cum enim in homine justo dentur habitus infusi diversarum virtutum, qui habent vim physice causandi actus supernaturales ad certam virtutis speciem pertinentes (elevant enim & complent potentiam naturalem, seu intellectum & voluntatem, de se improportionatam ad actus supernaturales) adnumerari debent principiis effectivis actuum salutarium hominis justi. Idem dic de peccatore cum proportione, cui omnipotentia Dei specialiter & transeunter applicatur ad eliciendos diversos actus virtutum.

Solvuntur Objectiones.

Oppon. contra 1mam assert. I. Gratia excitans & præveniens fit a Deo in nobis sine nobis; ergo gratia excitans non consistit in actibus vitalibus, qui efficiuntur a nobis, seu a vitalibus nostris potentiis. Ant. patet tum ex illo *Psal. 120. v. 2. Auxilium meum*

a Domino, qui fecit cœlum & terram, igitur auxilium sine gratia ita est a Deo, sicut cœlum & terra; tum ex Araulicano II. Conc. can. XX. dicente: *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo*, quod potissimum de gratia excitante intelligi debet, ergo. II. Gratia excitans vocatur pulsatio januæ cordis, secundum illud Apocal. 3. v. 20. *Sto ad ostium & pulso*; item dicitur vox Dei interiorius loquentis; atqui pulsatio efficitur a solo pulsante, non vero a recipiente pulsationem, & vox a solo loquente, non ab audiente, ergo gratia excitans nequit esse actus intellectus & voluntatis, qui a nobis efficitur. III. Si gratia excitans producitur etiam a nobis physice, initium justificationis & salutis nostræ non reducetur ad solum Deum; sed etiam ad nostram naturalem potentiam vitalem; quia actus vitalis dependet a potentia vitali, sed istud est Semipelagianum, ergo.

45 *II.* ad I. dist. ant. Gratia excitans fit a Deo in nobis sine nobis physice efficientibus n. ant. fit in nobis sine nobis moraliter, libere & imputabiliter seu meritorie efficientibus subdist. si fit gratia omnium *una*, aut etiam non *una*, sed tamen indeliberata, quales sunt pleræque c. ant. si fit gratia non *una*, sed aliqua deliberata n. ant. & cons. Plurimæ gratiæ actuales, cum consistant in actibus intellectus & voluntatis *indeliberatis* v. g. in apprehensionibus, affectibus, fiunt a Deo in nobis sine nobis libere meritorie agentibus; multæ autem gratiæ, quia in actibus intellectus & voluntatis *deliberatis* fitæ sunt per Num. 41. fiunt etiam a nobis libere & meritorie ad eas concurrentibus, quæ tamen gratiæ, non sunt *unæ* gratiæ. At nulla gratia actualis est, quæ non fiat etiam a nobis physice illam coefficientibus, cum ea consistat in actibus intellectus & voluntatis. Et hoc sensu explicandum est Araulicanum Concil. Ad locum Psalmi ajo: in eo non dici: a Deo *eodem modo* produci auxilium, quo cœlum & terra producitur, sed solum; quod a Deo producatur auxilium, quod est verissimum, & quidem a Deo ut causa principali speciali, ab intellectu vero ut causa instrumentali vitali, quod sufficit, ut illud absolute & sine addito dicatur esse a Deo. Sicut quia Deus non concurrat ad peccatum nostrum specialiter ac moraliter, sed solum physice & contra propriam inclinationem, sufficit, ut absolute dicatur & sine addito peccatum non esse a Deo. Denique PP. Araulicani & alii, intendebant solum adversus

fus Pelagianos & Semipelagianos asserere, *imam* gratiam excitantem dari nobis *gratis* absque ullo nostro merito, adeoque nobis nihil ad illam moraliter & meritorie conferentibus ; & hoc sensu *in nobis*, non autem physice & vitaliter sine nobis fieri *imam* gratiam , cum iidem PP. hanc gratiam vocent *illuminationem* & *inspiratiohem* Spiritus S. quæ actum vitalem significant , & propterea ab intellectu & voluntate nostra per eas in actu 2do vivente physice causari debent. Adde: quod PP. actus etiam deliberatos & meritorios, ut actum spei, amoris Dei &c. vocent gratiam , qui actus possunt movere ad alios actus supernaturales , ut dictum Num. 41. proinde agnoscunt aliquam gratiam excitantem , non modo physice , sed & moraliter ac libere a Deo simul & a nobis fieri.

Ad II. C. M. dist. m. Pulsatio & vocatio materialis ac externa sunt solum a pulsante & vocante trans m. (nam etiam concurrunt *physice* ad sonum) . Spiritualis interna & quæ sit actus vitalis ipsius pulsati & vocati n. m. & cons. Certe Deus dicitur a Tridentino tangere, sive pulsare , cor hominis per illuminationem Spiritus S. adeoque necessario physice est ab homine : nequit enim dari illuminatio, seu cognitio boni in homine , ut hic ad eam physice non concurrat , cum sit actus vitalis.

Ad III. N. M. Nam ut utrique attribui posset justificationis initium , deberet illud esse tam imputabile nobis seu nostræ naturæ, quam Deo, atqui istud nullo modo sequitur ex nostris principis ; dicimus enim illum concursum nostrum ad *imam* gratiam pure physicum, indeliberatum , & nulla ratione moralem imputabilem, aut meritorium esse ; contra vero Deum ad *imam* gratiam non solum physice , sed moraliter quoque libere & elective concurrere dicimus , cui proinde soli justificationis nostræ exordium attribui debet ; sicut pari ex ratione nobis imputatur peccatum , quia nos soli ad istud libere elective influimus ; non item Deo solum physice ad illud concurrenti. Unde ex eo , quod potentia vitalis elevata per Dei omnipotentiam peculiariter applicatam , ad efficiendum illum actum vitalem, ipsa quoque physice concurrat , non sequitur initium nostræ fidei & justificationis esse *ex nobis* , ut volebant Semipelagiani ; nam illa potentia totam virtutem proportionatam accipit a Deo elevante eam, & *ima* gratia datur a solo Deo omnino *gratis* , & ideo dicitur non esse a nobis.

- 47 *Oppon.* IV. Apostolus ad Rom. 8. v. 14. ait: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei; igitur homines aguntur gratia Dei; atqui agi non est agere ne quidem physice, ut patet ex August. Lib. de gestis Pelagii C. II. dicente: Qui regitur, aliquid agit & a Deo regitur, ut recte agat; qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur, ergo.* Dein homo per gratiam non solum ducitur, sed etiam trahitur secundum illud Joan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; atqui duci est moveri moraliter per illuminationes vitales, in quas physice influit homo motus seu ductus, ergo trahi est moveri physice per qualitatem mortuam, in quam non physice influit homo motus.*

re. Ad IV. n. subsumptam m. Ad S. Augustinum ajo: cum nobis favere; non enim dicit: *nihil agere intelligitur, sed vix aliquid*, id est: quasi nihil, quia nempe solus influxus physicus in genere moris pro nihilo reputatur; interim tamen per *imam* excitantem gratiam, teste eodem August. *Lib. de corrept. & grat. Aguntur a Deo, ut agant, non ut ipsi nihil agant.*

Ad alterum dico: sicut *duci* non importat qualitatem mortuam physice influentem sive in gratiam excitantem, sive in actum salutarem, ita nec *trahi*, cum utrumque rite explicetur per motionem & tractionem moralem, quæ convenit actibus vitalibus; sic enim August. *Tract. XXVI. in Joan.* ait: *Trahitur animus & amore (qui utique est actus vitalis & tractio moralis) - - - trahit sua quemque voluptas - - - Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam: nices puero demonstrantur, & trahitur, & quia quo currit, trahitur, amando trahitur.* Nisi forte illud quis dede it discrimen, quod *trahi*, indicet gratiam efficacem, *duci* sufficientem.

- 48 *Oppon.* contra *adam* assert. I. Scripturæ, CC. & PP. attribuunt gratiæ influxum physicum in actus salutares. Nam Apostolus I. ad Corinth. 15. v. 10. ait: *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Item CC. & PP. asserunt, gratiam actualem *facere, operari, efficere &c.* actus salutares, qui modi loquendi denotant influxum physicum in actus salutares. Certe ex eo, quia CC. & PP. asserunt, nostram voluntatem cooperari gratiæ, & adjuvari a gratia, recte arguimus, nostram voluntatem physice influere in actus salutares, ergo etiam &c. II. Trident.

dent. *sess. VI. C. V.* ait: Nos cooperando gratiæ disponi ad justificationem; atqui nostra cooperatio est physica, ergo & gratiæ cooperatio est physica. Et vero si gratia actualis excitans, solum moraliter influeret in actus salutes, tunc præcise influeret dirigendo, alliciendo &c. voluntatem, sed istud dicendo minime salvatur, nos viribus gratiæ salutariter operari. Quis enim dixerit, me per vires, aut cum viribus illius, pondus aliquod levare, qui mihi duntaxat fuisset, ut levem illud? III. CC. & PP. requirebant adversus Pelagianos, gratias actuales ad hoc, ut per istas evadat voluntas proportionata & sufficiens ad actus salutes, & nullam fecerunt mentionem seu habituum infusorum, seu alterius principii effectivi eorundem actuum; igitur existimarunt ipsas gratias actuales esse hujusm. principia, & per has compleri *insufficientiam* activam voluntatis in ordine ad actus salutes, ergo.

qz. Ad I. dist. assertum: Scripturæ &c. attribuunt influxum physicum gratiæ actuali sumptæ præcise secundum se & formaliter n. sumptæ secundum connexionem, qua in moderna providentia semper est connexa cum aliquo principio physice effectivo actuum salutarium c. Scripturæ igitur & PP. de hoc complexo asserunt, gratiam facere, operari &c. actus salutes. Quare etsi gratia actualis illos præcise secundum se & formaliter sumpta, non efficiat physice, efficit tamen *connexive*, ratione alterius principii v. g. omnipotentiae Dei peculiariter applicatæ, quocum infallibiliter connectitur. Nam Deus eo ipso quod immittat illustrationes, simul etiam offert principium aliquod supernaturale physice effectivum actus salutaris, quod principium utique est gratia, utpote indebitum nobis. Ad positam paritatem dispar est ratio: voluntas enim, ut constat in suos actus naturales influit physice, pariter ergo in salutes actus sic influit, cum hoc solum discrimine, quod in actus suos naturales influat virtute naturali; in salutes virtute elevata per principium supernaturale. Contra vero: actus intellectus & voluntatis, in quibus sita est gratia excitans, sunt hujusm. principia, quæ solum influunt moraliter.

Ad II. n. conf. Cooperari enim non semper indicat operari in eodem genere causalitatis. Sic consulens & mandans, & physice perpetrans furtum, cooperantur quidem, at primi duo non operantur physice. Sic fides tantum moraliter influit in actus volun-

tatis salutare, & tamen dicitur Jacob. 2. v. 22. *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius*, nempe Abrahamæ circa sacrificandum Isaacum physice operantis. Ad alterum dico: nos actus salutare physice efficere per vires gratiæ excitanti necessario annexas, licet non identificatas. Unde ad suadentem patet ratio dispar: cum enim ille, ut supponitur, nullas vires physicas adjungat mihi levanti pondus, non potest illi tanquam causæ physici attribui elevatio ponderis: e contrario cum illustratio & inspiratio *necessario* adferat secum aliquod principium supernaturale physice effectivum actus salutaris, ideo recte tribuitur gratiæ actus salutaris. Dixi: *necessario annexas*: quia non est possibile, ut Deus excitet per actualem gratiam voluntatem ad actum salutarem, nisi ei conferat virtutem sufficientem ad eum physice producendum, alias enim excitaret ad impossibile.

Ad III. dist. ant. nullam fecerunt mentionem habituum &c. explicite trans. ant. implicite n. ant. CC. & PP. definientes necessitatem gratiæ ad actus salutare, eam decrevere, per quam voluntas creata fiat simpliciter potens ad ponendum actum salutarem, ac proinde saltem *implicite* definiverunt, quod simul debeat adesse principium supernaturale physice concurrens, si ipsa gratia actualis consistens in illustratione & inspiratione non possit de se concurrere physice. An vero dicta gratia per virtutem sibi identificatam, vel vero per distinctum principium sibi præcisè conjunctum influat physice in actus salutare, istud, utpote impertinens ad quæstionem tunc agitatam, non definivere, relicta TT. potestate disceptandi hac super re. Exemplum sat clarum accipe ab ipsa gratia excitante: licet ad hanc, utpote supernaturalem, necessario prærequiratur principium supernaturale physice productivum & coeffectivum illius (cum potentia nostra naturalis in genere physici activitatis insufficientis sit ad eam efficiendam) tamen PP. dicentes illam fieri in nobis sine nobis, nihil statuere circa principium physicum illius; quia nempe istud non erat necessarium ad agitatam tunc quæstionem, sed sufficiebat decernere, quod ita fiat in nobis sine nobis, ut sit donum Dei gratuitum excedens vires & exigentiam nature, quo error Pelagii jugulabatur. Cæterum Viennense Conc. Gener. XV. anno MCCCXI. sub Clemente V. celebratum *Clementina de summa Trinit. & fide Cathol.* Innocent. III. c. majores, de baptis.

§. illud vero clare meminerunt habituum (quidquid demum sint) immo Trident. *sess. VI. de justificat. C. VII.* eos infundi docet his verbis : *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum ; cui inseritur, fides, spes, & charitatem.* Hinc etiam Conc. Milevit. II. cap. IV. definiens : *Quisquis dixerit eandem gratiam Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit, nobis non adversatur, cum profiteamur, nobis per gratiam non aperiri duntaxat intelligentiam mandatorum Dei, sed etiam tum morales, tum physicas vires conferri ad ea implenda.*

Quæ huc præterea pertinent, fere sunt sequentia I. Gratia 50 adjuvans non distinguitur *adæquate* a gratia excitante & præveniente, adeoque utraque consistit in iisdem actibus intellectus & voluntatis ; distinguitur tamen *inadæquate*, in quantum videlicet excitanti superaddit actualem suum influxum in actum salutarem, cooperationem item actualem voluntatis creatæ, una cum simultaneo concursu Dei, aliorumque principiorum ad actum *unum* proximum requisitorum. Nam ut ait August. *Lib. II. de peccat. merit. & remiss.* *Adjuvari non potest, nisi quis sponte conatur, igitur tunc demum habetur gratia adjuvans qua talis, quando adest cooperatio voluntatis.* Et alioquin clarum est, excitari, vocari voluntatem posse, antequam ipsa libere operetur ; adjuvari non posse, nisi actu operantem & conantem. Hinc *1mo* : gratia excitans tenet se ex parte actus *1mi* importantis præterea voluntatem, concursum Dei, & reliqua constitutiva supernaturalia potentia proxima ad actum salutarem ; gratia vero adjuvans *qua talis* tenet se ex parte actus *2di* seu operis salutaris & meritorii, & importat ipsam actualem cooperationem voluntatis dependentem a gratia. *2do* : gratia excitans potest dari sine adjuvante, ut patet, potentia enim libera potest esse sine actione ; gratia tamen adjuvans *qua talis* non potest dari sine excitante, ut etiam patet ; immo gratia actualis adjuvans in actu *2do*, est ipsissima, quæ excitat in actu *1mo*. Ex quibus advertis : gratiam adjuvantem ita fere distingui ab excitante,

sicut causa actu agens a seipsa potente agere. 3^oio: Dum TT. & PP. ajunt: adjuvanti gratiæ neminem resistere, accipiunt illam in actu 2^oio: Seu prout voluntatem actu operantem adjuvat, quo sensu verissimum est; fieri enim nequit, ut voluntas actu operans, simul non operetur.

II. Licet gratia *ima* sit actus indeliberatus, attamen potest esse causa partialis actus salutaris deliberati: nam ad causam inadæquatam non requiritur, ut contineat omnia prædicata effectus, sed sufficit, si ea contineat causa adæquata vel *formaliter*, vel *virtualiter*, vel *eminenter*; jam autem prædicatum *deliberati* continet causa adæquata ratione voluntatis liberæ illam partialiter constituentis. Certe *qualitas* Adversariorum non est vitalis, & tamen deberet esse causa actus vitalis.

III. Etsi gratia *ima* excitans sit necessario inefficax ab intrinseco, seu necessario excludat intrinsecam, & essentialem connexionem cum actu salutari, attamen est indifferens ad efficaciam, vel inefficaciam extrinsecam; si enim componatur cum actu salutari, denominabitur efficax extrinsece; contra: inefficax extrinsece, si cum omissione actus; ad quorum utrumque indifferens est.

IV. Ab infusis habitibus, etiam in illorum sententia, qui eos creatas qualitates esse volunt, nulla paritas duci potest ad gratiam excitantem in ordine ad influxum physicum in actus salutes; cum enim illi non consistant in actibus vitalibus intellectus aut voluntatis, jure iis conceditur physicus influxus.

CAPUT QUINTUM.

An & qualis gratia necessaria sit ad actus salutes.

51 **E**Xplanata natura & influxu actualis gratiæ, stabienda est adversus Pelagianos & Semipelagianos ejusdem necessitas ad actus salutes. Hos actus salutes, seu ad salutem æternam *positive* conducentes debere esse supernaturales, convenit inter TT. cum enim salus æterna in præsentī providentiā supernaturalis sit, nullus actus nisi supernaturalis proportionatus ad illam & *positive* conducens esse potest, cum inter finem, qui est vita æterna, & inter media, quæ sunt actus salutes & meritorii, proportio inter-

ce-

cedere debeat, nulla autem proportio est actus naturalis ad finem supernaturalem. Interim dubium movent I. Utrum dicta gratia debeat esse intrinsece, entitative & quoad substantiam supernaturalis, an vero sufficiat quoad modum duntaxat supernaturalis? Prior dicitur donum excedens vires totius naturæ creatæ & creatibilium activas, tum passivas exigivas pro quibuscunque circumstantiis. Posterior dicitur donum quoad substantiam ordinis naturalis, seu secundum entitatem suam non excedens vires & objectum naturæ, in determinatis tamen circumstantiis viribus naturæ produci, vel exigi non potest, ac proinde solus modus, quo illud producitur & existit, superat vires naturæ, ut e. g. visus cæco restitutus, repentina valetudinis recuperatio. II. Utrum gratia actualis in statu naturæ lapsæ tum illuminativa pertinens ad intellectum, tum affectiva pertinens ad voluntatem, sit necessaria ad actus salutare? hisce dubiis gemina assertio satisfacit.

A S S E R T I O P R I M A.

Ad omnem omnino actum salutarem vitæ æternæ & præmii supernaturalis meritorium necessaria est gratia actualis, eaque entitative & quoad substantiam supernaturalis.

PARS I. assert. est omnium Catholicorum adversus Pelagium & Semipelagianos, & probat. I. Ex scripturis: Apostolus ad Philipp. 1. v. 6. ait: *Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi.* Et cap. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate;* 2. ad Corinth. 3. v. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Joan. 6. v. 29. legimus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Et v. 44. Christus dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quomodo autem trahit? utique per fidem. Ex quibus postremis textibus manifestum fit, neque fidem, neque ipsius initium haberi posse sine adiutorio actualis gratiæ.

II. Ex Conciliis: Trident. sess. VI. de justificat. can. III. decrevit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere*

re posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Adde Conc. Araucanicum II. Num. 38. §. II. laudatum. Hic adverte: actus salutares plerumque a PP. & CC. sub illis vocabulis exprimi: sicut oportet: si ut expedit &c. ut liquet ex Trident. & Arauciano, quæ formula loquendi desumpta est ex Apostolo ad Rom. 8. v. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Atque de his solis actibus cum CC. & PP. loquimur, agentes de necessitate gratiæ ad salutem. Utrum vero etiam ad bonum morale ordinis naturalis, necessaria sit gratia Cap. VII. expendemus.

III. Ex SS. PP. Cypriano Ambros. Gregor. Nazianz. quos ipse Augustinus *Lib. de dono persever. C. XIX.* adducit, atque eorum testimoniis hæc subnectit: *Isti tales, tantique Doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur; nec ipsum cor nostrum & cogitationes nostras in potestate nostra esse, & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitemes, ut permansuri convertamur ad eum; ut id quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud - - - Hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non a nobis esse testantur.*

53

Altera pars assert. firmatur rationibus Theol. I. CC. & PP. ad omnem actum supernaturalem requirebant eam gratiam, quam Pelagius simpliciter, Semipelagiani vero præcise ad initium fidei, & salutis necessariam negabant, sed Pelagius ad omnem actum salutarem, Semipelagiani ad initium salutis, gratiam actualem *entitative* supernaturalem negabant esse necessariam; non autem negabant esse necessariam supernaturalem præcise *quoad modum*, nempe cognitionem *naturalem* legis & doctrinæ, datam tamen a Deo ex fine beatitudinis supernaturalis, ut constat ex iis, quæ diximus Num. 21. §. VI. igitur CC. & PP. definiverunt necessariam esse gratiam *entitative* supernaturalem. Immo sunt, qui existiment, per dicta eodem Num. §. VII. Pelagium gratiam actualem supernaturalem admisisse; quia tamen illam solum ad facilius posse necessariam esse affirmabat, damnatus est, ergo ex eadem illius damnatione eruitur & necessariam esse ad actus salutares gratiam supernaturalem, & esse simpliciter seu ad ipsum posse necessariam.

II. Actus salutares positive conducentes ad finem intrinsece supernaturalem nempe ad visionem intuitivam & amorem fructivum Dei, sunt intrinsece & quoad substantiam supernaturales, ut dicturi sumus *Dissert. V. de Merito*; ergo cum non minus principium actus, quam ipse actus debeat esse proportionatus fini, nempe vitæ æternæ, etiam gratia actualis per modum principii moralis in ordine supernaturali necessaria ad actum salutarem, debet esse intrinsece, & quoad substantiam supernaturalis. Certe PP. Pelagium impugnantem, ad actum salutarem requirebant gratiam excitantem, naturæ in omnibus circumstantiis *indebitam*, nec ejus solius viribus unquam acquiribilem, qualis gratia est utique proprie & quoad substantiam supernaturalis, ergo.

III. Gratia solum quoad modum supernaturalis, est cognitio *entitative* naturalis, collata ex meritis Christi in iis circumstantiis, in quibus eadem est *indebita*, atqui hujusmodi gratia non sufficit ad actum salutarem; quia arduum videtur, discrimen dari posse inter hanc, & illam, quam Pelagius ad salutem obtinendam admisit, a PP. constanter rejectam. Denique per ipsos AA. requiritur aliquod principium entitative supernaturale physice influens in actum salutarem, ergo etiam &c.

A S S E R T I O S E C U N D A.

Gratia supernaturalis ad actus salutares simpliciter necessaria, est illuminativa tenens se ex parte intellectus, & in moderno statu naturæ lapsæ, etiam necessaria est gratia affectiva tenens se ex parte voluntatis.

Hanc assert. propugnat Soaresius. *Lib. III. de auxiliis C. VII.* 54. Hæc autem hanc esse manifestam doctrinam D. Augustini. *Præbat. una pars I.* Secundum CC. & PP. ad omnem actum supernaturalem necessario requiritur aliqua gratia actualis, atqui CC. & PP. hanc gratiam plerumque exprimunt nomine *illustrationis, illuminationis, vocationis, lucis* &c. quæ significant gratiam actualem illuminativam, consistentem in actu intellectus, ut patet ex dictis Num. 38. ergo II. Initium actus salutaris oritur a bona cogitatione;

ne; atqui non potest esse a cogitatione naturali, alias initium actus salutaris esset ex viribus naturæ, quod est Semipelagianum, ergo.

Pars 2^a robur accipit ab authoritate Augustini contra II. epist. Pelag. C. IX. dicentis: *Benedictio dulcedinis est gratia Dei, quæ sit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc est: amamus quod præcipit nobis, in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed neque inchoatur in nobis; & Lib. de grat. Christi C. XXIV. Deus, inquit, operatur non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates, & hoc ideo, quemadmodum habet Lib. II. de peccat. merit. & remiss. C. XVII. Ut innorescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat; quorum primum pertinet ad intellectum, alterum ad voluntatem, eo quod nihil suave fiat formaliter, nisi per aliquem suavem affectum voluntatis. Adde Conc. Arausican. II. Num. 38. §. II. laudatum, quod utriusque gratiæ necessitatem ad actus salutare adstruit, ut liquet ex particulis: *absque illuminatione & inspiratione Spiritus S.**

II. A ratione. Intellectus & voluntas ex natura sua sunt potentiæ improporcionatæ ad actum salutarem, igitur utraque debet proportionari, quod fit per illustrationem & piam delectationem; nam etsi in statu naturæ innocentis non fuerit Adamo necessaria indeliberata illa delectatio, non eadem ratio pugnat pro statu naturæ lapsæ; in quo voluntas nostra vehementer vulnerata propendet ad sensibilia &c. igitur sicut intellectus illuminari debet per illustrationem ad depellendas ignorantias, ita pariter voluntas moveri debet per piam delectationem, ad vincendos concupiscentiæ motus trahentis ad malum, a quibus Adamus in statu innocentæ liber erat. Id ipsum asserit August. *Lib. de corrept. & grat. C. II.* Et Doctor Angelicus 1. 2. q. 109. art. 2. ad 3. *Magis est, inquit, natura humana corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.* Interim Soarelius per necessitatem inspirationis non intelligit hujusmodi necessitatem, ut in præfenti statu repugnet Deo, citra inspirationem posse impellere hominem ad opus salutare; sed loquitur duntaxat de illo ordinario hujus providentiæ modo, quo Deus nunc hominem excitat ad opus salutare & quo a CC. & PP. docemur excitari. Videatur etiam Petavius *de Pelag. & Semipelag. hæresi C. X. Num. XVI.*

Dissolvuntur Objectiones.

Oppon. I. contra *imam* assert. Scripturarum textus & exempla 55
 testantur, saltem initium salutis esse ab homine, & ejus meri-
 tum naturale præire gratiæ Dei, quæ deinde illius meriti intuitu
 a Deo præparatur & confertur, ergo. Ant. ostenditur cum Pela-
 gianis & Semipelagian. I. Proverb. 16. v. 1. dicitur: *Hominis est*
animam præparare, & v. 9. *Cor hominis disponit viam suam, sed*
Domini est dirigere gressus ejus. Item Zachar. I. v. 3. *Converti-*
mini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit
Dominus exercituum. Matth. 25. v. 15. Deus distribuit talenta
unicuique secundum propriam virtutem, hæc autem virtus, utpote
 cujusque propria, videtur esse meritum entitative naturale. Ad
 Rom. 7. v. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non*
invenio. Ostenditur II. idem ant. ab exemplis: Zachæus Luc. 19.
 meruit Christum domi suæ excipere ob desiderium eum videndi.
 Actor. 10. Cornelius Centurio ob eleemosynas & orationes, ante-
 quam in Christum credidisset, fidei gratiam impetravit: earum quip-
 pe intuitu missus est Petrus Apostolus, qui ei Christum annuncia-
 ret. Latro in cruce pendens propter hæc verba: *Domine memento*
mei &c. paradisum obtinuit; atqui hæc erant merita & actus na-
 turales, ergo.

R. Ad I. n. ant. ad probat. I. concessis textibus n. conf. & ajo 56
 cum D. Augustino *Lib. de grat. & liber. arbitr. C. V.* iis Scriptu-
 rarum locis ita commendari liberum hominis arbitrium, ut non ex-
 cludatur gratia præveniens; sicut dum dicitur Psal. 58. v. 11. *Deus*
meus misericordia ejus præveniet me, commendatur gratia ita, ut
 non excludatur voluntatis nostræ cooperatio. Itaque Deus præve-
 nit & sequitur, hoc est: dat gratiam prævenientem & subsequen-
 tem, de qua Num. 5. Istud confirmat clarissimis verbis Trident.
sess. VI. C. V.

In particulari ad textum Proverb. dico: ad hominem pertine-
 re, ut præparet animam suam uberioribus gratiis, libere consen-
 tiendo *imæ* gratiæ, sibi a Deo gratis collatæ; sicque uberiores gra-
 tias promereatur per actum salutarem beneficio gratiæ elicitem. Per
 Zachariæ textum jubemur converti ad Deum, non per solas naturæ
 vires, sed libere cooperando gratiæ prævenienti. Hoc modo intel-

ligendum est etiam illud 2. Paralip. c. 15. v. 2. *Si quaesieritis eum* (Dominum) *invenietis*; & illud Isai. c. 3. v. 18. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*. Unde etiam virtus illa, ad cujus mensuram talenta data sunt apud Matth. est supernaturalis sive ex gratia, & non ex natura secundum illud ad Ephes. 4. v. 7. *Unicuique nostrum data est gratia juxta mensuram donationis Christi*. Denique Paulus per illud *velle* non intelligit voluntatem salutarem esse sine gratia; nam ad Philip. 2. v. 13. ait: *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere*; sed petit a concupiscentiæ lucta liberari, quæ obstabat, ne tam prompte impleat, quod optabat, bonum.

Allata exempla in hunc modum exponit Conc. Arausica. II. can. XXV. *Manifestissime credendum est, inquit, quod illius latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Dominum missus est; & Zachari, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed Divinæ largitatis donum*. S. August. *Lib. de prædest. sanct. C. VII.* ait: *Cornelius non sine aliqua fide donabat & orabat, fide scilicet inchoata, quæ ut perfecta evaderet, missus ad eum erat Petrus, a quo plenius informaretur*.

57

Oppon. II. Actus salutares, seu meritorii præmii supernaturalis eliciuntur etiam ab Ethnicis, Hæreticis; atqui non eliciuntur dependenter a gratia supernaturali, quia hæc est propria Christianorum, & solis in Ecclesia Catholica congregatis confertur. *III.* Si ad omnes actus salutares necessaria foret gratia supernaturalis, homo non haberet libertatem arbitrii ad ponendos actus salutares; sed hoc adversatur fidei; ergo. *M.* probat. nam gratia supernaturalis non est in hominis potestate, neque suis præcise viribus nature mereri eam potest, sed libere confertur a Deo, adeoque homo semper eget alterius auxilio; qua igitur ratione habebit libertatem arbitrii ad salutariter operandum? *IV.* Si gratia ad actus salutares est necessaria, in Deum cadit vitium acceptionis personarum, utpote qui hanc gratiam ex speciali favore ante omne meritum dat uni potius, quam alteri; quod dicebant *Prædestinati* per Num. 24. *V.* Natura nullum bonum opus ponere potest sine gratia, atqui multa potest ponere sine gratia entitative supernaturali; ut colere parentes, ergo. Denique ut actus salutaris sit supernaturalis, quoad substantiam, sufficit, si unum principium v.g. Omnipotentia Dei sit specialiter

applicata, & non requiritur, ut omnia actus principia sint supernaturalia; alias nec intellectus noster & voluntas possent concurrere ad actus salutare, ergo.

¶ Ad II. C. M. n. m. Nam Trident. sess. VI. C. VI. docet, 58
etiam infidelibus dari gratias actuales supernaturales, quarum auxilio semet ad fidem ac justificationem disponant, de quo redibit sermo Num. 90. & alibi. Quare hæc gratia non ea de causa dicitur esse specialiter Christianorum, quasi illis solis conferatur, sed quod ipsis detur uberius, vel quod etiam aliis ideo detur, ut fidem Christi amplectantur. Certe damnatæ sunt a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* propositiones Quesnellianæ numero XXVI. *Nulla dantur gratiæ nisi per fidem.* XXVII. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum.* XXIX. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

Ad III. N. M. ad probat. dist. assertum: gratia supernaturalis non est in potestate hominis quoad hoc, ut habeat seu acquirat illam c. ut illa habita utatur vel abutatur n. Licet enim non sit in potestate hominis, ut gratiam excitantem saltem *inam* obtineat, aut sine illa salutariter operetur, quia tamen Deus ex meritis Christi quovis tempore opportuno eam largitur, in potestate hominis est, ei cooperari, vel non, ac proinde dependenter ab illa ponere vel non ponere actum salutarem. Quare per gratiam non tollitur liberum hominis arbitrium, sed confirmatur potius, ut docet August. *Lib. de Spirit. & lit. C. XXX.* dicens: *Sicut lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur; reddique hujus rationem: quia nempe gratia sanat voluntatem, qua iustitia libere diligitur.*

Ad IV. N. sequel. M. Nam vitium acceptionis personarum tunc fieri solet, quando in distributione bonorum negligitur is, qui jus quodpiam habet ad ea bona, & distributor non est absolutus Dominus eorum, moveturque ad dandum huic potius, quam alteri ab aliqua conditione personæ nihil conferente ad meritum. Jamvero homo secundum se ad gratias supernaturales nullum jus habet, & Deus est absolutus Dominus earum. Profecto *inim* saltem gratia est *præus* favor. Hinc pro suo beneplacito potest Deus huic potius, quam alteri dare hanc vel illam gratiam, etsi reipsa det omnibus gratias opportuno tempore saltem remote sufficientes ad salutem, ut dicemus. Dissert. III.

Ad V. Dist. M. Nullum bonum opus salutare ponere potest sine gratia entitative supernaturali & strictè Theologica C. M. Nullum bonum opus naturale N. M. dist. m. multa opera bona naturalia potest ponere sine gratia entitative supernaturali & strictè Theologica c. m. supernaturalia & salutaria n. m. & conf. Ratio distinctionis patebit ex cap. VII. hujus Dissert. Ad ultimum ajo : non requiri quidem ad actum supernaturalem , ut omnia ejus principia effectiva sint supernaturalia , requiri tamen ut cognitio prævia & in-deliberata voluntatis affectio sit supernaturalis , ut discimus ex Scripturis , CC. & PP. Alioquin constat cognitionem & affectionem naturalem esse improporcionatam ad salutes actus. Unde etsi justus habeat infusos habitus ad eliciendos actus salutes , indiget nihilominus gratia actuali supernaturali. Habitus enim hujusm. dant justo simpliciter posse solum in genere causæ physice efficientis , gratia vero actualis supernaturalis dat simpliciter posse elicere actum salutarem in genere causæ moralis , ideo est simpliciter necessaria. Loquor autem hic de statu naturæ lapsæ.

59 *Oppon. I.* Contra *adam* assert. I. Tridentinum & Arausicanum Conc. etsi mentionem faciant *illustrationis & inspirationis Spiritus S.* attamen non loquuntur de gratia duarum potentiarum , sed solius intellectus ; nam Trident. *Sess. VI. C. V.* ait : *ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat.* Arausicanum vero can. V. & VI. solam inspirationem requirit ; ergo.

II. Ex parte intellectus potest haberi gratia illuminationis , quin simul habeatur ex parte voluntatis gratia affectionis , sed dato tali casu potest voluntas elicere actum salutarem etiam in statu naturæ lapsæ , ergo. M. *probat* ex August. in *Psal. CXVIII. Conc. IX.* eliciente : *Sæpe quid agendum sit, videntus, nec agimus, quia non delectat, ut agamus ; m. etiam probat.* Ad eliciendum actum salutarem sufficit duplex principium supernaturale , alterum physice , alterum moraliter influens ; atqui in casu posito supponitur alioquin adesse principium supernaturale physice influens e. g. in justo habitus infusi , sive Omnipotentia Dei habitualiter applicata &c. principium autem moraliter influens foret gratia illuminationis ; igitur saltem in justo non requiritur pia voluntatis affectio ad actum salutarem.

III. Sola illustratio supernaturalis sufficit , ut voluntas sit
pro-

proxime expedita ad actum salutarem, igitur pia affectio non requiritur ex parte voluntatis. Ant. declaratur: nam si requireretur pia affectio, tunc cognoscens obligationem præcepti, sine hujusmodi affectione non esset proxime potens implendi præceptum, possetque uti excusatione dicendo: non implevi præceptum, quia deerat mihi inspiratio, seu pia affectio, ergo. Adde: quod voluntas Adami & Angelica sine prævia affectione potuerit immediate elicere actum deliberatum supernaturalem, ergo etiam &c.

R. Ad I. Utrumque Concilium admittere gratiam etiam inspirationis: nam laudatis verbis Tridentini statim subjicitur: *inspiratiorem illum recipiens*: nempe illuminatio mentis, natura præcedit piam voluntatis affectionem, vel certe illa cum *ineffabili suavitate*, ut loqui solet Augustinus, simul confertur, quibus verbis utique significatur voluntatis indeliberata affectio. Arausicanum vero can. VII. clarissimam mentionem facit *inspiratiouis Spiritus Sancti*, ut patet e verbis Num. 38. §. II. allatis.

Ad II. Omitto M. n. m. ad hujus probat. Dist. *adam* partem M. sufficit principium moraliter influens, si hoc principium sit simul illuminativum & affectivum C. si sit præcise illuminativum N. hanc partem M. sic distincta m. n. conf. Principium moraliter influens in actum salutarem, seu cogitatio supernaturalis se sola accepta, & sine affectione supernaturali, non movet sufficienter voluntatem ad actum supernaturalem in statu naturæ lapsæ, ut patet ex rationibus assert. patetque simul ex iisdem, Augustinum præter cognitionem supernaturalem boni, etiam requirere piam affectionem ad actum salutarem: & id ipsum probare videtur textus S. D. in objectione adductus. Loquor autem hic de casibus ordinariis.

Ad III. Dist. ant. sola illustratio supernaturalis sufficit in aliquo casu extraordinario, quo Deus vellet plenam & perfectam advertentiam objecti per illam proponere trans. ant. in casibus ordinariis n. ant. & cons. Ad probat. dico: neminem posse uti excusatione, quia reipsa semper cum illustratione adest simplex affectio. Ad positam paritatem c. ant. n. cons. Nam Adamus in statu innocentie non erat subjectus concupiscentiæ, immo hæc perfecte suberat rationi, idcirco voluntas Adami nullam difficultatem experta erat in amplectendo bono cognito. At natura humana per peccatum originale corrupta est, & quidem magis in ordine ad appetitum bo-

ni, quam in ordine ad cognitionem veri. Hinc etiam justus in statu naturæ lapsæ indiget pia affectione; secus in statu naturæ innocentis Adamus; in hoc enim statu potuit sufficere pia illustratio, cum in tali statu nihil extiterit, quod in oppositum alliceret, & inclinaret, ut dicam Cap. XI.

61 Ut reliqua dissolvas observa I. Ex eo, quod homo infirmus possit vocare Medicum viribus suis naturalibus, non sequitur, naturam lapsam suis duntaxat viribus posse invocare Deum: cum enim valetudo, seu operatio Medici sit præcise naturalis, potest æger ponere aliquam dispositionem, vel actum proportionatum Medici actui; e contrario: gratia utpote supernaturalis est ordinis superioris ad omnem actum naturalem. Hinc etsi potentia naturalis ad actus præcise naturales habeat sufficientem proportionem, non tamen ad salutes. Voluntas quidem hominis justus est proportionata in genere causæ physice efficientis, non tamen in genere causæ moralis, idcirco indiget gratia actuali excitante. Neque ipse Adamus in statu innocentiae potuit solis naturæ viribus salutariter operari, ac in bono supernaturali perseverare. Quapropter dum ait August. *Lib. de corrept. & grat. C. XII. Perseverare, vel non perseverare in ejus (Adami) relinqueretur arbitrio*; arbitrium accipit principiis supernaturalibus, tum in linea physica, tum morali ad salutariter agendum instructum.

II. Hæreticus formalis credens aliqua fidei dogmata, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis &c. ea credit fide humana & naturali; non item fide Christiana, supernaturali & prout oportet ad salutem, cum non habeat pium credulitatis affectum seu piam voluntatem assensum præstandi omnibus a Deo revelatis ac ad credendum sufficienter propositis, & assensus illius non innitatur auctoritati Dei revelantis, sed potius motivo humano, licet hæreticus ejusm. dicat, se assensum præstare huic vel illi mysterio, quia Deus summe verax & sapiens revelavit; si enim ex eo quæras: cur, vel unde credat Deum hoc mysterium revelasse? reponet: ex Scripturis; si ulterius quæras: unde sibi constet has scripturas esse verbum Dei, recurreret ad spiritum privatum, seu proprium judicium: Si tamen aliquando formalis hæreticus eliceret assensum fidei supernaturalem, id utique fieret cum gratia supernaturali.

III. Pius V. & Gregor. XIII. proscribentes Bajanam propositionem ordine XXVIII. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*, non intendebant asserere, quod liberum arbitrium non valeat ad vitandum *non salutariter* peccatum, istud enim falsum est, cum iidem damnaverint propositionem numero XXVII. *Liberum arbitrium sine gratia Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet*, sed solum intendebant, quod liberum arbitrium nullum peccatum *salutariter & meritorie* vitare valeat.

IV. SS. Justinus, Irenæus, Chrysostomus, Hilarius, quorum textus adfert Tournelyus Tom. III. quæst. IV. art. II. paulo durius, ac minus castigate ad limam Theologicam videntur locuti fuisse, circa gratiæ prævenientis necessitatem. Verum isti egerunt adversus Marcionitas & Manichæos, atque in id potissimum incubuere, ut hominis liberum arbitrium vindicarent, salvis, integrisque Divinæ gratiæ juribus. Etenim eo temporis securius loquebantur, nondum oborta hæresi Pelagiana. *Quid opus est, inquit de prædest. Sanct. C. XIV.* Augustinus, *ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendum questione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur.* Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent. Cæterum si istorum PP. integri textus rite perpendantur, luculenter apparet, eos de necessitate gratiæ sanam doctrinam cum Ecclesia fovisse.

V. Etiam si transmittatur, posse voluntatem prælucente sola cognitione naturali, representante bonitatem objecti, citra ullam indeliberatam affectionem ponere amorem naturalem deliberatum & honestum talis objecti, inde tamen non sequitur, posse voluntatem actum supernaturalem v. g. amorem ponere, dependenter a sola cognitione supernaturali. Ratio disparitatis est: quia voluntas etiam in statu naturæ lapsæ habet sufficientes vires ad aliquos saltem actus naturales honestos, cum libertas, seu potentia naturalis eligendi hoc vel illud ex objectis cognitis, non sit deperdita per culpam originalem. At vero ad nullum supernaturalem actum habet sufficientes vires. Interim etiam ad actum naturalem deliberatum plerumque

antecedere solet affectio indeliberata ex cognitione objecti boni oborta, ut docet experientia.

VI. Secundum August. *Lib. LXXXIII. q. LXVIII Ad misericordiam seu gratiam Dei* pertinebat etiam vocatio Pharaonis, sed non præcise prout erat recordatio *naturalis* bonorum a Joseph Ægypto præstitorum, sed in quantum hæc recordatio habuit cognitionem aliam supernaturalem adjunctam; cognitio enim vel tractio naturalis orta ex objectis externis, vel habita ex auditione externa Evangelii, vel aliis gratiis externis, est tantum remota, nec conducens positive ad actum salutarem; ad hunc enim requiritur cognitio & tractio intrinsece supernaturalis.

C A P U T S E X T U M.

Utrum liberum arbitrium possit se disponere suis viribus ad gratiam?

62 I. **U**TT. conciliarent in gratia auxiliante hæc duo prædicata, quod ea sit *necessaria* ad omnem actum supernaturalem meritorem, & quod nulli desit *auxilium sufficiens* ad obtinendam salutem, nisi sunt etiam hoc axioma: *Faciendi quod in se est, Deus non denegat gratiam*; quia vero hoc axioma affinitatem quandam habere videtur cum errore Pelagianorum & Semipelagianorum, quo priores affirmarunt, posse hominem solis liberi arbitrii viribus gratiam a Deo promereri, quæ ad actum salutarem non quidem simpliciter, sed facilius ponendum necessaria foret; posteriores autem, posse hominem ad gratiam fidei pervenire per quosdam pios naturæ conatus & bonum voluntatis affectum in fidem suscipiendam, adeoque faciendo quod in se est, mereri gratiam, ideo ut Catholicum sensum faciat, varie a TT. explicari solet. Quid de hoc axioma, quod coincidit cum posita quæstione, sentiendum sit? paucis exponemus.

63 II. Sensus axiomatis non est, quod Deus facienti quod in se est per vires naturæ, & ponenti opera naturalia honesta, conferat gratiam supernaturalem propter illa scilicet opera, ita ut hæc vel sint *1mo*: meritum de congruo; vel sint *2do*: dispositio positiva exigens dictam gratiam; vel sint *3tio*: dispositio, si non positive exigens gratiam, certe aptans subiectum ad illam recipiendam, ita ut nisi illa præ-

præcedant, nunquam detur supernaturalis gratia; vel 4to: sint conditio, sine qua ex lege Dei & pacto cum Christo inito nunquam detur cuiquam gratia; vel denique 5to: sint occasio a Deo libere accepta, qua posita det, non posita non det gratiam. Hæc eo pertinent, ut dictum axioma ab errore Pelagii & Semipelag. avertamus.

Ratio 1mi patet: quia oppositum est prorsus Semipelagianum; adeoque deserendi sunt TT. ab Estio in II. sent. distinct. XXVI. relati, qui axioma istud interpretati erant, quasi homo per opera bona moralia ordinis naturalis de congruo possit gratiam mereri, vi cuius ad fidem, justificationem & salutem perveniat. Ratio 2di & 3tii datur: quia istud plurimum favet Semipelagianis, & alioquin nihil naturale potest exigere rem supernaturalem, utpote vires etiam exigivas totius naturæ excedentem; nec opera naturalia de se habent proportionem, ut reddant positive aptam animam ad recipiendam gratiam supernaturalem, eo nimirum modo, quo, ut aliqui volunt, mollities reddit aptam ceram ad recipiendam sigilli figuram, quam cateroquin nequiret recipere. Ratio 4ti & 5ti patet: tum quia Deus sæpe homini ad usum rationis pervenienti, illico largitur gratiam, licet in isto nullum naturale honestum opus præcesserit, tum quia Deus gratiam actualem sæpe dat iis, qui prius non fecere, quod in iis erat, sed peccata peccatis accumularunt, ut testatur Isaias c. 65. v. 1. *Invenerunt, qui non quaesierunt me*; tum quia Deus non solum ex occasione boni operis naturalis, sed sæpe ex occasione peccati libere confert gratiam, quando scilicet hujus gravitatem &c. proponit, ut ad pœnitentiam excitet. Hinc Jerem. 2. v. 19. loquitur: *Arguet te malitia tua*, quod D. Hieronym. legit: *Erudiet te malitia tua*. Denique sequeretur, quod donatio gratiæ etiam 1mæ non sit omnino gratuita, sed onerosa contra Apostolum ad Rom. 11. dicentem: *si autem gratia, jam non ex operibus &c.*

III. Sensus dicti axiomatis est iste certissimus: facienti quod in se est per vires gratiæ, seu cooperanti 1mæ gratiæ actuali, Deus ultio- 64
riores gratias non denegat, quibus, si velit, justificationis gratiam obtinere, conservare & salvari potest. Nam Deus, quantum est in se, vult sincere & serio omnes homines salvos fieri, igitur facientibus quod in se est, sive cooperantibus gratiæ supernaturali, debet ulteriorem gratiam, saltem sufficientem, conferre; si enim Deus homini facienti quod est in se, denegaret gratiam ulteriorem, sim-

pliciter necessariam ad salutem, non posset dici serio velle salutem, & hoc ideo, quia qui rem serio vult, debet saltem ea subministrare, quæ necessaria sunt ad eam obtinendam & ab alio, quam ab ipso haberi non possunt, ut videtur per se clarum; tale quid autem & ita necessarium ad salutem, est gratia, ergo.

65 IV. Sensus axiomatis probabiliter esse etiam potest, quod facienti quod in se est per vires naturæ, adeoque ponenti opera naturalia honesta, & non peccanti, Deus infallibiliter conferat auxilia supernaturalia gratiæ, quibus si bene utatur, æternam salutem obtineat, ita tamen ut ea opera naturalia nec sint merita de congruo, nec dispositio positiva ad gratiam, nec conditio *sine qua non*, sed sint solum quoddam prohibens & removens obicem gratiæ id est: peccatum (ideo etiam dispositio *negativa* dici possunt) quod Deum saepe remoratur, ne det tam prompte gratiam seu sufficientem uberiolem, seu etiam efficacem, quam alias semper paratus est dare, quin etiam saepe dat, non obstante peccato. Hic sensus sustineri potest cum Molina, Soaresio *Lib. IV, de auxilio gratiæ. C. XV.* & aliis, tum quia ab errore Semipelagianorum remotus, tum quia antiquis PP. conformis, quos laudat Soarius.

Nec sequitur admissio hoc sensu axiomatico, gratiam Dei esse *pe-dessequam* liberi arbitrii, seu obedientiæ humanæ, vel Deum expectare voluntatem hominis. Nam licet possit aliqua bona operatio naturalis præcedere infusionem *imæ* gratiæ excitantis, nihilominus illa operatio non est meritum, nec ratio obtinendi gratiam, sed solum deservit ad non ponendum obicem gratiæ, quæ justo Dei iudicio interdum differtur, & quando postea datur ei, qui obicem non posuit, ex pura misericordia datur, non autem propter opus. Nec expectat Deus voluntatem hominis, sed potius voluntas expectat gratiam: nam Deus non solum facienti quod in se est, sed etiam facienti contra id, quod facere potest & debet, dat gratiam suam, ut Saulo furenti. Neque hic sensus axiomatis adversatur Canonibus Arausicani II. Concilii, quibus reprehenduntur Semipelagiani. Isti quidem iure reprehenduntur, quia opera naturalia honesta dicebant esse meritoria gratiæ supernaturalis, ut liquet ex can. ult. dicti Concilii: *Credimus, quod in omni opere bono non nos incipiamus, & postea per misericordiam Dei adjuvamus, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat;*

at in sensu axiomatis naturalia opera honesta non admittuntur meritoria, nec positiva dispositio.

CAPUT SEPTIMUM.

An ad bonum morale naturalis ordinis necessaria sit gratia?

QUæstio hæc movetur de solo statu naturæ lapsæ: utrum scilicet in hoc statu, homo ad actus moraliter bonos, præter concursum Divinum indigeat etiam gratia supernaturali actuali, vel vero possit solis naturæ viribus hujusm. actus ponere, quamvis isti nihil *per se & positive* ad salutem, vel quodvis aliud præmium supernaturalis e. g. ad obtinendam gratiam conducerent. Dicitur autem actus moraliter bonus ordinis naturalis ille, cui quædam inest honestas & rectitudo, seu qui ex recto rationis dictamine procedit, quin ullam habeat cum salute supernaturalis ordinis proportionem, aut ad salutem æternam positive conducat, licet laude & præmio temporali dignus. Naturalis hæc bonitas ex tribus oritur, nempe ex objecto conveniente, debitis circumstantiis & fine honesto, quæ tria solo lumine naturali cognosci & in eodem actu conjungi possunt, per solum innatæ libertatis usum cum Dei ordinario concursu, quam ut causa *ima* & generalis ad exigentiam causarum *2^{arum}* subministrat. Hujusm. actus foret e. g. honoratio parentum, præstita ex solo motivo naturalis gratitudinis, cognitione naturali cognito, vel largitio stipis pauperi; quia recta ratio dicitur, honestum esse succurrere pauperi, idque secluso omni pravo fine, aliisque circumstantis peccaminosis.

II. De hac proposita quæstione, & altera, quam Cap. proximo dissolvemus, diversæ sunt tum hæreticorum, tum Orthodoxorum opiniones. Pelagiani nimium extollentes liberum arbitrium asserabant, hominem solis naturæ viribus posse elicere actum meritorium vitæ æternæ; in ipsis infidelibus esse veras virtutes, quibus ad æternam beatitudinem pervenire possint. Lutherus & Calvinus ex opposito deprimentes liberum arbitrium, negant aliquid boni moralis fieri posse solis naturæ viribus. Immo omnia opera, quæ fiunt non tantum sine speciali auxilio Dei, sed etiam sine fide justificante, esse strictè peccata; quod de ipsismet etiam justorum ope-

operibus non verentur dicere, etsi hæc illis non imputentur ad culpam; infidelium vero opera, etiam ea, quæ fiunt ex speciali Dei auxilio, peccaminosa esse. Bajus & Jansenius pariter contendunt, infidelium virtutes vera esse vitia.

Juvat propositiones Bajanæ a Pontificibus damnatas proferre: **XXV.** *Omnia opera infidelium sunt peccata & Philosophorum virtutes sunt vitia.* **XXVII.** *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* **XXVIII.** *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* **XXXIV.** *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut ductor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia &c.* **XXXV.** *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* **XXXV.** *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.* **XXXVII.** *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est: quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* **XXXVIII.** *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas &c.* **XL.** *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

Jansenius vero *Lib. IV. de statu naturæ lapsæ C. XVII.* sic præfatur: *Nugæ, delirium, insania, error, impietas contraria Christianorum sensui, Scripturis & fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato juxta Augustinum & Araciscanum.* Quesnellus relatas Baji propositiones resuscitavit, ut dictum Num. 35. Ex orthodoxis aliqui censent, aut nullas, aut si quæ sunt, ex beneficio gratiæ esse in infidelibus virtutes. Cardinalis Norisius in *Vindictis Augustinianis* duo docet: primum: Nullas in infidelibus esse virtutes ex solis liberi arbitrii viribus; alterum: si quæ in ipsis fuerint, eas Divinæ gratiæ attribuendas esse. Vide Tournelyum *Tom. III. de gratia Christi, quæst. IV. art. II.* Contra hos partim in hoc, partim in seqq. Cap. agecur. Sic igitur

A S S E R T I O.

Potest homo solis naturæ viribus, aliquos actus moraliter bonos & honestos velle, ac ponere, qui proinde actus essent præcise naturales, nec per se quidquam ad beatitudinem supernaturalem conferrent.

Probat. assert. I. ex illo Apost. ad Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem* 68
(scriptam) non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; hoc loco Apostolus de gentibus seu hominibus loquitur, ad fidem non conversis, ut eruditissime ostendit Soaresius *Tom. VI. Lib. I. C. VIII. de necessitate gratiæ*, qui tamen non habita lege Mosaica, *naturaliter*, id est: lumine & viribus naturæ ea, quæ legis sunt, faciunt; atqui ea, quæ legis sunt, moraliter bona sunt; ergo. Dicere autem hoc Apostoli loco significari, quod gentes istæ solum *materialiter* faciant, quæ legis sunt, eadem tamen, quo minus *formaliter* bona sint, prava intentione semper corrumpant, plane arbitrarium est. Unde fit, inepte velle Baji sectatores, quod opera infidelium sint solum bona ex objecto, non autem ex fine.

II. Ex censura Romana propositionum Bajanarum XXVII. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Item XXXVII. *Cum Pelagio sentiunt &c.* ac aliarum, ergo ab opposito sequitur, liberum arbitrium solis naturæ viribus instructum, aliquid posse, quod non sit peccatum, hoc est: posse aliquid opus facere ex objecto & fine bonum.

III. Ex Conc. Trident. quod sess. VI. Can. I. definit: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiunt: absque Divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit;* igitur supponit sine gratia Dei actuali; adeoque per solas vires naturæ posse opera moraliter in ordine naturali honesta & bona fieri, alias ridicula foret definitio. Cur enim definiatur neminem per peccata, vel opera indifferentia *posse justificari?* Pariter SS. PP. dum ajunt: opus bonum fieri non posse sine gratia actuali, nempe Theologica & strictè tali, addunt has limitationes: *sicut expedit, prout oportet, vel conducit ad salutem;* igitur cum exceptio firmet regulam in contrarium, rectè inferes & illos supposuisse, sine gratia fieri posse aliqua bona.

69 **O**ppon. I. Concil. Arausicanum II. Can. XXII. ait: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem atque justitiam, ab illo fonte est, quem debemus scire in hac eremo.* Et Can. XX. *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.* Augustinus *Lib. III. contra II. epist. Pelag. C. VIII. Liberum, inquit, arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet: ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum, adjutumque, non valet.* Similes textus complures a Jansenio, ejusque discipulis proferuntur. II. Si homo solis naturæ viribus aliquod opus moraliter bonum facere potest, remanserunt in natura humana post Adæ peccatum aliqua virtutum semina, sed hoc est Semipelagianum, ergo. III. Ex nostra assertionem sequeretur, quod possit homo solis naturæ viribus elicere amorem Dei super omnia, sed hoc videtur dici non posse, quia *imo: amor Dei super omnia, est ultima dispositio ad justificationem, quæ solis naturæ viribus nequit poni.* 2do: S. August. *epist. CVII. ad Vitalem* scribit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum granditate primi peccati perdidimus.* 3tio: Si in natura lapsa posset dari amor Dei naturalis, posset per vires naturæ dari amicitia cum Deo, quo Deus diligeretur propter se, & ut sibi & in se bonus, & non tantum ut diligenti bonus, sed hoc dici nequit; quia amor amicitia erga Deum, est supernaturalis charitas diffusa per Spiritum S. ergo.

70 **z.** ad I. Arausicani Conc. & Augustini verba eo sensu accipi debere, qui oppositus sit sensui doctrinæ Pelagianorum & Semipelagianorum, adversus quos & Concilium & Augustinus egerunt, adeoque intelligi debent de actionibus eliciendis in ordine ad salutem æternam, in quo ordine non potest solum liberum arbitrium sibi relictum, habere actum vitæ æternæ meritorium, sed tantum potest habere peccatum, quo excidat vita æterna. His igitur locis tum Concilium, tum Augustinus præscindunt ab eo, utrum liberum arbitrium opera naturalia bona, de suo exercere possit. Addit Soaresius *Lib. I. de necessit. grat. C. XXI.* Augustinum & alios PP. per istos loquendi modos solum velle, quod omnia nostra opera bona adscribenda sint Deo, tanquam principali auctori; mala vero nobis sive

sive libero arbitrio : nam Deus nullo modo potest esse author malorum operum, licet ab homine fieri permittat, adeoque illi tribui non possunt ; bonorum autem potest esse, & est. Unde etiam opera bona naturalia attribuuntur Deo, veluti authori naturæ ; supernaturalia vero ut authori gratiæ, concurratque Deus non modo effectivè physice, sed etiam moraliter & elective (cum illa suadeat & præcipiat) ad omnia opera bona vel per auxilia naturalis, seu generalis providentiæ, si sint opera ordinis naturalis ; vel per auxilia gratiæ, si sint supernaturalis.

Ad II. *g.* Remanserunt &c. virtutum semina, intelligendo per ista rectæ rationis lumen, licet attenuatum ; & naturalem ad prosequendum honestum, & inhonestum averſandum, voluntatis inclinationem & propensionem, licet infirmatam, qui sensus nihil affinitatis habet cum Semipelagianis. Isti etenim per semina virtutum, quæ contendebant post Adæ peccatum remansisse in homine, intelligebant salutare cogitationes & salutaria desideria ex solo vigore naturæ orta, quibus homo gratiam Dei, fidem &c. promereri possit.

Ad III. C. M. cum suis limitationibus, & n. m. Observa igitur circa hoc argumentum I. Possè hominem absque gratia supernaturali, etiam in statu naturæ lapsæ Deum amare super omnia, ut authorem naturæ, amore etiam benevolentis tum efficaci quoad *effectum*, hoc est : tali amore, ut cum eo non possit stare voluntas graviter peccandi, tum efficaci quoad *effectum* hoc est : tali amore, quo observet omnia præcepta naturalia naturaliter cognita, pro brevi nempe tempore, quo durat hic amor. Ratio, cur Deus amore naturali super omnia diligi possit, patet I. Ex damnatis propositionibus Bajanis XXXIV. & XXXVI. II. Ex Apostolo ad Rom. 2. v. 14. dicente : *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, atqui præcipuum legis præceptum est de dilectione Dei super omnia, & quidem, ut loquitur Soaresius, inditum ipsi naturæ, ergo. Recte S. Antonius *Part. IV. tit. VI. c. III.* ait : *Si naturaliter amat filius Patrem, a quo habet partem corporis, quanto magis amare debet Deum, qui corpus ei & animam ex nihilo fecit ?* III. Ex ratione : Potest homo in statu naturæ lapsæ cum concursu Dei ordinario & aliarum causarum, cognoscere Deum ut authorem totius naturæ, seu ut primum principium, & finem ultimum ; adeoque super omnia alia entia bonum

& amabile (Deus enim per lumen naturale potest cognosci ex creaturis tanquam ens supremum, & summum bonum) atqui hominum summum bonum naturaliter cognitum, facile potest amare super omnia, nisi aliquid obstet, ut nunc dicam.

Observa II. Hunc amorem solum durare posse brevi tempore; cum enim intra spatium longioris temporis, aliqua tentationes graves, aut multae leves occurrant, quae in statu naturae lapsae, superari non possunt potentia morali absque gratia, ob corruptionem naturae, negandum est hunc amorem sine gratia longiori tempore continuari posse. Porro gratia ad habendum per longius tempus hunc amorem, ex natura rei non debet esse entitative & quoad substantiam supernaturalis, sed sufficit naturalis specialis, quo vel intellectus magis illustretur in naturalibus, vel in iisdem voluntas magis roboretur.

72

Ex his colligitur: posse hominem solis naturae viribus elicere amorem Dei super omnia, impossibilem cum omni offensa saltem ad breve tempus, adeoque concedendum M. n. m. ad hujus probat. *inam* dicitur amor Dei super omnia supernaturalis, est ultima dispositio ad justificationem c. amor naturalis tantum n. Justificatio ex Trident. sess. VI. c. VII. *non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio* seu infusio gratiae sanctificantis, & ad neutrum habet proportionem actus pure naturalis. Certe soli amoris Dei super omnia vi promissionis Divinae annexa est remissio omnium mortalium, non naturali; & licet iste amor sit impossibilem cum omni peccato gravi *actuali*, non tamen *habituali*, & est praecise conversio philosophica ad Deum, non autem Theologica. Ad *2^{am}* dico: nos perdidisse liberum arbitrium sanum & sufficiens ad actus supernaturales, conducentes positive ad vitam aeternam, non tamen liberum arbitrium saucium, adhuc tamen sufficiens ad actus naturales etiam amoris Dei, ut auctoris naturae. De hoc amore PP. & CC. *implicite* meminerunt, fassi gratiam Dei esse necessariam, ad diligendum Deum *sicut oportet &c.* quibus verbis indicaverunt dari aliam dilectionem, non *sicut oportet*, ad quam ponendam non est necessaria gratia. Eodem sensu explicanda sunt alia Scripturarum, CC. & PP. testimonia, quibus charitas dicitur *donum Dei, diffusa per Spiritum S.* Adverte praeterea: amorem Dei etiam ut auctoris naturae, non debere esse necessario naturalem,

nam

nam supernaturalitas actus non desumitur ab objecto materiali (alias actus virtutum moralium , misericordiae , temperantiae &c. non possunt esse supernaturales) sed desumitur a revelatione Divina seu a lumine supernaturali ; unde etiam Deus ut author naturae potest amari amore supernaturali , modo bonitas illius lumine supernaturali cognita nos moveat ad amorem. Ad gratiam dico : amorem naturalem Dei super omnia , esse amorem amicitiae late talem , cum inter hominem & Deum , vi hujusmodi amoris naturalis ad amicitiam non detur proportio , ut aliqua est inter justum , & Deum. Vide Platellium *Part. II. C. VI. Mayrium Tract. VI. Disp. I.*

CAPUT OCTAVUM.

Utrum ad aliquod bonum opus exercendum necessaria sit gratia habitualis , vel fides Theologica?

A S S E R T I O.

Potest homo peccator , etiam infidelis aliquod opus moraliter bonum ordinis naturalis exercere , adeoque ad hujusmodi opus non est necessaria gratia habitualis , seu sanctificans , nec fides Theologica.

Veritas assert. fundatur I. in sacris literis: Exod. i. v. 15. legitur: 73
obstetricibus Aegyptias a Deo numerosa & felici prole donatas fuisse , quod masculos Hebraeorum contra injustum Pharaonis imperium in vivis conservaverint ; quia *timuerunt obstetrices Deum* , ait sacer textus , *aedificavit eis domos* , hoc est : numerosam prolem concessit ; atqui obstetrices erant infideles & tamen opus moraliter bonum exercere : Deus enim iustissimus nequit remunerari dono aliquo etiam temporaneo opera mala , quae potius supplicium non vero primum merentur. Quare distinguenda est bona haec actio obstetricum a mendacio , quo seleserunt Pharaonem dicendo : *Non sunt Hebraeae , sicut Aegyptiae mulieres : ipsae enim obstetricandi habent scientiam , & priusquam veniamus ad eas , pariunt* , ut observat S. August. *Lib. contra mendacium C. XV.* *Non est in eis remunerata fallacia , sed benevolentia ; benignitas mentis , non iniquitas*

tas mentientis. Rex Nabuchodonosor c. XXIX. Ezech. accepit boni operis mercedem, possessionem terræ Ægypti. In quem locum ait Hieronymus, *etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede, Dei judicio reperiri.* Ad Rom. 1. dicitur: quod infideles Philolophi legem naturæ non servando fuerint inexcusabiles, ergo poterant eam servare, & bene agere.

II. In censura Romana Bajanarum proposit. XXV. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* XXXIII. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est;* & in censura proposit. VIII. ab Alexandro VIII. lata: *Neceffe est infidelem, in omni opere peccare.*

III. Fundatur in rationibus TT. I. Per peccatum originale, vel etiam personalia peccata, non extinguitur lumen rationis & liberum arbitrium in infidelibus vel fidelibus peccatoribus gratia habituali destitutis, igitur illi possunt naturales aliquas veritates cognoscere, adeoque etiam aliquod opus moraliter bonum ordinis naturalis facere. II. Recte consulimus infidelibus & hæreticis, ut suos parentes honorent, justitiam observent &c. ergo ista sunt bona opera; alias non liceret sic eos hortari.

Colliges: posse peccatorem fidelem sine habituali gratia, opera bona etiam supernaturalia exercere adjutum gratia supernaturali. Istud constat ex Conc. Tridentino, quod sess. VI. c. V. exordium justificationis peccatoris a præveniente Christi gratia repetit & c. VI. præparationem & dispositionem ad justificationem, per hujus actus dependenter a gratia excitante positos describit, nempe per fidem, timorem salutarem, spem veniæ &c. qui actus a peccatore elicti, sunt dispositiones supernaturales, & quidem remotiores, cum proxima dispositio sita sit in sacramento, vel in actu perfecta contritionis & charitatis; igitur peccator absque gratia sanctificante cum præveniente & auxiliante gratia potest exercere actus supernaturales de congruo meritorios justificationis; secus enim peccato mortali semel infectus, nunquam posset per veram animi conversionem, redire in gratiam Dei; nunquam posset præparare se ad justificationem.

Satisfit Objectionibus.

Oppon. I. Assertio nostra sacris literis videtur esse contraria : Nam 74
 1mo: Psal. 13. v. 3. dicitur de infidelibus: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum.* Hinc Augustinus in Psal. XXXI. ait: *Nemo computet opera sua bona ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat; & Tract. LXXXVI. in Joan. Non est, inquit, ut dicas, antequam crederem, jam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus ad Rom. 14. v. 23. Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* 2do: Matth. 7. v. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Item Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere, & ad Hebr. 11. v. 6. Sine fide impossibile est placere Deo.* 3tio: Ad Corinth. 10. v. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, ergo nisi fiat opus morale in gloriam Dei, honestate carebit, sed opus morale naturale non fieret in gloriam Dei, ergo.*

2. N. ant. ad unum dico cum Simonneto *Disput. V. art. VIII.* 75
 Davidem conqueri de infidelibus, quod Deum querere vel nolint, vel negligent, & quod nemo ex eis operetur, prout oportet ad salutem. Et si vero nullum opus salutare aut exercent, aut exercent possint, quamdiu Deum nolunt, vel negligunt querere, hoc tamen non impedit, quo minus exercere possint, & aliquando exercent, opera naturalis ordinis moraliter bona, quae vires naturae per peccatum depravatae non superant. Ad laudatos, similesque textus Augustini ajo: his testimoniis recte evinci, sine fide nullum ab homine fieri posse opus bonum morale, quod ad vitam aeternam pertineat: *fides enim, inquit S. Doctor Lib. de praed. st. sanct. c. VII. prima datur, ex qua impetrantur caetera, quibus iuste, nempe coram Deo, vivitur.* De hoc bonitatis genere se loqui aperte declarat *Lib. IV. contra Julian. c. III.* posteaquam enim dixerat, nulla infidelium opera esse bona, nullasque in iis esse veras virtutes, subiungit: *Scito, nos illum bonum homini rem dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum, regnumque perveni.* Porro fatemur & nos cum S. August. virtutes infidelium prorsus steriles ac inutiles ipsis esse ad vitam aeternam consequendam. Apostoli textus ab

Augustino allatus, communiter explicatur de recto dictamine conscientia, non autem de fide Theologica, qua credimus veritates a Deo revelatas, ut ex contextu verborum Apostoli patet. Ibi etenim Apostolus agit de novellis Christianis, qui conscientia reclamante manducabant cibos, quos vetitos credebant, quia in lege Mosaica vetiti erant. Idcirco eos monet, ut erroneam hanc conscientiam deponant, ne dum illis vescuntur existimantes sibi non licere vesci, reipsa peccent; cum toties homo peccet, quoties operatur sine prudenti & firmo iudicio ac persuasione, quod operatio sit licita & honesta. Hunc sensum agnovere PP. Concilii Lateran. IV. c. *fi. de præscript.* *Quoniam omnne, quod non est ex fide peccatum est, Synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam Civilis.*

76

Ad 2^{um} ajo: Christum apud Matth. 7. non aliud intellexisse, quam homines malos ordinarie, & ut plurimum, operari malum, non tamen semper male agere (alias justus non posset peccare, cum pariter Christus dixerit: *Non potest arbor bona malos fructus facere*) cum non semper operentur ex vitiosa cupiditate, aliove pravo fine, sed aliquando ex naturali ad honestum propensione, quæ per peccatum penitus sublata non est. Certe filii infidelium ex hac propensione suos parentes colunt &c. & colendo parentes utique non merentur puniri, igitur non peccant. Similiter Apostolus dicens ad Tit. 1. v. 15. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*, non debet intelligi, quod nihil boni operari possint infideles, sicut illud: *omnia munda mundis*, non intelligitur, quod iusti nec venialiter peccare possint, sed sensus est: quod si quis iudicet rem quampiam esse immundam ac vitatam, ea tamen reclamante conscientia utatur, peccet, non secus ac si reipsa immunda & vitata foret: *Quod enim non est ex fide*, id est: dictamine conscientia, *peccatum est.* Ad textum Joan. dico: Christum ibidem loqui de operibus salutaribus, ad quæ natura sine adiutorio gratiæ pertingere non potest; Apostoli vero textum intelligendum, quod nullus mortalium sine fide Christiana ita Deo placere possit, ut evadat amicus Dei, & dignus beatitudine æterna; interim sine fide Christiana exercitum opus aliquod, ob moralem bonitatem placere potest & placet Deo. Opus igitur placet, non item persona.

Ad 3^{ium} 89. Bellarminum *Lib. V. de grat. & lib. arbitr. c. X.* Arriagam *Tom. IV. Disp. XXXVIII.* cum non paucis TT. existimare, iis verbis Apostoli contineri consilium & piam admonitionem, non vero preceptum proprie dictum; alii putant, contineri preceptum, ut homo suas actiones deliberatas, saltem *implicite* referat ad Deum; quod etiam infidelis Deum verum ignorans (quem tamen ignorare penitus non potest) eo ipso facit, quod opus suum exerceat secundum dictamen rationis, quod est veluti praece Divinae voluntatis, & sic refert opus suum ad Deum, tanquam auctorem omnis honestatis, exercite & virtualiter, seu ut ait Vasquezius ex ipsa natura operis honesti; sicut avertitur a Deo & peccat proprie eo ipso, quod aliquid agat contra dictamen rationis obligans in conscientia. Ad Coloss. 3. v. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum*, loquitur Apostolus de Christianis.

Pro reliquis solvendis observ. I Dum S. Augustinus apud Soaresium *Lib. I. de necessit. grat. c. VII.* ait 1^{mo}: In Gentilibus seu infidelibus non fuisse veras virtutes. 2^{do}: Infidelem nihil boni operari. 3^{io}: Omnem infidelium vitam peccatum esse, explicandus est in recto sensu, nempe in 1^{ma} propositione loquitur more Theologico de virtutibus conducentibus ad vitam aeternam, quia videlicet disputabat adversus Pelagianos, qui censabant infideles per virtutes morales, justos coram Deo fieri posse & ab aeterna damnatione liberari. Vide Num. 67. In 2^{da} loquitur vel de sterili pietatis bono, nihil ad salutem aeternam conferente, vel de prava dispositione animi, ob quam vix unquam aliquid boni exercent. In 3^{ia} loquitur de infidelibus operantibus *qua talibus*, & non ex regula rectae rationis, sed ex ductu erroris & infidelitatis ac pravae intentionis, quam secum affert ordinarie infidelitas, ut si quis vestiat pauperem in honorem Jovis, vel ex fine captandae vanae gloriae &c. aut loquitur de peccato late accepto, id est: de actione in pessimo statu exercita, quae nihil positive confert ad salutem.

II. Proverb. 15. v. 8. legimus: *Victimae impiorum abominabiles Domino*, ubi Deus non indicat sacrificia in lege Mosaica, aliaque opera fuisse peccata, & Deo exosa ideo praevisse, quia a peccatoribus fiebant, sed reprehendit Judaeos, quod ea non ex affectu religionis & honestatis, verum ex hypocrisis, vel alio pravo fine exercerent.

III. S. Augustinus in *Enchirid. c. XVII.* dicens: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas*, non intelligit, actionem, quæ ex charitate Dei strictè Theologica non elicitur, eo ipso a carnali cupiditate fieri, atque adeo formaliter malam esse, sed solum intelligit, in subjecto seu persona agente regnare quoad habitum cupiditatem carnalem, ubi abest Dei charitas; cupiditas vero & charitas nullam imponunt voluntati necessitatem ad actus sibi conformes, ac necessario exercendos. Unde justus non semper operatur ex imperio charitatis, nec injustus ex cupiditate carnali, sed aliquando etiam agit ex amore honestatis. Inter cupiditatem carnalem & charitatem Dei proprie Theologice sumptam, datur medium aliquod relate ad actum, nempe charitas improprie talis, seu bona voluntas, recti ac honesti amor, qualis non solum reperitur in peccatore fideli, sed in homine quoque infideli, qui naturali pietate egentes adjuvat, parentes colit &c. Vide Dominic. Vivam *Part. IV. prop. XLIV.*

IV. Apostolus scribens I. ad Corinth. 16. *Omnia vestra in charitate fiant*, non imponit Christianis præceptum, sed solum dat consilium juxta Bellarm. *Lib. V. de grat.* ut omnes suas actiones ex motivo charitatis Divinæ facere conentur. Nam hoc præceptum de *diligendo* Deo, in quantum est affirmativum utique non obligat semper ac pro omni tempore; igitur non tenemur sub peccato, *explicite & reflexe* actiones nostras ad Deum referre, nisi quo tempore urget præceptum diligendi Deum. Ad hæc: præter charitatem, dantur actus supernaturales virtutum moralium e. g. obedientiæ, misericordiæ &c. quæ sint actus istarum virtutum, nulla ratione ad charitatem spectantes.

C A P U T N O N U M.

Quanta sit necessitas gratiæ ad malum vitandum?

78 I. **D**E necessitate gratiæ ad malum vitandum plura quæsitæ instituantur a T. nos in duobus potissimum versabimur, & primum inquiremus: utrum homo in statu naturæ lapsæ, possit servare totam legem naturalem, adeoque omnem tentationem vincere, & quod sequitur, peccatum vitare? Alterum: utrum justus
in

in hoc eodem statu, possit vitare omnia peccata venialia? Quod attinet primum, observa I. Per legem naturalem intelligi dictamen illud rationis, quo duce natura cognoscimus, quid bonum & honestum, quidve malum aut turpe sit. Talis lex sunt præcepta decalogi. II. Nos non loqui de lege seu præceptis supernaturalibus, nec de naturalibus quantum ad *modum*, quo videlicet observatio legis positive conducit ad vitam æternam obtinendam, consistentem in visione intuitiva Dei, quæ cum sit supernaturalis, actus quoque ad eam positive conducentes, supernaturales necessario esse debent, adeoque elicitæ a gratia Theologica intrinsece supernaturali. III. Tametsi homo per peccatum originale lapsus, semet a Deo, sine suo ultimo, avertit, propterea tamen non perdidisse jus ad vires naturales, & alioquin debitas, prout hæc sunt necessariæ ad implendam naturalem legem, sed solum prout conducunt ad fruendum prædicto fine. IV. Tentationem allicientem ad violandam legem, aliam esse gravem, aliam levem. Gravis non ex eo dicitur, quod ad grave peccatum inclinet, sed ex eo, quod etiam ad leve peccatum, omnibus tamen pensatis, graviter sive vehementer inclinet. Idem dicendum cum proportione de levi tentatione. Gravitatis tentationis e variis capitibus oboritur v. g. ex vivacitate cognitionis inclinantis ad peccatum, dæmonis instinctu, diuturnitate tentationis, ex habitu consistente in corporeis organis peccandi; & ex oppositis capitibus decrevit gravitas; proinde patet tentationem non consistere in indivisibili.

Præterea V. Tentationem nunquam posse esse tam intensam, ut non relinquat libertatem physicam ad non peccandum. Cum enim libertas saltem physica requiratur ad peccatum formale, si hanc destrueret tentatio, destrueret potentiam ad peccatum, & tentatio desineret esse tentatio ad peccatum, licet alioquin esset tentatio ad actum de se malum. At libertatem moralem destruere tentatio ad peccatum potest, quia videlicet hæc libertas essentialiter ad peccatum non requiritur, sed sufficit physica. Unde peccatum formaliter est imputabile, etsi peccans moraliter necessitetur ad committendum peccatum, ut patet in iis, qui ex vehementi passione & intenso habitu vitioso peccant.

Item VI. Tentationem vinci posse vel victoria *damnabili*, cum nempe una tentatio per consensum alteri tentationi præstitum su-

peratur; vel *salutari*, cum tentatio per actum positivum ad salutem positive conducentem, adeoque supernaturalem vincitur; vel *indifferenti*, cum per actum positivum naturalem vel per puram omissionem consensus superatur tentatio. De *1^{mo}* modo superandi tentationem, certum est ad illum non requiri; de *2^{do}* constat ex dictis, ad illum requiri gratiam actualem supernaturalem. Igitur solum quæritur de *3^{io}* modo, utrum ad illum necessaria sit gratia?

Denique VII. Nomine auxilii hic præcipue intelligendam esse gratiam internam illustrationis & inspirationis entitative naturalem; quæ illustratio & inspiratio (si in certis circumstantiis, in quibus non est debita determinato individuo, ut eidem detur) dicitur gratia contradistincta a beneficio creationis, atque adeo auxilium *speciale ac indebitum*. Hæc singula præ oculis habenda, ne rerum copia perturbationem invehat.

79

II. Quod attinet alterum quæsitum, observ. definitum esse in Concil. Trident. *sess. VI. Can. XXIII. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Circa hoc decretum docet I. P. Viva *Part. V. Disp. V. de necessit. gratiæ*: Concilium per verba *tota vita*, intellexisse longius aliquod tempus, in quo occurrant multæ occasiones labendi; nam si quis, præsertim *justus*, breviori vivat tempore, potest vitare omnia peccata venialia, cum ordinariis gratiæ auxiliis; cum fieri possit, ut per breve tempus occasiones peccandi non occurrant, nec tentationes urgeant, ac præceptum implendum sit facile. II. Per peccata venialia intellexisse ea, quæ committuntur etiam ex semiplena deliberatione; censent enim communiter DD. apud Soaresium *Tom. XIII. Lib. II. de voto c. III.* plures viros eximie sanctitatis, sine speciali privilegio *tota vita*, aut longo illius tempore, non peccasse venialiter, ex plena deliberatione ac advertentia. His positis sequitur

A S S E R T I O P R I M A.

Potest homo in statu naturæ lapsæ, potentia physica superare sine auxilio speciali quamvis tentationem gravem, tentationem vero levem potest sic superare etiam potentia morali; nequit tamen potentia morali superare ullam tentationem gravem sine auxilio speciali, neque potest eadem potentia longo tempore superare omnes tentationes leves.

HAs quatuor partes assert. cum communiore tuetur Mayrius 80
Tract. VI. Disp. I. quæst. II. art. X. Prima pars *probat.* I. Gravis tentatio, immo omnes tentationes graves collectivè sumptæ, per se loquendo non evertunt libertatem, nec tollunt potentiam physicam obtinendi victoriam, alias enim secundum dicta Num. 78. non inclinarent ad peccatum formale & imputabile, ergo. II. Homo in statu naturæ lapsæ suo libero arbitrio (neque enim istud per originale peccatum penitus extinctum est) & viribus naturaliter sibi debitis relictus, atque adeo omni alio auxilio indebito destitutus, posset graviter tentari, & tentationi consentiendo peccare, cur enim talis homo foret impeccabilis? sed h. i. hujusm. homo posset potentia physica resistere tentationi, eamque vincere; nam si iste homo potentia physica non potuisset vincere tentationem, habuisset necessitatem physicam eidem consentiendi, quod omnino dici nequit, cum non peccasset, defectu scilicet libertatis ad peccandum essentialiter requisitæ, quam illa necessitas physica tentationi consentiendi evertisset, ergo.

Secunda pars *probat.* Damnata sunt propositiones Bajana XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX. quibus docebat liberum arbitrium sine gratia non nisi ad peccandum valere, nullum peccatum, nullam tentationem vincere posse; igitur a contrario liberum arbitrium secluso speciali Dei auxilio, potest vincere aliquam tentationem, & præprimis quidem levem, quamdiu reipsa levis perseverat. II. Cum tentatio levis non adferat difficultatem gravem vitandi malum, ad quod inclinat, prorsus non apparet, in quo fundari possit impotentia moralis eam superandi; ergo liberum arbitrium solis viribus sibi debitis potest superare quamcunque levem tentationem.

Tertia pars *probat.* I. Ex Scripturis & PP. Psal. 17. v. 30. *In* 81
te, ait David, eripiar a tentatione, & Psal. 29. v. 8. Averisti fa-

ciem tuam, & factus sum conturbatus. Matth. 26. v. 41. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Jacob. 3. v. 8. *Lingua nullus hominum domare potest.* Apost. 1. ad Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Quæ verba indicant, quod eadem tentationes, quæ adjuvante nos Dei gratia speciali, vires nostras morales non superant, illa absente evaderent difficillimæ, & moraliter insuperabiles. Quod autem hi & similes textus non debeant sic intelligi, ut solum dicamus, necessarium esse speciale auxilium Dei ad vincendas merito- & salutariter tentationes, inde patet, quod iidem universaliter & sine ulla restrictione loquantur, & quod communis sensus universaliter accipiat, & quod de hac salutari victoria sit diversa quæstio jam decisa Cap. V. ut jam alias monui. S. August. *serm. XCIX.* alias *hom. XXIII.* hunc in modum loquitur: *Hoc tibi dicit Deus tuus: regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, svasor defuit: ut svasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci. Adfuit svasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentiret, ego terrui.* Duplex hic a S. Doctore gratia distinguitur; *externa* nempe & *interna.* Prior consistit in providentia & protectione Dei *speciali*, qua impeditur v. g. perversus homo vel demon, ne tali loco, tempore cum tanta vehementia tentet &c. Posterior consistit in illuminatione & inspiratione, de qua egi ad calcem Num. 78.

II. Ex ratione: Per originale peccatum natura humana plura vulnera accepit, nempe debilitatem mentis & voluntatis, adeoque vehementer infirmata est ad constanter recte operandum, cui si accedat gravis tentatio (ejusm. gravem tentationem Scripturæ & PP. simpliciter vocant *tentationem*) moraliter impossibile est, ut non labatur, plane sicut homini ex gravi ægritudine debili, moraliter loquendo cadendum est, si ad casum impellatur & auxilio quopiam v. g. baculo, vel alterius brachio non fulciatur. Hinc Psal. 117. v. 13. ajebat David: *Impulsus everfus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me.*

Quarta pars assert. *probat.* I. Homo lapsus viribus sibi naturaliter debitis relictus, nequit longiore tempore carere multis tentationibus saltem levibus, nec ob suæ voluntatis mutabilitatem ac debi-

debilitatem potest semper potentia morali in iis *æqualiter* versari, id est: eandem semper vincere; ergo habet moralem necessitatem, ut aliquando vincatur, ergo nequit longo tempore omnes tentationes, etiam secundum se leves potentia morali sine auxilio sibi indebito vincere.

Confertaria.

I. **I**lla gratia & auxilium Dei indebitum, quod dicebamus esse 82
 I homini lapsio necessarium ad graves tentationes vincendas, non debet esse *per se* & *ex natura rei* supernaturale quoad substantiam, sed sufficit, si entitative naturale sit, consistens in aliqua speciali illustratione intellectus & inspiratione voluntatis naturali &c. Ratio hujus patet: quia ad victoriam sterilem, sive non salutarem, minime requiritur ex natura rei gratia entitative supernaturalis. Nihilominus ordinarie, & regulariter loquendo, ex libera ordinatione Dei auxilium, quod in moderna providentia datur ad vincendam tentationem & observandam legem, est supernaturale quoad substantiam. Ratio est: quia in hac providentia gratia nobis confertur ex fine salutis aternæ obtinendæ, ad quam sola gratia entitative supernaturalis positive conducit. Atque in hoc sensu admitti potest, in præsentia providentia esse necessariam gratiam entitative supernaturalem ad vincendas tentationes. Similiter PP. dum sine ulla distinctione tentationum gravium & levium docent, gratiam esse simpliciter necessariam ad eas vincendas, intelligendi sunt de gratia supernaturali, in hac scilicet providentia necessaria, præsertim adversus hæresim Pelagianorum scribentes.

II. Ad observandam totam legem naturalem, adeoque vincendas tentationes contra illam, licet non sit necessaria *ex natura rei* fides Theologica, aut gratia habitualis, attamen utraque ex lege Divina modernæ providentiæ necessaria videtur ad totam longo tempore sine peccato gravi moraliter observandam. Ita Eximius Doctor *Lib. I. de necessit. grat. c. XXVII.* Ratio *in 2* partis est: quia observantia totius legis naturalis qua talis, & victoria tentationum contra illam, potest haberi per solos actus naturales honestos, ut patet tum e dictis, tum etiam ex eo, quod alias in natura pura (ubi nullum daretur supernaturale donum) lex foret observatu im-

possibilis; atqui ad actus naturales honestos nec gratia habitualis, nec fides Theologica requiritur, ut constat ex Trident. sess. VI. can. VII. definiente: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem sunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri - - anathema sit*; tum ex proscripta ab Alexand. VIII. propositione VIII. *Necessè est, infidelem in omni opere peccare.*

Rationem 2dæ partis pro fide Theologica adfert Soaresius loco laudato: gratia illa, quam Scripturæ & PP. docent necessariam esse in hac providentia ad vitanda peccata & resistendum diu tentationibus contra legem naturæ, est gratia fundata in fide, ergo hæc gratia requirit fidem, ergo saltem ex lege Dei non confertur hæc gratia nisi fidelibus. Ant. prob. ex ratiocinatione Pauli ad Rom. 3. nam ut ostendat Apostolus fidei necessitatem, asserit, gentes & Judæos prius plenos fuisse peccatis, quia de lege sua confisi, naturali sapientia & libertate, morali potentia non potuerunt vincere concupiscentias carnales; & inde concludit, fidei necessitatem ad diu moraliter vitanda peccata contra legem naturæ. Unde eodem cap. v. 27. ait: *Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est; per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei.* Ac si diceret, nullam esse gloriationem Judæo de obtenta justitia, quasi eam per opera legis adeptus sit, cum eam adeptus sit per fidem, quæ & ipsa est donum Dei, & per quam etiam cognoscimus conferri gratiam Dei, cujus auxilio obtinetur justitia, & sic excluditur omnis propria gloriatio, ut non nisi in Domino quis gloriari possit.

Ratio 3tiæ partis pro gratia habituali militat isthæc: Homini longiore tempore viventi, occurrunt utique multa, quæ alliciunt ad legem naturalem violandam: jam nisi homo cor obfirmatum habeat firmissimo proposito adversus omne peccatum, moraliter impossibile est, ut aliquando non labatur, atqui peccato gravi infectus, seu habitualiter aversus a Deo, non habet cor obfirmatum, atque adeo longiore tempore non operabitur conformiter ad legem naturalem teste Scriptura: *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*, Thren. I. v. 8. ergo. Unde etiam Arausicanum II. can. XIII. ait: *Arbitrium voluntatis, in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari*, atqui gratia baptismi, est gratia habitualis, & arbitrium ita fuit infirmatum, ut naturæ viribus saltem diu servare naturalem legem non pos-

posset potentia morali, ergo ut illam hoc modo servare possit, censuit gratiam sanctificantem esse necessariam ex lege Dei ad hoc, ut homini dentur gratiæ, quarum auxilio ad eam servandam juvetur. Et S. Greg. M. *hom. XVII. in Ezech. Peccatum, inquit, quod per penitentiam non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul & pœna peccati - - - si citius penitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in alteram culpam cadere permittit.*

III. Ex his conficies, quod tamen si Deus aliquando homini non solum *fideli peccatori*, sed etiam *infideli* det *specialia* auxilia, quibus tentationes aliquas graves superet, attamen ex lege Dei vix ulli *fideli peccatori*, multoque magis *infideli* dat talia auxilia, quibus moraliter possit tentationes graves per longum tempus occurrentes superare, adeoque nisi fidem & gratiam habitualem procuraret, morali necessitate intra longius tempus in aliquod mortale labetur. Excipe, si Deus in hac lege specialiter dispenset. Vide Soaresium loco laudato. Dixi: *morali necessitate*: nam etiam *fidelis*, at *mortali peccato infectus*, non habet eam gratiarum actualium seriem, & copiam (nempe internas illuminationes & affectiones) quæ requiritur ad potentiam moralem & proximam longiore tempore evitandi omnia mortalia, licet habeat potentiam physicam; immo & moralem remote sufficientem ad illa evitanda, in quantum accipit a Deo opportuno tempore & loco, gratias proxime sufficientes ad Deum orandum, invocandum, quibus si recte uteretur, acquireret quoque gratias sufficientes proxime, ad omnia mortalia vitanda. De his redibit sermo.

A S S E R T I O S E C U N D A.

Potest justus toto, aut etiam longiore vitæ suæ tempore, cum ordinariis auxiliis gratiæ habituali annexiis, vitare omnia venialia peccata collective sumpta potentia physica, non tamen morali potentia sine speciali Dei privilegio, & auxiliis gratiæ extraordinariis.

ITA sentiendum esse docemur ex definitione Tridentini recitata Num. 79. quam pluribus declaro. I. In ea asseritur, *justificatum* 85
ha-

habere impotentiam aliquam vitandi omnia peccata venialia, atqui hæc impotentia nequit esse physica, nam per dicta Num. 78. hæc impotentia everteret libertatem, & rationem peccati formalis destrueret, ergo hæc impotentia est moralis.

II. Non obstante gratia sanctificante, & gratiis actualibus justo dari solitis, perseverat rebellis concupiscentia ad delectabilia etiam prohibita inclinans, vertibilitas & inconstantia voluntatis humanæ, frequentes peccandi occasiones, prava hominum exempla; præterea sicut in exercitio diuturniore virtutum, ita in victoria variarum tentationum tandem ex fragilitate humana deficimus a bono (neque enim cor hominis *immobiliter* firmatur per gratiam sanctificantem in bono) sed ista fundant secluso speciali auxilio impotentiam moralem vitandi omnia venialia collective sumpta ad tempus longius, licet non seorsim & distributive sumpta, ergo.

III. Dicta definitio nititur autoritate Scripturarum: Proverb. 20. v. 9. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Jacob. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes;* Joan. 1. epist. c. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Hanc Joannis sententiam Augustinus *Lib. II. de peccat. merit. & remiss.* interpretatur de iustis; & *Lib. de nat. & grat. c. XXXVI.* *Si omnes, inquit, illos Sanctos & Sanctas, cum hic viverent, congregare possimus & interrogare, utrum essent sine peccato? - - - nonne una voce clamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Idcirco iusti dum se peccatores fatebantur, istud non dicebant modestiæ & humilitatis causa, ut voluere Pelagiani; nam etiam Milevitanum II. Can. VI. definit: *Placuit, quod ait S. Joannes: si dixerimus &c. quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit;* & Trident. sess. VI. c. XI. ait: *Iustorum illa vox est & humilis & verax: dimitte nobis debita nostra.*

Satisfit Objectionibus.

86 **O**ppon. contra *imam* assert. I. Plurimi dantur textus Scripturarum, CC. & PP. quibus dicitur, nos sine gratia Dei non posse vincere

cere tentationes, & servare legem Dei; certe Adamus non potuit observare præceptum de non edendo fructu verito sine auxilio indbito & quidem supernaturali; igitur homo absque speciali gratia, ne quidem physicam potentiam habet ad vincendam ullam etiam levem tentationem. II. S. Joan. in I. epist. c. 5. v. 3. ait: *Mandata ejus* (nempe Dei) *gravia non sunt*; sed si homo solis naturæ viribus relictus, non posset potentia morali vincere tentationem gravem contra legem Dei; & diu observare eandem legem, Dei mandata forent gravia, ergo. III. Si homo suis viribus relictus, non posset potentia morali superare tentationem gravem, sequeretur, quod actum malum, ad quem tentatio allicit, poneret cum morali necessitate, non autem cum morali libertate, sed h. i. non peccaret, adeoque non esset tentatio ad formale peccatum contra suppositum; ergo. *Prob. m.* ad peccandum graviter non sufficit libertas præcise physica, sed requiritur moralis; atqui hæc secundum assertionem nostram non daretur, ergo.

g. ad I. Hoc argumentum jam solutum esse ad calcem Num. 87 82. & aliis in locis. Ad præceptum Adami ajo: ex parte præcipientis, item motivi & circumstantiarum, istud præceptum fuisse positivum supernaturale; Deus enim ut author gratiæ & gloriæ hoc præceptum imposuit Adamo, ex fide & obedientia Deo debita observandum, per cujus observationem mereretur immortalitatem & æternam felicitatem in visione intuitiva Dei consistentem, adeoque dictum præceptum fuit supernaturale *quoad modum*. Quid igitur mirum, Adamo necessarium fuisse auxilium entitative supernaturale?

Ad II. admissio textu n. m. Nam dum dicitur, mandata Dei non esse gravia, intelligitur inprimis pro casu, quo adversus ea non urget gravis tentatio. Dein etsi urgeat gravis tentatio, tamen Deus *justis* semper dat speciale auxilium, quo potest potentia morali tentationem illam servando præceptum vincere, nec etiam injusto hujusm. auxilium negaretur, nisi ipse sua malitia se eo indignum reddidisset. Quibus non obstantibus verum manet, quod homo in statu naturæ lapsæ destitutus speciali auxilio, habeat impotentiam moralem, simul tamen potentiam physicam, tentationem gravem vincendi, & observandi totam legem longiori tempore, quæ moralis impotentia oritur ex concupiscentia, inconstantiâ voluntatis &c.

Ad III. C. M. n. m. Licet enim verum sit, quod si homo non posset potentia physica actum malum omittere, sed ad eum necessitaretur physice, defectu libertatis, ejusm. actus non sit formaliter peccatum & imputabile; si tamen per tentationem gravem, quam potentia morali non potest vincere, ita ad actum malum traheretur, ut eum necessario necessitate morali poneret, nec posset potentia morali eum omittere, iste actus esset formaliter peccatum & imputabile, dummodo potentia physica eum omittere posset, ut liquet e dictis Num. 78. Hujus paritatem a contrario accipe: nam etiam ad actum formaliter meritorium sufficit libertas physica, non obstante morali necessitate, quemadmodum patet in iis, qui ex intensissimo habitu virtutum (quidquid demum per hunc intelligas) cum morali necessitate exercent actus virtutum meritorios. Ad m. probat. Dist. M. ad peccandum graviter, requiritur libertas moralis, hoc est: requiritur libertas, quæ sit conjuncta cum advertentia ad malitiam, ut transgressio legis possit imputari C. M. requiritur libertas sine difficultate moraliter invincibili N. M. & concessa m. pro quibusdam casibus, n. conf. Est quippe certa apud T. T. sententia, sufficere libertatem physicam ad peccandum, & nisi istud admittatur, nequit dari ratio, cur v. g. cum necessitate morali ad venialiter peccandum sine speciali gratia intra longius tempus, stet nihilominus ratio culpæ & demeriti, atque reatus pœnæ in flammis purgantibus. Dixi: *pro quibusdam casibus*: nam saepe non deest gratia vel naturalis, si hæc sufficit, vel supernaturalis *immediate*, vel saltem *mediate sufficiens* ad reddendam victoriam moraliter possibilem. Est autem gratia sive auxilium *immediate sufficiens*, quo absque ulteriore auxilio præceptum Dei implere possumus; *remote sufficiens*, vi cujus auxilium proxime sufficiens petere possumus ad præceptum Dei implendum.

88 *Oppon. contra 2dam assert. I.* Quæ vitari non possunt, non sunt proprie peccata, igitur si venialia omnia non possunt vitari longiore tempore sine speciali privilegio, & illud privilegium Deus non est paratus dare, jam non sunt peccata proprie dicta. *II.* Si justus cum ordinariis gratiæ auxiliis, non posset moraliter vitare longiore tempore omnia venialia, Deus juberet impossibilia, & homo destitueretur libertate ad peccatum formale requisita, sed utrumque adversatur sanæ doctrinæ, ergo. *M. probat. 1mo*: Deus enim præci-

piendo, ne unquam peccemus *venialiter*, jubet nos vitare totam collectionem venialium, & non solum singula venialia distributive accepta. 2do: Ad peccandum requiritur libertas indifferentiæ, atque illa non daretur, cum justus non possit vitare omnia venialia, ergo. III. Justus cum ordinariis gratiæ auxiliis, potest potentia morali vitare singula, seu omnia venialia distributive sumpta, quolibet instanti, igitur eadem potentia potest vitare etiam omnia collective sumpta longiore tempore. *Conf. probat.* tum quia valet illatio a sensu distributivo ad collectivum; tum quia superatis tentationibus intra breve tempus, merebitur a Deo hac sua victoria novas gratias, quibus adjutus deinceps etiam a peccando absteineat.

¶ ad I. Dist. ant. quæ vitari non possunt simpliciter, id est: nec potentia physica, nec morali, non sunt proprie peccata c. ant. quæ non possunt vitari potentia morali, possunt tamen physica n. ant. dist. conf. si vitari venialia singula seorsim non possint, nec physica, nec morali potentia, non sunt proprie peccata c. conf. si vitari omnia collective non possint potentia morali, possint tamen physica, non sunt proprie peccata n. conf. Peccata non collective, sed seorsim & distributive vitanda occurrunt, seorsim itaque vitari possunt & quidem potentia morali, seorsimque imputantur veniale peccatum committenti.

Ad II. N. M. Nam etsi homo haberet præcisè potentiam physicam vitandi aliquod peccatum, Deus non juberet impossibile; neque id, quod solum moraliter est impossibile, dicitur striæ & proprie impossibile. Ad *1mam* probat. dico: Deum præcipiendo, ne unquam venialiter peccemus, jubere nos vitare peccata, prout vitanda occurrunt: occurrunt autem, ut dixi, seorsim distributive, non item simul collective, cum sic ne quidem occurrere ac patrari possint. Hinc sufficit, ut omnia possint vitari distributive, seu quod idem est, ut nullum possit occurrere, quod nequeat vitari. Ad *2lam* ¶. etiamsi admittatur, a Deo præcipi omnia venialia collective sumpta esse vitanda, adhuc salva manet libertas, & ratio peccati formalis, cum justus ad sic vitanda haberet potentiam physicam, moralem vero ad singula.

Ad III. dico: a sensu distributivo ad collectivum non subsistere illationem vi formæ, ut docet Dialectica, potissimum quando agitur de quantitate, potentia, & necessitate. Sic nullius roboris est

hæc consecutio: possum levare lapidem A, & lapidem B. &c. ergo possum omnes lapides collective sumptos levare; plus etenim affirmatur in consecutione, quam præmissis. Ad alterum *q.* posse quidem absolute loquendo justum mereri novas gratias, quibus adjunctus absteineat omni peccato; in moderna tamen providentia, ac stante appetitus inferioris rebellionem &c. cum non semper faciat, quod potest, innataque inconstantia humani arbitrii deficiat, inde est, quod de potentia ordinaria longiore vitæ tempore se ab omni peccato præservare nequeat.

89 Multa præter hucusque dicta pertinent ad argumentum hujus Capituli; ex iis igitur accipe I. Esto homo solis naturæ viribus possit superare gravissimas tentationes seu difficultates ex motivo vanæ gloriæ, vel alio motivo pure naturali, ut e. g. cum hæretici cruciatus & mortem ipsam pro erroribus suis pertinaciter tuendis subeunt, vel cum Gentiles amore erga patriam suam, forti animo mortem perpetiuntur, inde tamen non sequitur gravem tentationem contra præcepta naturalia, posse superari ex motivo honesto naturali sine auxilio speciali. Dispar ratio est: quia, ut experientia docet, motivum & bonum mundanum ac sensibile (per quod intelligo quodlibet sensibus delectabile & appetitui depravato conforme, cujusmodi est vana gloria, vindicta &c.) vivacius apprehendimus in statu naturæ corruptæ, quam bonum honestum, sive honestatem naturalem per legem naturalem intentari, cum hæc solum obscure proponatur intellectui. Unde homo pulsatus gravi tentatione, nisi speciali auxilio firmetur, cadit. Quod si Gentiles admodum ardua ex honesto motivo perfecere, illis utique non deerat speciale auxilium ordinis naturalis, v. g. cogitatio honesta congrua.

II. Licet ad omissionem puram liberam non requiratur auxilium speciale, & ommissio actus, ad quem ponendum quis tentatur, sufficiat ad superandam tentationem gravem (etiam contra præcepta supernaturalia) hinc tamen non inferitur, dari potentiam moralem superandi tentationem gravem secluso speciali auxilio; quia saltem moraliter nequit dari ommissio pura, dum concupiscentia per gravem tentationem urgetur ad objectum cognitum & delectabile.

III. Lex positiva saltem humana non potest obligare ad aliquid moraliter impossibile; potest tamen lex Divina & naturalis. Ratio di-

dispar dari solet: quia Legislatori humano non est potestas concessa obligandi ad aliquid, quod de se & antecedenter ad legem est indifferens, nisi illud posita lege maneat moraliter possibile, ita nempe exigente communi bono Reipub. cui bono servire debet lex, ut sit iusta & valida. Contra vero: Deus tanquam supremus Dominus, potest a creatura sua exigere omnia ea, ad quæ illa vires sufficientes habet, etsi cum maxima difficultate, in qua impotentia moralis consistit, sint conjuncta. Dein lex naturalis in quantum præcipiens respicit ea, quorum ommissio est antecedenter ad legem saltem fundamentaliter *intrinsece mala*; & in quantum prohibens respicit ea, quæ sunt per se naturæ rationali qua tali disconvenientia. Unde etiam obligat rigidius, nempe cum quovis incommodo & vitæ periculo, ut patet in præcepto non mentiendi, non pejerandi &c. Denique Deus author legis naturalis dat vires saltem remote sublativas impotentia moralis, ita ut si homo proxime sufficientes non habeat, id propria hominis culpa accidat; etenim Deus has etiam paratus est dare petenti & cooperanti gratiis (seu dein naturales, seu supernaturales sint istæ pro diversitate actuum) remote sufficientibus secundum illud Trident. sess. VI. c. XI. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.*

IV. Ex eo quod Deus nequeat sub gravi præcipere homini, ut singulis aleæ jactibus eundem numerum jaciat, quod tamen est physice possibile (cum istud interdum fiat per solas naturæ vires) & solum moraliter impossibile, inde tamen non licet arguere: ergo nec potest obligare ad servandam totam legem utpote moraliter impossibilem. Ratio dispar est: quia possibilitas physica jaciendi eundem numerum singulis jactibus, cum sit prorsus *fortuita* respectu jacentis, utpote nescientis, nec omnino potentis scire, quo modo jaci debeat alea, ut idem semper numerus resultet, non est in libera potestate, & electione hominis, adeoque nec sub præceptum cadere potest. At vero possibilitas physica servandi legem, est in potestate & electione libera hominis, cum servare, vel non servare dependeat a libertate & determinatione illius; & alioquin Deus obligans confert auxilia sufficientia ad legem servandam. Præterea cum lex naturalis innotescat homini per lumen rationis, & hoc lumen non extinguatur urgente etiam gravi tentatione, nec

voluntati vis ulla physice insuperabilis inferatur, h. i. homo sicut ex propria electione & determinatione agit consentiendo tentationi, ita obligari ad non consentiendum illi potest. Interim si tentatio adeo sit gravis, ut rationem absorbeat, & omnem advertentiam ad malitiam objecti impediat, non erit formale peccatum.

V. Dum admittimus, posse servari totam legem naturalem, etiam longo tempore potentia physica, loquimur de lege naturali præcise secundum se accepta, seu prout ea versatur circa sola objecta naturalia, & præscindimus ab elevatione naturæ lapsæ ad finem supernaturalem. Jam etsi verum sit, quod lex naturalis, prout in moderno statu *elevationis* naturæ lapsæ ad finem supernaturalem, obligans ad quærendum finem, seu beatitudinem supernaturalem, adeoque ad ponendos necessario actus supernaturales, ne quidem potentia physica servari possit, absque gratia entitative supernaturali, nihil inferitur absurdi adversus nostram assertionem primam, ut consideranti patet.

90 VI. Homo Gentilis non potest elicere ante fidem, iullum actum supernaturalem non pertinentem ad fidem, & meritorum seu justificationis, seu præmii supernaturalis distincti ab eo, quod conducit ad fidem *perfectam*; potest tamen ante fidem *perfectam* elicere actum supernaturalem, pertinentem inchoative ad fidem. Ratio hujus est: quia etsi Gentilis habita illustratione supernaturali e. g. de colendo Deo, si eum colat aliqua ratione, vel statuat se velle colere, si sciat modum colendi, per hujusm. actum mereatur, tunc meretur solum gratiam intra ordinem fidei, hoc est: præparantem & disponentem animum ejus in ordine ad hoc, ut assequatur *perfectam* fidem. Gentilis igitur ordinarie hoc vel simili modo veram & perfectam fidem adipiscitur: cum homo perfecta ratione præditus, ad longius tempus invincibiliter ignorare Deum non possit, tunc si non præveniatur superna illustratione, dum *una* naturalis cognitio oritur ad affirmandam Dei existentiam, Deus, qui omnes homines vult salvos fieri 1. ad Timoth. 2. & qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Joan. 1. v. 9. ex sua misericordia illico illustrat eum lumine supernaturali, ut possit cognoscere Deum ut remuneratorem, illiusque assensus de existentia Dei omnino supernaturalis sit. Jam si postea homo adjunctus aliis auxiliis supernaturalibus faciat, quantum est in se colendo, invo-

cando &c. Deum, Deus vel per Ministrum, vel certe per specialem illustrationem faciet, ut perfectam agnitionem mysteriorum Christianæ fidei, & justificationem ac denique beatitudinem æternam obtineat. De hoc sermo recurret in Dissert. III. Unde vides merito proscriptas propositiones Quæsnellianas Num. 58. laudatas; cum certum sit Infideles a Deo ad fidem vocari, atque adeo dari iis supernaturalem gratiam, qua per prævias dispositiones ad perfectam fidem pervenire possint, quæ dispositiones nondum sunt ipsamet fides, sed *inchoationes fidei*, ut eas vocat Augustinus. Hic igitur observ. CC. & PP. communiter docere, ad omnem actum salutarem & meritum præmii supernaturalis prærequiri fidem. Sic Arausic. II. c. ult. ait: *Deum nullis nostris præcedentibus meritis prius fidem inspirare*; S. Greg. homil. XIX. in Ezech. *Non virtutibus, iuquit, venit ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes*, nempe salutares; quæ doctrina propter Infideles intelligi debet, de fide *imperfecta, initiali & inchoata* supernaturali tamen. Vide Num. 56. de Cornelio Centurione.

VII. Non est de ratione necessitatis moralis venialiter peccandi, ut superetur, quamvis multæ necessitates morales ejusm. sint, ut aliquando superentur. Hæc necessitas non physicam modo, verum etiam moralem libertatem relinquit vitandi omnia venialia distributive sumpta, quia scilicet illi tituli, in quibus hæc necessitas fundatur, non habent etiam moralem necessariam cum ullo determinato peccato connexionem, sed solum cum aliquo *indeterminato* & quidem per longius vitæ tempus. Quare necessitas venialiter peccandi est *vaga & indeterminata*, quia cum nullo determinato veniali connectitur, nec ullum seorsim est, quod necessario moraliter committatur.

VIII. Eadem hæc necessitas non connectitur *determinate* cum futuritione peccati, sed duntaxat *indeterminate*, videlicet vel cum peccati futuritione, vel cum speciali privilegio Dei: Hinc non recte inferitur: *Petrus habet necessitatem moralem, longiore vitæ tempore venialiter peccandi, atqui non peccavit in instanti A. B. &c. igitur peccabit in instanti vitæ ultimo*; sed potius sic inferendum: *atqui non peccavit longiore tempore, igitur obtinuit speciale privilegium*. Aliud est, si hunc in modum arguas: *Petrus existens, necessario existit in aliquo loco, sed non existit in loco A. B. & reliquis, ergo existit in*

loco C. Datur enim necessitas metaphysica existendi in aliquo loco, quæ nullo modo est superabilis; at in priori casu necessitas moralis per privilegium superari potest. Idem dic cum proportionem de necessitate physica, quæ per miraculum vinci potest, & illius extremum impediri.

IX Votum de vitandis omnibus omnino venialibus, quod per modum unius nuncupatur, non est validum, quia votum debet esse de re moraliter possibili, ad vitanda autem omnia collective sumpta etiam semiplene deliberata, hujusmodi potentia caremus. Votum enim utpote obligans instar legis humanæ, nequit obligare ad aliquid moraliter impossibile. Propositum vero de vitandis omnibus omnino venialibus fieri potest, & secundum Vivam, aliosque, fieri debet, cum detur potentia physica ad ea omnia vitanda. Vide Soaresium *Tom. XIII. Lib. II. de mater. voti c. III.* Cæterum quæ sit mensura temporis, quo possit justus se immunem præstare ab omni peccato veniali, incertum est. Aliqui ne unicum quidem diem concedunt secundum illud Proverb. 24. v. 16. *Septies in die cadet justus*; verum vox *in die* nec in Hebræo, nec apud LXX. Interpretes, nec in Latinis vulgatis emendationibus reperitur.

CAPUT DECIMUM.

Utrum ad perseverandum usque ad finem in accepta justitia, opus sit auxilio gratiæ specialis?

91 **I**N præsentem quæritur: an auxilium gratiæ specialis distinctum ab ordinariis, quæ conferuntur a Deo omnibus justis seu gratia sanctificante ornatis, necessarium sit ad *finalem* perseverantiam? Hanc *finalem* perseverantiam nominat S. August. *Lib. de dono perseverant. c. I.* illam, *qua usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico*, pergit S. Doctor, *quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est, ne cadat*, & de qua legimus *Matth. 10. v. 22. Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit*, ut videlicet discrimen fiat inter istam ac *alicujus temporis* perseverantiam, quo justus in gratia sanctificante perseverat, ac subinde, per grave peccatum deficit. Pelagiani non dubitarunt asserere, justum per-

perseverare posse usque in extremum vitæ finem per solas vires liberi arbitrii. Semipelagiani quemadmodum initium fidei, ita quoque alios actus liberos, quibus in bono perseveratnus, negabant esse donum Dei & a gratia procedere, teste Augustino libro laudato c. XVII. de iis ita scribente: *Quam fidem & incipere habere & in ea usque in finem perseverare, tanquam id non a Domino accipiamus, nostrum esse contendunt*, ideoque docebant, posse hominem propria voluntate, id est: volitione non accepta a Deo, perseverare in fide, in gratia sanctificante, nec esse donum Dei perseverantiam usque in finem; ut constat ex Num. 26. quamvis ipsam mortem gratiæ sanctificanti conjunctam, non differerentur esse donum Dei, ut refert Gonzalez *Tom. I. disp. XX. sect. I.* Contra hos pugnat Catholicorum doctrina apud Soaresium *Tom. VI. Lib. X. de conservat. grat. habit. c. IV.* cui & nostra accedit.

A S S E R T I O.

Potest justus potentia physicacum ordinariis auxiliis, quæ justis nunquam denegantur, perseverare in gratia sanctificante per longum tempus, usque ad finem vitæ, non tamen potentia morali, ideoque ad perseverandum finaliter necessaria est gratia prorsus specialis, distincta a gratia sanctificante & ordinariis auxiliis.

Primum assert. membrum continet dogma fidei a Tridentino traditum Sess. VI. c. XI. *Nemo, inquit, temeraria illa & a PP.* 92
sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet &c. Et eadem Sess. can. XVIII. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* Idem definivit Innocentius X. damnans ut impiam, b'asphemam & hæreticam hanc Jansenii primam proposit. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & corantibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* E quibus sequitur quemlibet justum habere potentiam physicam, seu vires active & relative ad præsentem circumstantias omnino sufficientes, cum ordinariis auxiliis observandi præceptum, ac vitandi

peccata gravia, adeoque longiore etiam tempore usque in finem vitæ perseverandi in gratia sanctificante.

Alterum membrum perinde videtur complecti dogma fidei; Soaresius omiſſa hac lite, ait veritatem hujus membri esse certam exploratamque, quod ostenditur: Trident. nominata Sess. can. XXII. definivit: *Si quis dixerit justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit*, cum igitur ad perseverandum in accepta justitia seu gratia sanctificante oporteat vitare omnia omnino gravia peccata, & justus cum ordinariis auxiliis, gratiæ sanctificantis annexis & debitis, nequeat vitare omnia peccata gravia collective sumpta, potentia morali longiore tempore, necessarium erit iusto auxilium speciale distinctum ab ordinariis auxiliis, quo possit vitare potentia morali omnia peccata gravia, & reipsa perseveret in accepta justitia. Oritur autem hæc impossibilitas moralis omnia peccata gravia simul sumpta vitandi, potissimum ex rebellione concupiscentiæ, quam gratia sanctificans nec extinguit, nec refranat, nec per se formaliter, aut per suos habitus justum adjuvat ad illam facilius vincendam, sed solum per auxilia actualia ipsi connaturaliter debita, quæ non sunt hujusm. ut diurnam perseverantiam præstent, licet ad eam absolute sufficiant. Unde PP. Concil. Arausicani II. can. X. ajunt: *Adjutorium Dei renatis & sanctis est semper implorandum, ut ad finem bonum perveniant, vel in bono possint opere perdurare.*

93

Ulterius ostenditur auxilium illud, quod diximus ad perseverantiam finalem necessarium, omnino speciale esse. I. Tridentinum can. laudato per *speciale* auxilium intelligit donum super communia auxilia connaturaliter debita justis, ut constat ex Sess. VI. c. XIII. ex quo canon XXII. desumptus est, ubi concilium docet de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est cum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet.* II. Arausicanum proxime relatum ait: *Adjutorium Dei etiam renatis & sanctis est implorandum;* cur vero implorent illud, si non est distinctum a gratia habituali, & gratiis ordinariis habituali gratiæ annexis? cum nemo petat ab alio, quod sua in potentate habet. III. Hujusm. auxilium & protectio non debetur iusto ratione gratiæ sanctificantis seu ratione peculiariter inhabitantis Spiritus

ricus Sancti animam iusti; cum tale auxilium non detur iustis omnibus, nullo igitur jure debetur illud iusto. Cur vero uni detur, non item alteri iusto hoc donum finalis perseverantiæ, inscrutabilibus Dei judiciis attribuitur, *Ex duobus iustis*, inquit, *Lib. de dono perseverant. c. IX.* Augustinus, *cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Denique donum finalis perseverantiæ est specialis Dei providentia, qua Deus hominis mortem ita decernit, ut ea cum gratia sanctificante conjungatur.

Solvuntur Objectiones.

Oppon. I. Quilibet iustus cum iis duntaxat auxiliis, quæ sibi debentur ratione gratiæ sanctificantis, habet moralem & proximam potentiam perseverandi in bono, quibuscum potest omnia peccata mortalia evitare, igitur non eget speciali & uberiore auxilio ad perseverandum finaliter. II. Milevitanum II. can. III. definit. *Placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur, per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam adiutorium, ut non committantur; anathema sit;* atqui peccata non committere est perseverare in gratia, ergo. III. Deus sua gratia sanctificante iustificatum non deserit, nisi prius ab ipso deseratur, ut S. August. *Lib. de nat. & grat. c. XXVI.* & Trident. Sess. VI. c. XI. ait: *Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur,* atqui si speciale auxilium requireretur ad vitanda omnia peccata gravia longiore tempore, & finaliter perseverandum, Deus prius desereret iustum, cum hoc speciale auxilium dependeat a voluntate Dei, quod largitur, quibus voluerit; ergo.

R. ad I. Quemlibet iustum cum auxiliis gratiæ sanctificanti annexis habere potentiam physicam & antecedentem vitandi omnia peccata etiam collective accepta, & perseverandi usque in finem, non tamen habet potentiam moralem, & consequentem sic vitandi omnia peccata &c. ut enim omnia peccata collective accepta vitet, requiritur speciale auxilium gratiæ vel interioris illustrantis intellectum & moventis voluntatem per congruas & effi-

aces cogitationes, vel *exterius* protegentis per remotionem occasionum peccandi &c. Ex eo autem quod quis acceperit gratiam sanctificantem, non sequitur illi semper dandas esse gratias congruas & efficaces, sub quibus Deus eum prævidit per scientiam mediam consensurum, ac recte operaturum, sed solum sequitur, illi conferendas gratias sufficientes, sub quibus posset, si vellet, in quovis particulari casu observare legem, & peccata vitare. Istud autem est moraliter impossibile, ut longiore vitæ tempore uniformiter semper operetur sub auxiliis illis sufficientibus & ordinariis gratiæ habituali annexis ob rebellionem concupiscentiæ, inconstantiam voluntatis &c. Consule Num. 92. ad finem.

Ad II. eadem est responsio. Equidem gratia sanctificans cum ordinariis auxiliis dat sufficientem potentiam physicam vitandi omnia peccata gravia simul sumpta, non tamen dat moralem & proximam ad hujusmodi effectum, ob voluntatis nostræ inconstantiam, & propensionem in sensibilia. Nec eodem modo voluit Concilium eam valere ad remittenda, atque ad vitanda peccata: nam peccata se sola *formaliter* extinguit; & præstat *efficienter* duntaxat, ne peccata committantur dependenter a libera cooperatione hominis, qui inconstantia & mutabilitati subjectus est; atque adeo moraliter impossibile est, ut longiori vitæ tempore ex tot innumeris auxiliis ordinariis alicui vage accepto non dissentiat, nisi adsit speciale auxilium, de quo loquitur Trident. Sess. VI. can. XXII.

Ad III. C. M. n. m. nam si sermo sit de desertione proprie tali, qua Deus hominem deserit, ipsum amicitia sua privando, manifestum est, Deum hoc modo justum non deserere, nisi prius ab eo Deus deseratur per peccatum grave commissum. Si autem sermo sit de desertione improprie accepta, qua Deus justum deserere dicitur, non conferendo ipsi gratiam per scientiam mediam prævisam congruam & efficacem ad vitandum peccatum, & salutariter operandum; sed permittendo ut graviter labatur, Deus etiam hoc sensu non deserit prius, quam deseratur. Quamvis enim justus perseverans in justitia, proprie & simpliciter non deserat Deum, eum nihilominus aliquo modo deserit, cum auxiliis sibi datis non ita recte utatur semper, quemadmodum posset. Sic justus sæpe in oratione committit negligentiam, teporem &c. & quia ejusmodi culpam semper committit justus, priusquam Deus ipsum graviter labi permit-

mittat, verum manet, Deum sua gratia justificatum non deserere, nisi prius ab ipso deseratur. Huic doctrinæ suffragatur Tridentinum Sess. VI. c. XIII. his verbis: *Deus enim, nisi i si illius gratiæ defuerint, sicut cepit otus bonum: ita perficiet operans velle & perficere.* Interim verissimum est, Deum omni justo conferre auxilia vere & relative sufficientia, ut possit perseverare, si velit (etiam tunc quando abest auxilium speciale) quamvis ea nec tribuant, ut actualiter nempe in actu 2do velit, nec ut actu reipsa perseveret, nisi voluntas iusti per aliud distinctum speciale auxilium præparetur, id est: nisi congrua & efficax gratia ipsi conferatur, & adsit specialis protectio Dei.

Pro reliquis observ. I. Donum perseverantiæ finalis possumus 96 mereri & meremur merito *congruo & impetrativo* non habente infallibilem effectum defectu promissionis Divinæ, adeoque speciale illud auxilium & donum perseverantiæ finalis cadit sub merito congruum improprie tale. Istud tum ex S. Augustino discimus *Lib. de dono persever. c. VI.* dicente: Hoc Dei donum (perseverantiæ finalis) *suppliciter emereri potest*, tum ex usu Ecclesiæ fundentis preces ad impetrandam piorum perseverantiam, & Christo ipso docente, ut eam petamus per illa verba: *Et ne nos inducas in tentationem.* Unde Augustinus dum c. XV. addit: *Satis dilucide ostenditur, & inchoandi & usque in finem perseverandi gratiam Dei nos: secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam, eandemque justissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem,* excludit præcise meritum condignum, & meritum congruum ortum e solis naturæ viribus, aut certe intelligit, donum perseverantiæ finalis nulli merito congruo supernaturali esse infallibiliter alligatum, cum Deus nulli hujusm. merito promiserit in præmium finalem perseverantiam. De hoc copiosius loquemur in V. Dissert. quo reipsa pertinet. Ex quibus patet, justum aliquo modo posse obtinere illud auxilium ad finaliter perseverandum necessarium, orationibus, aliisque piis operibus, ad quæ opera exercenda non desunt iusto gratiæ sufficientes, quibus si recte usus fuerit, uberiores largietur gratias misericors Deus ad perseverandum.

II. Justis prædestinatis ad gloriam debetur speciale auxilium ad perseverantiam finalem, non quidem ratione gratiæ sanctifican-

tis, vel alterius doni, verum ratione Divini decreti, quod cum mutari nequeat, ex necessitate suppositionis facti decreti, iis tale auxilium confertur.

III. Sæpe evenit, ut adultus celeri morte in sua justitia e vivis decedat, vel parvuli rite abluti sacro baptismo moriantur. In istis pariter elucet donum Dei speciale, distinctum a gratia sanctificante, & auxiliis communibus, immo etiam extraordinariis, quæ videlicet solum conferuntur ad perseverandum diuturno, non item toto vitæ tempore. Quod etenim majus indicium specialis protectionis & providentiæ Dei, quam eo momento temporis hominem ad se evocare, quo dignus est paterna hæreditate, & gloria cœlesti? secundum illud Sapient. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Neque enim hoc peculiare beneficium consistit præcisè in internis motionibus congruis & efficacibus, sed etiam in protectione externa: qua vel omnino tollantur pericula peccandi, vel ita attemperentur, ut non nisi viribus gratiæ ordinariæ, & liberi arbitrii commensa occurrant. De utroque hoc tum præmaturæ mortis justî, tum perseverantiæ singulari munere Divino apposite scribit August. *Lib. de corrept. & grat. c. VIII.* Sicut ergo, inquit, *cogimur fateri, donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant, ita donum Dei esse in bono perseverantiam, fateantur nobiscum, & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure ad versus Deum, dignentur ignorare nobiscum.* Memores nempe illius ad Rom. 11. v. 33. 34. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit viam Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?*

CAPUT UNDECIMUM.

Quod gratiæ genus datum & necessarium fuerit in statu naturæ sanæ & integræ?

97 **Q**uanta sit necessitas in statu naturæ lapsæ ac reparatæ, gratiæ actualis interioris ad actus vitæ æternæ & præmii supernaturalis meritorios, item ad observandam legem ac perseverandum
fina-

finaliter, hucusque explanavimus; in præfenti jam quaeritur: utrum etiam Adamus in statu naturæ sanæ & integræ (de quo Num. 6. actum est) indiguerit gratia actuali interiori ad actus salutare eliciendos; & in quo illa potissimum consistit? quo deciso simul elucescet utriusque status gratiæ discrimen. P. Ludovicus Molina, Gregor. Ariminensis, Joan. Driedo, Joan. Martinonius, Stephanus Deschams, Card. Bellarminus *Lib. IV. de grat. primi hominis c. IV.* & alii existimarunt, Adamo innocenti ad salutariter operandum, & in justitia originali perseverandum nullum simpliciter fuisse necessarium actuale aliquod Divinæ gratiæ auxilium, præter sanctificantem gratiam, habitusque infusos. Verba Molinæ in *liberi arbit. concordia quaest. XIV. art. XIII.* sunt isthæc: *Augustinus Lib. de corrept. & grat. c. XI. & XII. procul dubio nomine adjutorii, cum quo Adam in statu innocentis perseverare potuit sine peccato, non aliud intellexit, quam dona habitualia justitiæ habitualis, gratiæ & Theologalium virtutum, per quæ & continebatur pars inferior, ne bellum adversus rationem moveret, & totus homo in naturale & supernaturale bonum per ejusm. habitualia dona propendebat, facileque viam mandatorum poterat currere, resistereque illi ipsi tentationi, cui succubuit.* Hæc Molina. Verum multo plures cum Soaresio, Simonneto *Tract. VI. de grat. Df. II. art. VII.* tuentur: Adamo in dicto statu simpliciter necessarium fuisse auxilium aliquod actuale gratiæ intellectum afficientis.

A S S E R T I O.

Adamo innocenti necessarium erat ad exercendum bonum & vitandum malum modo salutari, supernaturale actuale auxilium gratiæ, præcise intellectum afficientis.

PARS I. assert. nicitur auctoritate S. Augustini: Sicut oculus corporis, inquit S. Doctor. *Lib. de nat. & grat. c. XXVI. plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi a luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere;* igitur sicut oculus quantumcumque sanus videre nequit, nisi candore lucis adjuvetur, ita pariter nec Adamus innocens, gratia habituali, infusisque habitibus instru.

structus, potuit aliquem salutarem pium actum elicere sine actuali auxilio Divinæ gratiæ. Et vero simpliciter nequit fieri, ut natura rationalis actum salutarem eliciat, aut per actus salutare perseveret in accepta iustitia, quin dirigatur per cognitionem proportionatam. Idcirco Arausicanum II. can. XIX. definivit adversus Pelagianos: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit;* ubi Concil. per verba: *sine gratia Dei* intelligit auxilium supernaturale interius, quod negarunt Pelagiani ad actum salutarem necessarium. Vide reliqua rationum momenta Cap. V. quibus ostendimus in prima assert. ad omnem actum salutarem vitæ æternæ necessariam esse gratiam actualem entitative supernaturalem.

99

Pars altera assert. nempe: supernaturale actuale auxilium gratiæ, innocenti Adamo necessarium, fuisse adiutorium præcise intellectus, adeoque in sola illustratione intellectus constituisse, non vero in motione indeliberata complacentiæ, vel desiderii, qua voluntati bonum, per supernaturalem illustrationem propositum, suaviter placet, non uno argumento evincit noster Martinonius in *Arijansenio Disp. XXII.* & probatur cum illo I. Eo ipso quod mens Adami illustratione supernaturali collustrata supponatur, qua bonum salutare proponebatur voluntati Adami, voluntas Adami seclusa omni supernaturali motione & affectione præveniente complacentiæ vel desiderii circa illud bonum, habeat omnia ad illud bonum v. g. sincero, sanctoque amore diligendum. Cum enim Adami voluntas libera foret a motibus concupiscentiæ per iustitiam originalem, adeoque dono integritatis munita, sana ac robusta esset; seu ratione cuius nihil adesset intrinsicus, quo impediretur aut retardaretur a prosecutione boni salutaris, sive volitione & operatione salutari, non indigebat præveniente & indeliberata motione ad illud bonum diligendum. At vero in statu naturæ lapsæ necessaria est supernaturalis motio indeliberata complacentiæ vel desiderii circa bonum salutare, vel displicentiæ aut fugæ circa malum propositum; quia ex culpa originali voluntas infirmata ita efferatæ concupiscentiæ vinculis constringitur, ut tametsi cælesti lumine perfusa, & supernis habitibus instructa, nulla ratione possit assurge-

gere, nisi excitetur, sanetur & coroboretur per motionem illam indeliberatam. Id agnovit S. August. dum ait *Lib. de spirit. & liter. c. IV.* illustrationem mentis ad bene agendum nobis non prodesse, *ubi non adjuvat S. Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam.* Et *Lib. de corr. & grat. c. XI.* Ille (Adamus) non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti (in statu naturæ lapsæ) cum dicunt, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Vide plura Num. 54.

Ex his vides, præcipuum discrimen esse inter gratiam sanitatis, seu naturæ integræ, & gratiam medicinalem seu naturæ reparatæ, quod illa præter illustrationem intellectus, non necessario inclusit motionem & inspirationem indeliberatam voluntatis, cum ista requiratur ad superandos rebellis concupiscentiæ motus, quibus Adamus in eo statu omnino caruit; hæc vero necessario includat.

Et vero ex ipsius Jansenii (quem hic ex latere impugnamus) principiis aperte ostendit P. Deschamps *Lib. III. de hæresi Jansen. Disp. III.* frustra ipsum constituere discrimen inter gratiam naturæ sanæ & integræ, atque infirmæ & lapsæ in eo, quod auxilium actuale naturæ sanæ fuerit suapte natura seu intrinsece indifferens, flexibile, atque arbitrio subiectum quoad usum; ac proinde reliquerit libertatem a necessitate; auxilium vero naturæ lapsæ sit intrinsece efficax, & victrix, determinans & necessitans voluntatem ita ut tollat libertatem a necessitate ac relinquat solam libertatem a coactione. Nam I. secundum principia Jansenii, *necessitas* indeliberatæ cœlestis delectationis, sive supernaturalis indeliberata motio complacentiæ circa bonum salutare, in qua constituit medicinalem gratiam, *oritur ex infirmitate voluntatis, qua fit, ut nihil boni amplecti possit, nisi delectet*, ut fatetur *Lib. IV. de grat. Christi c. VII.* aitque infirmitatem in eo positam esse, quod voluntas originalis peccati vulnere afflictæ, & terrenarum rerum delectationibus irretita, erigere sese, & ad virtutem eniti non possit, nisi illius cœlestis delectationis oleo delibuta convalescat, atqui in Adamo innocente nulla erat ejusmodi voluntatis infirmitas, igitur Adamo innocenti non fuit necessaria ad bonum volendum & operandum modo salutari delectatio cœlestis, seu indeliberata vitalis motio animæ, qua voluntati suave fit bonum. II. Secundum principia Jansenii, Adamus non potuit habere cœlestem delectationem

In statu innocentiae citra jacturam libertatis indifferentiae: cum enim in hoc statu liber fuerit ab omni terrena delectatione, quae in indeliberatis concupiscentiae motibus consistit, si caelestem habuit, solam utique habuit, atque adeo victricem, ac secundum principia Jansenii, fuit ab illa *antecedenter, insuperabiliter, ineluctabiliter* necessitatus, ad unam determinatam partem contrarietatis, nempe ad volendum & operandum bonum, ad praecipuum observandum; sicut secundum eadem principia (de quibus agitur Dissert. II.) in praesenti statu naturae lapsae, antequam homo gratiam medicinalem accipiat, quia terrenam, eamque solam habet delectationem, ab ea *antecedenter, & ineluctabiliter* ad unam determinatam contrarietatis partem necessitatur, nempe ad malum volendum & operandum; igitur alterutrum eligat Jansenius: vel quod Adamus non habuerit libertatem indifferentiae in statu innocentiae, vel quod caruerit delectatione caelesti, adeoque nec illa indiguerit ad volendum & exercendum bonum modo salutari. Sed cum neutrum velit admittere, fateatur necesse est, praecipuum discrimen inter gratiam sanitatis & medicinalem intercedere, quod nos supra statuimus, non quod ipse comminiscitur, ut uberius per decursum hujus Tractatus demonstrabimus.

101

Pro diluendis objectionibus observ. I. Dum S. Augustinus *Lib. de nat. & grat. c. XXXVII.* ait de Adamo innocente: *Qui nescit eum sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad juste vivendum potestate libera constitutum?* Et *Lib. de dono persever. c. XI.* de Angelis in sua justitia perseverantibus: *Cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi,* loquitur de libero arbitrio illustratione supernaturali & gratia habituali instructo. Pariter dum dicunt PP. eandem gratiam fuisse necessariam Adamo innocenti, vel Angelis, quae hominibus in statu naturae lapsae, loquuntur de gratia supernaturali *generice*, non item specificae acceptae.

II. Jansenius adducendo textum S. Augustini *Lib. XIV. de Civit. Dei c. XIII.* de Adamo & Eva hunc in modum differentis: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigeret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille*
Dei

Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, quo nititur probare, voluntatem Adami motione indeliberata cœlesti fuisse *accensam* ad bonum salutare amplectendum, evertit totam molem sui systematis, incumbentem huic celeberrimo principio: QUOD AMPLIUS NOS DELECTAT (videlicet secundum Jansenium, *indeliberate*) SECUNDUM ID OPEREMUR NECESSE EST; nam si ea voluntatis accensio erat indeliberata motio & delectatio cœlestis circa bonum salutare, utique fuit vitrix, & superior; cum voluntas Adami innocentis nulla opposita delectatione terrena indeliberata circa malum bono salutare oppositum teneretur; qua igitur ratione Adamus non voluit bonum, non operabatur necessario bonum, sed potius violavit præceptum? Caterum concesso etiam, voluntatem Adami habuisse supernaturales motiones & affectiones, queis bonum salutare suave reddebatur, nihilominus dictæ motiones non erant actualis *nova* gratia; quia mentis illustratio & cognitio boni in eo statu innocentia suffecit, ut voluntas ejus, gratia habituali & infusus habitibus instructa & dono integritatis firmata, in amorem boni vel indeliberatum, vel deliberatum illico & naturali necessitate ferretur. Adde: quod illis indeliberatis affectionibus voluntatis non egerit Adamus.

III. Præter discrimen *præcisum* (ut vult Simonnetus & Platelius) inter gratiam sanitatis & medicinalem, superius allatum, sunt sequentia: I. Gratia naturæ sanæ non præsupponit positivam indignitatem; at gratia naturæ lapsæ eam præsupponit. Unde majus est Divinum beneficium, dum nobis Deus confert gratiam, quam dum contulit innocenti Adamo. II. Illa conjuncta erat integritatis dono, adeoque non debebat resistere motibus concupiscentiæ; at vero hæc debet. III. Gratia in statu naturæ lapsæ est intensior & uberior, quam in statu naturæ integræ, cum in illo statu debeat sanare infirmitatem ac concupiscentiæ resistere. Et cum gratia sit uberior in statu naturæ lapsæ, ideo speciali modo & frequentius in nobis ipsum velle operatur, ut observavit Petavius *Tom. I. Dogm. Theol. Lib. X. c. XIV. De adjutorio sine quo non*, & adjutorio *quo*, in proxima Dissert. dicitur.

DISSERTATIO SECUNDA.

D E

GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI.

HÆc altera Dissertatio complectetur quæstiones hoc ordine. I. Qui errores hæreticorum oborti circa gratiam sufficientem? II. Quod sit dogma fidei Catholicæ de natura & existentia gratiæ sufficientis? III. Quid ex principiis fidei certum sit de efficacia gratiæ? IV. Utrum gratia efficax recte statuatur in delectatione vitrici Janseniana? V. Utrum gratia efficax in prædeterminatione physica, vel actu inspirato consistat? VI. An eadem gratia consistat in decreto Scotistico, aut prædeterminatione morali? VII. Quod sit nostrum systema circa gratiæ efficaciam? VIII. Per quid habeatur gratia efficax ut instrumentum Divinæ providentiæ, & ut speciale beneficium? &c.

CAPUT PRIMUM.

Qui errores hæreticorum oborti circa gratiam sufficientem?

102

I.



Gratiam actualem Num. 5. divisimus in *sufficientem*, & *efficacem*. Nomine gratiæ sufficientis intelligimus eam, quæ homini de se impotenti elicere actus salutares, dat vires sufficientes, seu reddit voluntatem proxime potentem ad salutariter operandum, non tamen operatur, non quidem ex defectu alicujus auxilii, vel alterius requisiti ad operandum, quod habere non sit in potestate voluntatis, verum ex defectu voluntatis non volentis consentire & ponere actum, ad quem allicit gratia. Hinc hujusm. auxilium, quod non conjungitur cum effectu, licet proxime posset, dicitur pure sufficiens. Nomine gratiæ efficaci intelligimus eam, quæ non solum præbet voluntati sufficientes vires ad salutariter operandum,

dum: sed & ipsum velle & operari infallibiliter tribuit; de quo suo loco. Gratia sufficiens duplici modo accipi potest. *1mo: precise*, prout scilicet præscindit ab actuali effectione, vel non effectione actus salutaris, ad quem confertur. *2do: negative*, prout includit carentiam actualis effectionis. *1mo modo accepta*, non opponitur gratiæ efficaci, quin immo hoc sensu etiam ista est sufficiens, utpote cum præbeat voluntati posse, seu sufficientes vires ad actum salutarem. Unde gratia illa, quæ S. Paulo divinitus concessa erat, & per quam tentationes superabat, quæve proinde efficax fuit, appellatur *sufficiens* secundum illud 2. ad Corinth. 12. v. 9. *Sufficit tibi gratia mea.* *2do modo considerata*, opponitur gratiæ efficaci, cum ista includat actualem effectionem actus salutaris, illa vero hujus carentiam. Hanc gratiam *negative acceptam*, seu *pure sufficientem*, de qua in præsentī & proximo Cap. acturi sumus, omnes omnino Catholici DD. dari in statu naturæ lapsæ docent.

II. At Lutherus & Calvinus, ut vidimus Num. 28. in statu naturæ lapsæ non admisere aliam gratiam, quam ab intrinseco efficacem, & invincibilem, cui homo reluctari non possit; quæ tametsi nullam voluntati inferat violentiam, illi tamen adfert, seu imponit necessitatem antecedentem consentiendi, ita ut non *coacte* quidem, attamen *necessario* consentiat. Conciliabulum Dordracenum e Calvinianis Scholis gratiam sufficientem exulare iussit his verbis: *Distinctio illa gratiæ in sufficientem & efficacem (si non de externis mediis, sed de vero & interno Spiritus tractu loquamur) minime nobis probatur. Retineant eam sibi Bellarminus & Arminius: quoscunque enim Spiritus Sanctus trahit, illis non tantum dat posse currere, sed etiam ut reipsa currant.* Docet præterea Calvinus concupiscentiam ad malum nos necessitare, quemadmodum gratia ad bonum; hinc negat dari in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium acceptum pro facultate in utramque partem libera. Docet omnia præcepta hominibus iustis esse impossibilia. Christum pro solis electis orasse, ac sanguinem fudisse, cum solis his promeritus sit auxilia efficacia ad salutem; reprobis autem nulla conferantur ex meritis Christi auxilia ad salutem, eo ipso quod non conferantur efficacia.

III. Calvini systema majorem partem amplexus est Janſenius, ut patet ex proſcriptis illius proſitionibus, nec abs re apud Anatum Calviniani plaudunt iſthoc puro annagrammate: Cornelius Janſenius, CALVINI SENSUS IN ORE. Inprimis non aliam nomine & re ſufficientem gratiam in preſenti ſtatu admittit, quam ab intrinſeco & natura ſua efficacem & victricem, quæ non ſolum poſſe operari tribuat voluntati, verum etiam ipſum velle & operari, idque *inſuperabiliter & indeclinabiliter*. Hanc doctrinam tradit *Lib. IV. de grat. Chriſti c. X.* Hinc claret, inquit Janſenius, *cur Auguſtinus omnem omnino gratiam pure ſufficientem auferat. Ratio perſpicua eſt, quia cum ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creaturarum ceſſerit, vel peccabimur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur. Sin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio bene voluntas operabitur: Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt. Sed utrumlibet fiat, non erit ſufficientis gratia, ſed vel efficaci, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur.*

105

IV. Admittit præterea, gratiam eſſe ſemper efficacem, licet ſemper victrix non evadat. Sic enim *Lib. VIII. c. II.* ait: *Delectatio victrix, quæ Auguſtino efficaci adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat alteram ardentiorẽ eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus.* Ex his colligis, Janſenium nullam admittere gratiam pure ſufficientem, quia videlicet ſecundum ipſius opinionem gratia illa, quam Deus largitur ad actum ſalutarem eliciendum, vel efficaciter eum infert, ſi non vincatur a majori concupiſcentia terrena, vel ſi vincatur, ſaltem efficit aliquem debilem & infirmum effectum, qui nihil eſt aliud, quam inchoatum quoddam & ſterile boni deſiderium & velleitas; atque hanc gratiam vocat parvam & inferiorem, quæ neque victrix, neque efficaci, & ſufficientis eſt reſpectu pleni & perfecti effectus, propter defectum virium ut ait *Lib. III. de grat. Chriſti c. XIII. & Lib. II. c. XXVII.* Eam, parvam nimirum gratiam, nullo modo ſufficere, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet &c. licet aliquid faciat, nempe velleitates quasdam excitet.

Ra-

Ratio autem, cur parva illa gratia Janseniana non sit reipsa sufficiens, est: quia in systemate delectationis relative superioris & vitæ, nequit gratia parva seu inferior vincere superiorem concupiscentiam: idcirco in eo systemate nulla datur gratia vere & proprie sufficiens, præter superiorem cœlestem delectationem. Etenim gratia parva si *absolute & in se*, seclusis præsentibus subjecti circumstantiis, spectetur, de se quidem est efficax & sufficiens ad actum salutarem, quem reipsa efficeret, si minus ipsi resisteret opposita concupiscentia terrena. Si vero spectetur *relative & comparate* ad maiorem actualem concupiscentiæ delectationem, prorsus insufficiens est, & impar huic superandæ, quia ad hoc satis virium non habet; ergo reipsa gratia parva Jansenii omnino insufficiens est *relative & comparate*; ex qua: ut ipse ait, *operatio nequidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur*. Unde necessario sequitur *1mo*: respectu ipsius operis boni actu exercendi, perinde esse, aut nullam prorsus habere, aut ita imparem habere gratiam, *ex qua operatio non potest sequi*. *2do*: iustis sola gratia parva instructis, absente efficaci, *relative*, seu ut loqui amat Jansenius, *secundum præsentis, quas habent vires*, mandata Dei esse impossibilia.

Ex his rursus manifeste colligis, Jansenianæ doctrinæ sectatores Arnaldum, Montaltium &c. ad evitandas Ecclesiæ censuras & Catholicorum argumenta, asserere: per illam parvam gratiam habere voluntatem iusti *sufficientissimam, perfectissimam, completissimam, expeditissimamque potentiam* ad superandam tentationem & præceptum Dei observandum. Verum fallere nituntur Catholicos ambigua voce *potentiæ*, quam solum absolutam intelligunt & abstractam, spectata nimirum sola gratiæ natura, & præcisus subjecti præsentibus circumstantiis, non autem relativam & comparatam ad oppositas præsentis concupiscentiæ vires. Hanc fraudem Jansenistarum suis e latebris protractam, solidis argumentis Tournelyus *Tom. III. de grat. Christi quæst. VII.* everberat.

V. lidem sectatores cum suo Magistro, ut suis erroribus auctoritatem conciliarent, non dubitarunt verbo & scriptis palam edicere, se Thomistarum sententiam de Divina gratia omnino sequi; atque ut fucum facerent, eorum modos loquendi, distinguendique crebro usurpant. Audiamus ipsum Jansenium *Lib. VIII.*

de grat. Christi c. IV. ita scribentem de formulis loquendi in systemate victricis gratiæ: *Istud auxilium, inquit, habet operandi modum, quo physica prædeterminatio, eodemque modo libertas voluntatis sub illo Christi auxilio incolumis manet, quo sub physica prædeterminatione salvatur. Quapropter quidquid physicæ prædeterminationis Defensores pro sua sententia protulerunt, ut liberum arbitrium sub ea salvum esse persuadeant, quidquid etiam ad dissolvenda oppugnantium argumenta & tela repercutienda moliti sunt, pro hac sententia dictum puta. Verum hoc admodum injuriosum est doctissimis, piissimisque viris. Nam Didacus Alvarezius Thomista de auxiliis Divinæ grat. Lib. VIII. Disp. LXXI. hæc tradit: Si non daretur gratia vere sufficiens, sequeretur quod illi omnes, qui non convertuntur, aut salvantur, revera converti non possent, aut salvari, quod tamen admitti non potest; & Disp. XCII. docet: Hominem huic gratiæ in sensu composito non solum consentire, sed etiam dissentire posse. Tum Arnaldus insignis Jansenista apud Tournelyum fatetur, PP. Dominicanos gratiam sufficientem propugnare a tempore Congregationum de auxiliis, quæ celebrabantur ob doctrinam P. Ludovici Molinæ.*

VI. Hanc sufficientem gratiam, prout ab efficaci distinctam, eam esse intelligunt Thomistæ, per quam confertur homini vera, expedita & completa potentia salutariter operandi, quam potentiam appellant actum *innum*; dicunt tamen, quod nunquam salutariter operetur, nisi ex parte Dei novum auxilium ex natura sua efficax, seu *prædeterminatio physica* accedat, quæ, ut ipsi contendunt, requiritur ad actum *2^{um}*, adeoque Thomistarum gratia sufficiens entitative & natura sua ita distat ab efficaci, ut nunquam possit efficax evadere absque prædeterminatione physica. Addit Alvarezius Disp. XCI. Num. XIII. *Prædeterminationem physicam non esse necessariam, ut quis revera possit converti, vel pie operari, sed ut desisto convertatur & pie operetur.* Quæ profecto luculenter probant, Thomistas veram & in sensu Catholico gratiam sufficientem agnoscere, atque adeo potentiam, non tantum absolutam & abstractam a præsentibus subjecti circumstantiis, ut volunt Jansenistæ, sed relativam & proportionatam subjecto, quia nimirum potest justus tentationi resistere, vitare peccatum & præceptum Dei observare. Utrum vero perinde argumentis Scholasticis Tho-

mistæ satisfaciunt, dum opponimus, in eorum systemate non posse habere locum gratiam sufficientem, eo quod carens prædeterminatione physica, destituatur hoc ipso etiam gratia strictè sufficiente; item prædeterminationem evertere libertatem, per decursum Tractatus videbimus.

VII. Ad hæc Thomistæ docent: Christum sanguinem sudisse pro omnibus hominibus. Nulla præcepta nobis esse impossibilia. Dari in statu naturæ lapsæ libertatem indifferentiæ, atque hanc ad merendum, vel demerendum omnino necessariam esse. Et quamvis admittant, gratiam de se entitative, sive ab intrinseco efficacem sitam in prædeterminatione physica, eamque ad omnem salutarem actum necessariam, tuentur tamen eandem non lædere libertatem indifferentiæ, adeoque unumquemque eidem libere cooperari. Præterea fatentur Thomistæ, necessitatem antecedentem voluntati illatam, libertatem evertere; Jansenistæ ultro concedunt, actum necessarium, modo ipse voluntarius sit, liberum esse. Thomistæ ad omnes actus liberos, etiam naturales, prædeterminationem requirunt; Janseniani suam gratiam victricem ad supernaturales duntaxat, & illi quidem solum in statu naturæ lapsæ; Thomistæ vero etiam in statu naturæ integræ. Quid plura? Annatus noster tabulis consignatis demonstravit, Thomistas non esse Jansenianos. Denique ipse Jansenius *Lib. VIII. de grat. Christi c. I.* ait: Sententiam Augustini (scilicet Iprensis) de gratia Divina nec cum Thomistica, nec cum Jesuitica convenire, *sed aliquid ab utraque sumere; & c. II. Nec ullum omnino locum ex universis Augustini scripturis proferri posse, qui talem prædeterminationem tanquam Christi gratiam præferat; ac concludit: Qui medicinalem Christi gratiam in talem prædeterminationem transformant, ex vi scilicet causæ primæ, & indifferentia voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio, universam Augustini doctrinam inexplicabili confusione perturbat. Ab Augustini sensibus remotissima est, nempe prædeterminatio Thomistica. Hæc occasione gratiæ sufficientis.*

CAPUT SECUNDUM.

Quod sit dogma fidei Catholicæ de natura & existentia gratiæ
sufficientis?

A S S E R T I O.

Præter gratiam efficacem datur in præsentis statu naturæ lapsæ, gratia pure sufficientis, id est: talis, quæ voluntatem perfecte completam & proxime expeditam reddit ad operationem salutarem, etsi illa reipsa non sit operatura, quia non vult.

108 **H**Oc dogma fidei probat. Dari in præsentis statu naturæ lapsæ gratiam pure sufficientem, aliud non est, quam dari in voluntate gratiam interiorem excitantem, quæ videlicet det voluntati vires supernaturales, voluntatemque inclinando & aliciendo proxime expeditam reddat ad salutarem operationem, cui tamen voluntas non obediat, sed resistat, eamque repudiet; atqui in præsentis statu naturæ dantur multæ hujusm. gratiæ, quibus voluntas ex sua libertate & malitia non consentit & non obedit, sed resistit, ergo. M. constat e dictis Num. 102. m. autem ostenditur I. ex plurimis Scripturarum locis. Proverb. 1. v. 24. *Vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Isa. 5. v. 3. & 4. sub figura vineæ, perveraciam Judæorum increpat Deus: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas* Matth. 11. v. 21. *Væ tibi Corozaim, ait Christus, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Matth. 23. v. 37. *Jerusalem, Jerusalem, alloquitur Christus Judæos, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Actor. 7. v. 51. S. Stephanus duritiam Judæorum his verbis expingit: *Dura cervice, & incircumcisus cordibus & auribus! vos semper Spiritui S. resistitis.* Apostolus 2. ad Corinth. 6. v. 1. *Exhortamur, ne in*

vacuum Dei gratiam recipiatis. Quæ verba ponderantes D. Ambrosius & D. Thomas apud Soaresium *Lib. V. de grat. c. XXXI.* dicunt: *Tunc gratia in vacuum recipitur, quando nullus ex ea fructus percipitur.*

In his textibus, ut vides, fit I. mentio gratiæ interioris excitantis jam collatæ, istud enim indicant verba: *vos semper Spiritui S. resistitis*, & alioquin notum est, excitationem & vocationem exteriorem fieri ministerio creaturarum, neque hanc solam sufficere ad opus salutare. II. Fit mentio de gratia interiore utique sufficiente Deum sequendi & salutariter operandi: secus enim injusta fuisset gravis objurgatio in primis textibus, nec potuisset uvas expectare Deus e vinea culta, si ad producendos fructus bonos insufficientis fuisset cultura. III. Fit mentio de gratia, cujus effectum Deus sincere vult, verum vitio nominis non sequitur effectus, ut manifeste patet ex verbis: *vocavi & renuistis: volui, & noluisti.*

Eadem m. ostenditur e. CC. & PP. Arausicanum II. can. XXV. definit: *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Qua vero ratione possent ea adimplere, & fideliter laborare, sine gratia interiore potentiam ad id complente, seu si gratiam vel non habeant, vel imparem ac viribus insufficientem, tum ad ea præcepta implenda, tum etiam ad implorandum auxilium, quo impleantur? igitur omnes baptizati accipiunt gratiam loco & tempore oportuno complementem potentiam salutariter operandi: manifestum vero est, non omnes accipere gratiam efficacem, cum non omnes adimpleant ea, quæ ad salutem pertinent, ergo aliqui accipiunt mere sufficientem, qua cum ea, quæ ad salutem pertinent, non implent; non quia non possunt, sed quia fideliter laborare nolunt. Trident. Sess. VI. c. V. de homine & gratia ait: *Quippe qui illam & abjicere potest; & c. XI. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & perere quod non possis, & adjuvat, ut possis.*

S. Augustinus, quem Janseniani sua in castra trahere conantur *Lib. LXXXIII. quæst. LXVIII.* in verba Matth. 22. v. 14. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, hæc habet: *Ad illam cenam,*

nam; quam Dominus dixit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate - - - Propterea et si quisquam sibi tribuit, quod vocatus venit, non potest sibi tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit; igitur qui vocati venire potuerunt, & noluerunt, habuere gratiam interioris vocationis, cui resisterunt, adeoque pure sufficientem, quam neglexerunt. Et *Lib. Retract. c. XXII.* In potestate, inquit, hominis est, mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est: *dedit eis potestatem filios Dei fieri*; atqui potestas, ut quis filius Dei, nempe adoptivus, fiat, est per gratiam, igitur in potestate hominis est, uti gratia, vel non uti, cum vero plurimi homines suo vitio non utantur gratia, hæc manet præcise sufficiens.

Addamus rationes. Negata in statu naturæ lapsæ gratia pure quidem, sed vere sufficiente, damnatæ V. propositiones Jansenii, num. 34. relatæ non forent hæreticæ. Nam 1^{mo} quando homo urgente præcepto peccat, non haberet gratiam sufficientem ad observandum præceptum supernaturale, adeoque præcepta Dei hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentem, quas habent vires, essent impossibilia observatu, quæ est propositio I. 2^{do} Gratia, cui resistitur, est utique gratia pure sufficiens; si igitur non datur pure sufficiens, interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur, quæ est II. propositio, & idem asserit IV. propositio. 3^{io} Transgrediens præceptum, quod urget, v.g. charitatis perfectæ, non habet auxilium sufficiens secundum Jansenium, secus enim illud auxilium esset pure sufficiens, igitur positio charitatis evadit ei impossibilis, contra vero ommissio charitatis necessaria; atqui per omissionem charitatis peccat, igitur peccat per id, quod est ei necessarium, atque adeo ad peccandum non requiritur libertas a necessitate, quæ est propositio III. 4^{to}: Si nullum datur auxilium pure sufficiens, manifeste sequitur, ex meritis Christi nullum auxilium conferri reprobis, ac proinde Christus non voluit

sincere salutem omnium hominum, ergo Christus non est mortuus, aut sanguinem fudit pro omnibus, nempe etiam reprobis, quæ est propositio V.

Consectaria.

I. **J**ansenii gratiam sufficientem seu parvam, quæ plenum & perfectum suum effectum non assequitur, propter *virium defectum* & potentiaæ relativæ ad præsentem subjecti circumstantias, esse erroneam in fide. Nam hæreticum est dicere, justis secundum præsentem, quas habent vires, mandata Dei esse *relative* impossibilia observatu: hæreticum est dicere, gratiaæ interiori non resisti in præsentem statu naturæ lapsæ: hæreticum est dicere, gratiam sufficientem, absolutam duntaxat & a circumstantiis subjecti abstractam, non autem relativam conferre ad observandum Dei præceptum potentiam, ut liquet e duabus primis propositionibus Jansenii, atqui hos hæreticos errores involvit parva gratia Jansenii, ergo. 110

II. Thomistarum gratiam, de qua Num. 106. §. VI. egimus, non videri omnino sufficientem ad actum salutarem eliciendum. Istud probat. I. Illa gratia non est vere sufficiens ad actum salutarem, quæ non potest in actum *2dum*, seu in actum salutarem prodire, nisi superveniat gratia efficax, id est: prædeterminatio physica, atqui ejusmodi gratia est in systemate Thomistarum auxilium sufficiens: neque enim hæc gratia sive auxilium potest in actum salutarem prodire sine physica prædeterminatione, cum repugnet poni actum salutarem sine prædeterminatione, ut volunt Thomistæ.

Respondent Thomistæ cum Alvarezio Disp. LXXV. gratiam sufficientem complere potentiam voluntatis, ut hæc possit ponere actum salutarem, licet indigeat prædeterminante gratia, ut actu ponat salutarem actum. Prædeterminatio enim non se tenet ex parte potentiaæ seu actus *1mi*, sed ex parte actus *2di*. 111

Verum *2da* esto prædeterminatio se teneret ex parte actus *2di*, non est tamen ipse actus *2dus* voluntatis creatæ, sed est prærequisita ad actum *2dum*; quomodo vero gratia illa complebit proximam voluntatis potentiam ad actum salutarem non habita prædeterminatione, quæ tamen secundum Thomistas simpliciter requiritur ad

actum salutarem? Deinde si prædeterminatio non se tenet ex parte actus *in* (quod omnino tueri debent Thomistæ ad salvandam libertatem creatam) tunc voluntas gratia Thomistica instructa, non habet completam potentiam & virtutem ad ponendum actum salutarem, ex defectu prædeterminationis, atqui talis gratia non est vere sufficiens; cum illa enim gratia sine prædeterminatione est impossibile actum salutarem ponere, impossibilitas autem arguit impotentiam; ergo. Præterea: Deus gratiam sufficientem confert homini non solum ideo, ut homo possit observare præceptum, sed etiam ut illud reipsa observet; propterea enim confertur gratia, ut homo id agat, quod præcipit Deus, atqui Deus non præcipit homini, ut possit observare, sed ut reipsa observet illud, ergo si impossibile est agere seu observare præceptum sine prædeterminatione, gratia sine prædeterminatione non complet voluntatem ad observandum præceptum. Et qua ratione potest quis juste puniri ob transgressionem præcepti, cum absque prædeterminatione sit impossibile observare præceptum?

- 112 Respondent aliqui ad ista: in potestate hominis esse, ut auxilium prædeterminans acquirat, vel impediatur per actum suum liberum, adeoque si illud impediatur necessario requisitum ad observationem præcepti, violando præceptum justissime a Deo punitur. At hæc responsio locum habere non videtur in principiis Thomistarum. Namque actus *actus* liber, per quem auxilium prædeterminans seu prædeterminatio physica posset acquiri, vel impediri, deberet aliquomodo, & pro aliquo statu esse prior prædeterminatione, atqui repugnat omnis actus creatus liber prior prædeterminatione; hic enim actus, si foret *positivus*, ante prædeterminationem est impossibilis; quia constans Thomistarum doctrina est, ad omnem & quemlibet actum realem & positivum prædeterminationem esse necessariam, adeoque perveniendum est aliquando ad ejusm. prædeterminationem, quam homo nequit obtinere per actum positivum: quo supposito, imputari homini ad culpam non posset, si præceptum violaret, quod ipsi impossibile fuit observatu sine auxilio prædeterminante ad illud præceptum observandum. Si autem foret *negativus* actus, tunc est ante prædeterminationem necessarius, non item liber; cum enim ante prædeterminationem repugnet poni actum positivum, necessario debet esse negativus. Dein arduum est explicare, in quo consistat actus ille negativus? an in bono usu

usu gratiæ sufficientis, & in non resistendo ei? verum bonus usus gratiæ, aut negatio *resistentiæ* non videtur concipi posse sine actu positivo voluntatis. Quid enim aliud intelligas per *non resistantiam* gratiæ, quam consentire & facilem se præbere excitanti gratiæ? quod profecto aliquid positivum importat. Nam gratia excitans sufficiens est quadam affectio voluntatis, & motus primum indeliberatus, qui accedente rationis advertentia continuari permittitur, cum reprimi & præfocari posset alio avertendo mentem, eo ipso evadit deliberatus, atqui deliberatus hujusmodi motus, amor, & affectio, est utique actus voluntatis positivus; est enim actus liber, quo quis vult non resistere gratiæ, ergo.

Respondetur Adversariis.

Oppon. I. Gratia sufficiens, de qua loquitur assertio, est inutilis & monitrosa, quia nunquam sortitur suum effectum, seu ut Jansen. *Lib. III. de grat. Christi c. III. ait: Nunquam ab initio lapsus humani, usque ad diem judicii, ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habitura est.* Immo repugnat eam conjungi cum actu salutari. Est præterea perniciosa, cum præcisè valeat ad majorem damnationem hominum, eo quod eos reddat coram Deo inexcusabiles. Item hæc gratia repugnat Ecclesiæ precibus: neque enim Ecclesia orat pro gratia, qua cum possimus bene agere, sed quacum bene agere velimus, & reipsa agamus. II. Sicut alius cibus necessarius est & datur homini agroto, quam sano, ita aliud auxilium necessarium est & datur homini in natura lapsa & infirma, quam robusta & integra; atqui in statu naturæ integræ homini nempe Adamo, necessarium erat & dabatur auxilium mere sufficiens, igitur in natura lapsa necessarium est & datur auxilium efficax ad potentiam operandi salutariter. Hinc, ut arguunt Jansenistæ, S. Augustinus *Lib. de corrept. & grat. c. XI. & XII.* dividit actualem internam gratiam in adjutorium, seu auxilium *sine quo non*, id est: auxilium possibilitatis; & in adjutorium *quo*, seu auxilium actionis & voluntatis. Per adjutorium *sine quo non*, dicunt Jansenistæ, intelligit S. Doctor auxilium ex natura sua repudiabile, cum quo voluntas, si velit, bene operetur, si non velit, non operetur. Per adjutorium autem *quo* intelligit auxilium ex

natura sua irrepudiabile, quocum voluntas non potest non velle & operari bonum. Auxilium *sine quo non* asserit fuisse auxilium naturæ sanæ & integræ; auxilium *quo* naturæ infirmæ & per peccatum lapsæ. Ita conantur Jansenistæ evincere ex diversis locis S. Augustini, ut ex c. XI. laudati libri, ubi sic loquitur Augustinus: *Tale quippe erat adjutorium (Adami) quod desereret, cum vellet, & in quo perseveraret, cum vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima enim est: qua fit, ut homo habeat justitiam, si velit. Secunda vero plus potest, quæ etiam fit, ut velit & tantum velit.* Et c. XII. posteaquam explanavit, quid sit adjutorium, sine quo aliquid non fit, & quid adjutorium, quo aliquid fit; ita prosequitur: *Primo homini - - datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possent, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Tum eodem c. ait: *Subvertitur est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur. - - Fortissimo (Adamo) dimisit atque permisit facere, quod vellet: infirmis servavit, ut ipso durante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.* Ex his male intellectis inferunt Jansenistæ, quod omnis gratia Adamo innocenti collata fuerit mere sufficiens, & dederit solam possibilitatem, fueritque subjecta libero arbitrio: omnis vero gratia collata hominibus in statu naturæ lapsæ sit efficax & quidem ab intrinseco, & det velle & agere, liberumque arbitrium sibi subjiciat.

114

§. ad I. n. ant. Licet enim gratia pure sufficiens effectum seu actum salutarem nunquam fortiatur, id tamen non provenit ex defectu gratiæ, utpote cum hæc, quantum est de se, posset effectum sortiri, sed defectu & vitio voluntatis, quæ pro sua libertate non vult uti gratia, eique cooperari, quæ cooperatio voluntatis omnino necessaria est ad effectum gratiæ, nempe actum salutarem, atqui non est inutilis, aut monstruosa causa, si non producat effectum præcise ex defectu operantis concausæ necessario re-

qui-

quisitæ, dummodo, quantum est de se, vires habeat eum producendi, ut alioquin patet, ergo. Unde gratia sufficiens est utilis & salutaris in actu *1mo*, in quantum dat voluntati potentiam proximam ponendi actum *2dum* salutarem, quamvis ex voluntatis libertate & malitia nolentis in actu *2do* uti auxilio & operari, sed peccaminose omittentis actum supernaturalem præceptum, per accidens fiat, ut tale auxilium inutile evadat. Deinde: verum quidem est, quod gratia ut pure sufficiens, adeoque *reduplicative* sumpta (sic enim accepta præter entitatem auxilii importat etiam liberum voluntatis creatæ dissensum) nequeat componi cum consensu; quia alias sequeretur, componi consensum cum dissensu, istud tamen non juvat Adversarios, cum gratia non *reduplicative*, sed *specificatise* & secundum entitatem suam accepta, constituat potentiam voluntatis ad consensum & bonum usum, qualiter sumpta est componibilis cum consensu, quodque non componatur cum eodem in his circumstantiis, sola voluntas hominis culpanda venit. Unde etiam hæc sola est perniciosa, & causa damnationis, non vero gratia secundum se accepta, quæ pro aliis circumstantiis posset esse congrua & efficax, movendo voluntatem ita, prout aptum est, ut vocantem Deum sequatur, & reipsa actum salutarem eliciat. Jure igitur damnata est ab Alexand. VIII. Jansenistarum propositio ordine VI. *Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, a gratia sufficiente libera nos Domine.* Ad postremum dico: sufficientem gratiam minime repugnare Ecclesiæ precibus: licet enim hæc non oret pro eo præcise, ut possimus bene operari, sed ut reapse bene operemur, quia salus nostra non a potentia operandi, verum ab ipsa operatione pendet, quis tamen inde arguat, gratiam sufficientem Ecclesiæ precibus repugnare? imploramus igitur a Deo gratias prævisas efficaces & congruas, quia sine his reipsa ad Deum non convertimur, nec salutem obtinemus, quamvis converti, & salutem obtinere possimus etiam cum gratia sufficiente, si illi cooperari, ut possimus, vellemus.

Ad II. Dist. M. aliud auxilium necessarium est & datur in statu naturæ lapsæ alietate essentiali N. M. alietate accidentali C. M. dist. m. Adamo dabatur auxilium pure sufficiens in ordine ad observandum præceptum de non edendo fructu arboris vetitæ c m.

in ordine ad alia opera salutaria n. m. dist. conf. igitur in natura lapsa datur auxilium efficax aliquibus & in ordine ad aliqua opera c. conf. omnibus, aut in ordine ad omnia opera n. conf. Ratio distinctionis est: quia auxilia naturæ integræ & lapsæ non differunt inter se specie entitativa & substantiali differentia sita in eo, quasi auxilia naturæ lapsæ essent ab intrinseco connexa cum actibus salutaribus, non item auxilia naturæ integræ; nec per hoc differunt, quod auxilia omnia hujus naturæ fuerint mere sufficientia, naturæ vero lapsæ omnia sint efficacia, sed differunt differentia accidentali. In quo sita sit hæc differentia & discrimen, explicui Num. 99. & 101. §. III.

115

Ad S. Augustinum *Be. 110*: Eum nunquam asseruisse, quod *omne* auxilium collatum Adamo in natura integra, fuerit adjutorium *sine quo non*, seu auxilium pure sufficiens; & *omne* auxilium, quod confertur in natura lapsa, sit adjutorium *quo* seu efficax. Certe utrumque auxilium in utroque statu locum habet secundum mentem Augustini. Sic auxilium, quo Adamus innocens elicit actum supernaturalem v. g. amoris Dei, erat adjutorium *quo*; illud autem, quo violavit præceptum de non edendo ex vetita arbore, erat adjutorium *sine quo non*. Pariter in statu naturæ lapsæ, quoties voluntas cum gratia sibi collata vult & operatur bonum, gratia est adjutorium *quo*; quoties vero voluntas cum gratia sibi collata bonum, quod posset cum ea operari, non operatur, gratia est præcise adjutorium *sine quo non*. Exemplum habes in textu Augustini Num. 109. allato. Nam interna illa vocatio: qua Deus ad cœnam suam homines vocat, in iis qui vocati veniunt, est adjutorium *quo* veniunt; in iis autem, qui vocati non veniunt, est adjutorium *sine quo non* possunt venire, & quocum possunt, sed non veniunt, quia venire negligunt. *2do*: Falso asseritur post Calvinum, S. Augustinum per adjutorium *quo* intellexisse gratiam excitantem ab intrinseco & antecedenter *irrepudiabilem* ac *irresistibilem*, sed gratiam de se indifferentem & a voluntate potentia antecedente repudiabilem, congruam tamen seu talem, quæ data sit a Deo in iis circumstantiis, in quibus Deus infallibiliter vidit per scientiam suam, voluntatem cum illa bene operaturam. Hujusmodi enim gratia vere est adjutorium *quo*, seu gratia efficax, cum non solum det posse, sed etiam ipsum velle & operari. Nihilominus

sal-

salva manet libertas creata, quia gratia actualis efficax non conne-
ctitur *antecedenter* connexione infallibili & essentiali cum bona ope-
ratione, sed solum *consequenter* ad scientiam Divinam, qua Deus
infallibiliter novit, quid homo facturus esset sub tali gratia in his
circumstantiis, si ipsi daretur; prout de hac gratia ipsemet Augusti-
nus *Lib. I. ad Simplicianum quæst. II.* loquitur: *Cujus miseretur,*
sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.
3tio: Consent complures gravissimi DD. ut Perezus, Ripalda, An-
natus, Martinonius, Deschamps, Gonzalezus, Petavius, Simon-
netus *Tract. VI. de grat. art. III.* Augustinum intellexisse per ad-
jutorium quo, quod datur electis, & prædestinatis, ipsam finalem
perseverantiam *formaliter* acceptam, seu ipsam mortem in iis cir-
cumstantiis, in quibus homo justus est & amicus Dei, procuratam,
non autem intellexisse perseverantiam *causalem*, seu aliquod auxi-
lium *sub quo*, vel *per quod* ponitur & fit perseverantia. Et illud est ad-
jutorium, quo homo reipsa perseverat, seu quo habito potest
non perseverare. Id I. patet ex allatis verbis S. Augustini: *Nunc*
vero, inquit, *sanctis in regnum Dei prædestinatis, non tantum tale*
adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia
ipsa donetur &c. II. patet ex eo, quod eodem cap. XII. beati-
tudinem, quam constat reddere hominem beatum in genere causæ
formalis, adferat pro exemplo adjutorii quo hisce verbis: *Beati-
tudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit* (nempe
formaliter) *beatus; adjutorium est enim, non tantum sine quo non*
fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Et denique *Lib. de*
dono perseverant. dicat: *Cum perseveraverit quisque in finem, hoc*
donum non potest amittere. Negari proinde nequit, S. Augustinum
adjutorium quo, illud appellare, non quo *causaliter* & *efficienter*,
sed quo *formaliter* aliquid fit. Hinc, ut observant laudati Autho-
res, Augustinus non dividit actualem internam gratiam in adjuto-
rium *sine quo non*, & in adjutorium quo. Sequere reipsonem,
quam velis.

Ad postremum textum R. I. per gratiam Divinam, qua volun-
tas infirma *indeclinabiliter* & *insuperabiliter* agitur, intellexisse gra-
tiam actualem natura sua indifferentem, sed congruam & efficacem.
Hinc hæc gratia non est *antecedenter* insuperabilis & indeclinabilis
hoc sensu, quasi voluntas creata non posset ei resistere anteceden-

ter, quæ utique potest, & sæpe resistit teste Augustino *Lib. de Spirit. & lit. c. XXXIV.* dicente: CONSENTIRE VOCATIONI DEI VEL AB EA DISSENTIRE PROPRIÆ VOLUNTATIS EST, sed solum *consequenter* ad liberam conditionatam determinationem voluntatis, in quantum Deus per scientiam mediam vidit sub tali gratia entitative indifferente consensum conditionate futurum, adeoque hujusm. gratia insuperabilis est *consequenter*, suumque effectum infallibiliter præstabit salva immediata libertate creata, ut suo loco uberius dicetur. *re. II.* cum laudatis nuper DD. Augustinum loqui de gratia finalis perseverantiæ formaliter acceptæ, seu de ipsa in statu gratiæ morte, quæ utique insuperabilis est, utpote per seipsam non *causaliter*, sed *formaliter* suum effectum præstans.

117 Ut reliquis, quæ hic passim objici solent, satisfacias, observ. I. S. Augustinus *Lib. I. de prædest. SS. c. VIII.* super illa Christi verba Joan. 6. *Omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me*, dum ait: *Si enim omnis qui audivit a Patre & didicit, venit; profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit*, non excludit e statu naturæ lapsæ gratiam sufficientem, ut constat ex aliis textibus S. Doctoris. Per hunc igitur textum solum significat: quod omnis, qui non amplectitur fidem Christi, non vocetur a Deo per gratiam reipsa congruam & efficacem, non autem quod non vocetur per gratiam sufficientem. Sensus itaque textus Augustiniani est iste: omnis ille qui non venit, non sic audit, non sic discit, ut veniat, seu gratiam efficacem non accipit, sufficienti tamen gratia vocatur, qua posset venire, si vellet.

II. Licet gratia sufficiens sit necessaria & debita naturæ humanæ ex suppositione, quod ea sit elevata & obstricta ad actus supernaturales ponendos, attamen quia non est debita naturæ secundum se acceptæ, sed omnem ejus virtutem excedit, ideo est vere gratia, præsertim cum & ipsa elevatio sit gratia toti naturæ omnino indebita. Gratia sufficiens est præterea fundamentum spiritualis ædificii, inclinatur ad bonum & confertur eo ex fine, ut sequatur actus bonus. Et quamvis non conjungatur cum bono actu, adeoque non sit efficax, id tamen non habet ex se & natura sua, verum ex culpa voluntatis; ad eum modum, quo quis instructus sufficientia videndi, si claudendo palpebras non videat, nequit carentiam

tiam visionis tribuere oculis, vel auctori naturæ, sed sibimetipsi nolenti videlicet uti oculis ad videndum.

III. Quamvis Deus prævideat gratiam sufficientem non esse conjungendam cum actu salutari, nihilominus quantum est de se serio, licet ineffaciter, intendit per eam actum salutarem, quia de se est apta ad actum salutarem, & non nisi vitio solius hominis non conjungatur cum actu salutari; quod Deus impedire non tenetur. Homo quidem non potest licite alterius peccatum permittere a se impedibile: nam homo vi subjectionis naturalis erga Deum, & vi præcepti charitatis, aut justitiæ obligatur offensam Dei etiam alienam impedire, quando rationabiliter potest; non item Deus; secus enim non posset condere creaturas liberas, nec exercere erga illas sua attributa misericordiæ, justitiæ &c.

IV. Auxilio mere sufficienti *specificative* & *entitative* sumpto potest consentire homo, non tamen *reduplicative* sumpto; verum hæc impotentia consentiendi auxilio ut sic accepto, est præcise *consequens* liberam hominis ad dissensum determinationem, non autem *antecedens*, ideo non præjudicat libertati, sed eam supponit. Cum enim hæc veritas conditionata (quam Deus videt per scientiam mediam) *si Petrus haberet perfectam virtutem actum salutarem eliciendi, constitutam per auxilium A, ille non eliceret actum salutarem*, in subsistendi consequentia præcedat hanc absolutam veritatem: *Petrus habet perfectam virtutem actum salutarem eliciendi, constitutam per auxilium A, & non elicit actum salutarem*, sicut perfecta indifferentia eliciendi, vel non eliciendi dictum actum importatur ex parte hypothesis, seu conditionis in veritate conditionata, ita perfecta indifferentia importatur in veritate illa absoluta ex parte actus *imi* proximi, seu in hac: *Petrus habet perfectam virtutem eliciendi actum salutarem, constitutam per auxilium A*, quia hic actus *imus* proximus absolutus, est omnino ipsissima illa conditio veritatis conditionatæ; sicut igitur conditionem veritatis conditionatæ, seu actum *imum* proximum in statu conditionato, non ingreditur dissensus conditionatus Petri, ita nec actum *imum* proximum absolutum, sive in statu absoluto, eliciendi, vel non eliciendi salutarem actum, ingreditur dissensus conditionatus. Ex quo sequitur etiam in statu absoluto dari perfectam indifferentiam, ac simultatem potentiæ & potentiam *antecedentem* consen-

tiendi, vel dissentiendi auxilio; cum alioquin exercitium libertatis creatæ conditionatum, idem omnino sit in recto cum exercitio absoluto. Si vero auxilium pure sufficiens accipiatur *reduplicative*, jam connotat & involvit dissensum conditionatum seu determinationem voluntatis ad dissensum, & hac connotatione stante, non potest voluntas consentire auxilio, quæ est impotentia *consequens* determinationem voluntatis, ut patet.

118

V. Falsum est, gratiam pure sufficientem esse adjectivum præcise possibilitatis, non item voluntatis & actionis, quemadmodum Pelagius volebat. Nam nostra gratia sufficiens sita in actibus intellectus & voluntatis supernaturalibus, inprimis dat & constituit potentiam proximam ad ipsum velle & operari salutariter, quam voluntas sibi relicta non habet, & hanc gratiam vocabant SS. PP. gratiam *voluntatis & actionis*. Dein quantum est de se, daret etiam ipsum *velle & operari*, nisi voluntas ex sua malitia hoc velle & operari impediret, adeoque hæc gratia non est præcise possibilitatis, sed etiam quantum est de se voluntatis & actionis. Quia tamen voluntas & actio impeditur vicio nostro, ideoque hæc gratia non est in *actu 2do* gratia voluntatis & actionis, hoc sensu potest dici gratia solum possibilitatis. Neque tamen per hoc docemus quidpiam commune hæresi Pelagianæ; tum quia ille per gratiam possibilitatis intellexit gratiam solum externam in lege & doctrina &c. sitam, sine qua homo ignorat, quid agere debeat & cum qua suis ~~met~~ naturalibus viribus agere potest, quod debet; tum quia intellexit solum gratiam adjuvantem possibilitatem nostram naturalem, ita ut tametsi aliquando tandem videri potuerit per gratiam intellexisse illustrationem aliquam internam, negaverit tamen eam esse *simpliciter necessariam* ad operandum salutariter, sed solum utilem ad *facilius* operandum. Unde etiam negavit voluntatem & operationem bonam oriri ab ipsa gratia interna, sed eam solum oriri dixit a viribus naturalibus; at vero nos contraria his docemus. Vide etiam Num. 22.

VI. Ex eo quod homo cum auxilio sufficiente possit opus salutare velle & agere, non sequitur, posse in statu naturæ lapsæ sibi, & non Deo attribuere salutarem actionem & meritum. Nam si homo cum illa gratia opus salutare, ut reipsa potest, vellet ac operaretur; nec vellet, nec operaretur, nisi dependentem a Deo, quia

quia Deus per hanc ipsam gratiam immediate excitaret & adjuvaret ad volendum & operandum. Sic docet S. Augustinus *Lib. I. ad Simplicianum*: *Noluit Esau & non cucurrit, sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.*

CAPUT TERTIUM.

Quid ex principiis fidei certum sit de efficacia gratiæ?

L AD statum quæstionis, ac terminos rite intelligendos præp- 119
 mis observandum venit, gratiam efficacem, quæ non solum dat posse, sed ipsum etiam velle & operari voluntati, duobus modis accipi posse, nempe: vel efficacem in actu 1mo, vel efficacem in actu 2do. Efficax in actu 2do ea dicitur, quæ reipsa consensum salutarem cum nostra voluntate actu coëfficit; atque hoc sensu accepta, etiam *adjuvans, cooperans & concomitans* nominatur. Efficax in actu 1mo (quo sensu etiam *excitans & præveniens* dicitur) est, quæ non solum potest (istud gratiæ quoque pure sufficienti convenit) sed etiam *certo & infallibiliter* cum nostra voluntate causatura est consensum, seu actum salutarem, quocum etiam essentialiter connectitur. Gratiam vere ac proprie efficacem dari, in dubium nequit vocari. Namque in scripturis legimus *Ezech. 36. v. 26. & 27. Dabo vobis cor novum, & spiritum meum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra; & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini*, dando videlicet efficacissimas vires voluntati, ut ait Aug. *Lib. de grat. & liber. arbit. Ad Philippen. 2. v. 13. Deus est, qui operatur velle & perficere pro bona voluntate.* S. Augustinus *Lib. de corrept. & grat. c. XIV.* hunc in modum loquitur: *Volenti (Deo) saluum facere nullum hominis resistit arbitrium. - - Qui tamen hoc non facit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordum, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Et *Lib. de grat. Christi c. XXIV.* *Non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna & occulta, mirabili ac ineffabili potestate operatur Deus*

Deus in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates. Idem habet Lib. de prædest. SS. c. VIII. Hæc, inquit, gratia, quæ occulte humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo duro corde ressuatur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primum auferatur. Quæ verba de una gratia efficaci intelligi possunt, & clare indicant, Deum in thesauris suis habere complures gratias pro singulis hominibus, quas si illis elargiri voluerit pro sua misericordia, cor etiam durum emolliet &c. ad currendam viam mandatorum Dei.

120

II. Jam etsi fide certum sit dari efficacem gratiam, quæ certo & infallibiliter cum voluntate nostra causatura est actum salutarem, incertum tamen & explicatu difficile manet, in quo consistat virtus & efficacia gratiæ, seu infallibilis illa connexio cum actu salutari, & qua ratione hæc efficax gratia in actu imo accepta (de qua hic & in proximis Capitibus sermo est) componatur cum libertate voluntatis creatæ. Hanc difficultatem agnovit D. Augustinus, ut vidimus in præfatione ad Theol. Audit. quam cum solvere desperarent Calvinus & Lutherus, ut gratiam efficacem tuerentur, asseruerunt liberum hominis arbitrium, seu libertatem indifferentiæ per culpam originalem esse amissam, nec aliam in præsentî statu naturæ lapsæ agnovere, quam libertatem a coactione, ut dixi Num. 28. quem errorem Trident. Sess. VI. can. V. damnavit his verbis: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem de solo titulo, imo ritulum sine re, figmentum denique a Satana inventum in Ecclesiam; anathema sit.* Ex quo patet Calvinum, & Lutherum (de Jansenio agemus peculiari loco) efficacem gratiam constituisse in auxilio Divino irrepudiabili, & voluntatem creatam antecedenter necessitante ad consensum. Adversus hos & alios Novatores sit

A S S E R T I O.

Fide certum est, gratiam efficacem non posse constitui in auxilio Divino natura sua, seu ab intrinseco irrepudiabili & voluntatem necessitante ad consensum.

121

HOc dogma fidei in pluribus locis CC. decisum reperimus. Senonense in urbe Parisina habitum contra Lutheranos anno MDXXVIII.

MDXXXVIII. in decretis fidei cap. XV. in hunc modum loquitur: *Neque liberum arbitrium asserentes Divinam excludimus propterea gratiam - - - sed juxta sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiae prævenientis auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis affiatu contacta sese convertat in Deum. - - - Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum & cæna-bit cum illo. Neque denique tale sit hujusm. trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas & noluerunt? Frustra certe Stephanus Judæos duræ cervicis & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui S. resisterent: frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si Divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Hic Concilium agit de gratia, quacum voluntas non solum potest converti ad Deum, sed etiam reipsa convertitur, adeoque agit de gratia efficaci: jam si gratia efficax consisteret in auxilio natura sua irrepu-diabili & necessitante voluntatem ad consensum, voluntas non posset resistere gratiæ, quacum convertitur ad Deum, verum ab ea inevitabiliter raperetur, quod pugnat cum decreto hujus Concilii.*

Neque dixeris: hoc Concil. non esse œcumenicum, nec a Pontifice confirmatum. Nam *scilicet* esto: Concilium tamen hanc suam definitionem: *Neque tale sit hujusm. trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit, testimoniis Scripturarum munit, adferens pro ratione: Quoties enim Dominus &c.* Adde: hoc Concilium passim a TT. laudari.

Tridentinum sess. VI. c. V. loquens de gratia, quacum homo ei libere assentiendo & cooperando ad suam ipsius justificationem disponitur, sic continuat: *Ira ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere potest.* Et can. IV. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum - - - non posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: anathema sit.* Can. V. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum*

amissum & extinctum esse dixerit - - anathema sit. Hæc doctrina complectitur tria. *1mum*: adultos ad justificationem semet disponere per gratiam excitantem & adjuvantem. *2dum*: adultos libere huic gratiæ assentiendo & cooperando se disponere ad justificationem, adeoque illos non mere passive se habere, sed vere & active concurrere ad opus justificationis. *Non ego sed gratia Dei mecum*, ait Apostolus I. ad Corinth, 15. v. 10. *3tium*: sub illa Dei motione, *tangente Deo cor hominis*, hominem liberum remanere, ac posse, si velit, gratiæ dissentire, cum eam possit abjicere. Unde sic ratiocinari licebit: Secundum Tridentinum potest homo gratiam, quacum re ipsa ad suam ipsius justificationem disponitur, abjicere & repudiare, eique dissentire, si velit; sed si gratia illa esset auxilium a se seu natura sua efficax, irrepudiabile & necessitans voluntatem, homo non posset ei dissentire, ut alioquin patet, & si posset dissentire, eo ipso non necessitaretur ad consensum, igitur gratia illa, quacum homo ad suam ipsius justificationem disponitur, atque adeo gratia efficax, non est auxilium irrepudiabile & necessitans.

122

Conciliorum definitioni juvat adjungere Augustinum, cujus autoritate Novatores abutuntur. Hic S. Doctor, ut Soaresius *Lib. V. de auxiliis c. IV.* advertit, libertatem indifferentiæ clarissimis sententiis docet *Lib. de liber arbit. ut c. 1.* *Nulla*, inquit, *culpa ostendi potest, ubi necessitas dominatur.* Item: *motus, quo hic & illuc voluntas convertitur, nisi voluntarius, atque in nostra positus potestate, nec laudandus esset, neque culpandus; ubi vox voluntarius apud Augustinum hoc loco, idem significat ac liber.* Et *Lib. de Spirit. & lit. c. XXXIV.* *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus & ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admorent hominem infirmitatis sue, ut ad gratiam justificantem, credendo confugiat: sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; SED CONSENTIRE VEL DISSENTIRE PROPRIÆ VOLUNTATIS EST.* His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quolibet (alibi lego: quodlibet) libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio, cui credat: profecto & ipsam velle credere Deus operatur in bonum, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: CONSEN-

SENTIRE AUTEM VOCATIONI DEI, VEL AB EA DISSENTIRE, SICUT DIXI, PROPRIÆ VOLUNTATIS EST. *Quæ res non solum non infirmit, quod dictum est: Quid enim habes, quod non accepisti; verum etiam confirmat &c.*

In hoc illustri testimonio explicatur inprimis natura gratiæ efficaciæ; ejusque concordia cum libertate nostra necessaria ad merendum & demerendum, id est: cum libertate indifferentiæ seu cum libertate a necessitate; quæ libertas est omnino necessaria ad merendum &c. ut patet e damnata propositione III. Janfenii. Dein ex eodem testimonio colligimus, gratiam prævenientem, qua Deus facit, ut faciamus, ut operemur, consistere præcipue in vocatione, cui consentimus, vel in illa & simul in delectatione sive affectione indeliberata, quam Deus nobis infundit & in nobis sine nobis *libere* cooperantibus operatur, licet non sine nobis *physice* influentibus, cum vocatio sit actus vitalis, & omnis actus vitalis sit ab intrinseco.

Colligitur denique, gratiam efficacem secundum suam entitatem, & quatenus præveniens est, non esse ex natura sua & ab intrinseco efficacem, atque infallibiliter connexam cum consensu: nam gratiæ seu vocationi & inspirationi ab intrinseco & antecedenter connexæ cum consensu non possumus dissentire; etenim dissentire gratiæ est conjungere dissensum cum illa, ut patet ex terminis; fieri autem nequit, ut jungamus dissensum cum gratia ex natura sua essentialiter connexa cum consensu, adeoque necessitante ad consensum. Possumus autem dissentire secundum Augustinum illi vocationi, & gratiæ prævenienti, qua Deus facit ut faciamus, & qua operatur in nobis velle honestum ac salutare, ergo.

Dissolvuntur Objectiones.

O *Pron.* I. Tridentina Synodus can. IV. & V. per liberum arbitrium intelligit facultatem & potentiam *sponte* volendi aliquod v. g. bonum, habitis omnibus ad volendum prærequisitis, non autem intelligit libertatem indifferentiæ, seu libertatem a necessitate, ergo. II. Per auxilium natura sua irrepudiabile & necessitans, voluntas humana quamvis determinetur præcise ad unum extremum liber-

tatis v. g. ad positionem actus salutaris, attamen ita determinatur, ut ipsa velit actum salutarem ponere; igitur ejusm. auxilium non evertit libertatem, adeoque non est ratio, cur gratia efficax non possit constitui in tali auxilio. III. Augustinus *Lib. de gratia & liber. arbit. c. XVI.* ait: *Certum est nos velle, cum volumus: sed ille (Deus) facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in justificationibus meis ambulatis;* atqui Deus non daret efficacissimas vires, si gratia foret repudiabilis, ergo natura sua est efficax & irrepudiabilis. Idem S. Doctor *Lib. de grat. & liber. arbi. c. V.* gratiam efficacem vocat *efficacissimam. Lib. de corrept. & grat. c. II. potentissimam.* His & similibus formulis loquendi, pluribus locis explicat vim atque virtutem gratiæ efficacis, ut liquet ex iis, quæ Num. 119. attuli, atqui hæc & similia non nisi de gratia irrepudiabili, & anteceden- ter necessitante voluntatem ad consensum dici possunt, ergo.

124

§. ad I. Utrunque canonem ad jugulandam hæresim Calvinii & Lutheri fuisse conditum, qui admiserant in statu naturæ lapsæ hominem habere facultatem *sponte*, seu citra coactionem & violentiam volendi; at negarunt potentiam expeditam volendi, vel non volendi; volendi hoc vel illud pro arbitrio, seu negarunt libertatem indifferentiæ, proinde Synodus hanc adversus illos defini- vit definiendo liberum arbitrium in statu naturæ lapsæ dari. Et sane nullus mortalium ratione præditus negaverit, sibi inesse facultatem illam *sponte* seu citra coactionem & vim extrinsecus voluntati illatam volendi sive bonum, sive malum; cum coactio proprie dicta actui volendi manifeste repugnet, non minus quam repugnat non velle volendo, aut non volendo velle. Ex his inferas, non solum actus a voluntate *libere*, sed etiam *necessario* elicitos, esse *spontaneos* & *voluntarios* voluntati elicienti.

Ad II. dist. ant. per auxilium natura sua irrepudiabile voluntas humana ita determinatur, ut ipsa velit *sponte* seu citra coactionem & violentiam c. ant. ut ipsa velit *libere*, seu citra necessitatem antecedentem & ex propria determinatione n. ant. & conf. Aliud est *sponte* ac voluntarie velle; aliud *libere* velle, ut patet ex damnata proposit. Bajana XXXIX. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit, & in Tract. de actibus humanis explicari solet.*

Ad III. dico: Textus S. Augustini, & Scripturarum, qui videntur favere gratiæ ab intrinseco efficaci, irrepudiabili & necessitanti ad actum, omnino salvari, quamvis in nostra sententia admittatur, gratiam efficacem, non esse auxilium irrepudiabile & antecedenter necessitans voluntatem ad bonum. Cum enim in moderna providentia, nullus sit homo, qui non videatur per scientiam mediam consensurus innumeris auxiliis indifferentibus sibi dabilibus, Deus etiam per auxilium præveniens & excitans secundum se & entitative repudiabile, & cum dissensu componibile potest humanas voluntates flectere, movere ad bonum, istudque moraliter operari in nobis, & quidem salva libertate nostra immediata, modo conferat gratiam *congruam* id est: hujusmodi auxilium, sub quo consensus voluntatis nostræ conditionate futurus prævidebatur per scientiam mediam; quia collato tali auxilio, *infallibiliter*, & ut loquitur S. Augustinus, *indeclinabiliter* & *insuperabiliter* sequitur id, quod Deus vult nos velle & libere velle. Itaque Deus præveniente sua gratia efficit, ut (quamvis libere & citra ullam necessitatem antecedentem) *infallibiliter* voluntas humana seipsam ad bonum determinet eo ipso, quod illam sua gratuita, & præveniente congrua gratia sic vocat, *quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat*, teste Augustino *Lib. I. ad Simplic. quæst. II.* scribente: *Non volentis, inquit, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo erat aptum eis, qui secuti sunt vocationem; nam cujus miseretur (scilicet specialiter) sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Hos eosdem textus adferre solent Banneziani pro sua prædeterminatione physica, cum tamen nulla illius mentio in iis fiat, & sine illa, proposita methodo textus salventur.

Observ. hic I. In Scripturis Deus dicitur: *dare cor novum hominibus; operari in nobis velle & perficere*: si hæc locutiones intelligantur de *Ima* excitante & præveniente gratia, verissimum est, homini non esse liberum habere *cor novum* &c. nam præveniens illa gratia agit utique principium salutaris operationis constituens ipsam potentiam salutariter operandi, ante quam homo non habuit aliam, per quam potuisset ei esse libera & meritoria gratia præveniens; quia alias posset mereri solis naturæ viribus gratiam supernaturalem, quod est Semipelagianum. At vero si dicta locutio

nes intelligantur de operationibus salutaribus dependenter a gratia præveniente positis, vel ponendis, liberum est homini habere *cor novum, velle operari &c.* nam Deus gratiam prævenientem & excitantem homini confert ad *meritorie* operandum, adeoque illa gratia nequit esse irrepudiabilis & antecedenter necessitans voluntatem excitatam & adjutam ad operationem salutarem, sed potius voluntas humana se determinat pro sua libertate ad eam, secus ratio meriti abesset. *Ne putetur*, inquit August. *Lib. de grat. & liber. arbit. c. XV. nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in psalmo dicitur: Nolite obdurare corda vestra. Et per ipsum Ezechielem - - Facite vobis cor novum, & spiritum novum - - Meminerimus*, pergit S. Doctor, *ipsum dicere: Facite vobis cor novum, qui dicit: Dabo vobis cor novum - - Quare jubet, si ipsi daturus est? quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet.*

II. Ex eo quod gratia in actu imo natura sua sit repudiabilis, non sequitur Deum expectare debere nostram voluntatem ad hoc, ut justificari possimus; nec sequitur gratiam esse *pedissequam* voluntatis nostræ, ut volebant Pelagiani, & Semipelagiani. Nam Deus non expectat consensum nostrum: sicut enim consensus *absolutus* præsupponit prævenientem sive excitantem gratiam absolute existentem, ita idem consensus conditionate imperatus in hac veritate: *Si Petrus haberet auxilium A, consentiret*, præsupponit pro conditione seu hypothese eandem prævenientem gratiam, scilicet conditionate existentem. Pelagiani in eo errarunt, quod per opera naturalia præveniri a nobis gratiam Dei absolute dixerint, Deumque bonum voluntatis *naturalem* motum expectare, ut gratias supernaturales largiatur ob hunc motum tanquam meritum. Vide Num. 21. §. VIII. Quamvis dici possit, Deum expectare voluntatem nostram ab excitante gratia motam, & viribus gratiæ se disponentem v. g. ad actum contritionis, ut conferat gratiam sanctificantem, vel ejus augmentum. Nec sequitur gratiam efficacem entitative indifferentem esse voluntatis *pedissequam*: quia voluntatis effectum prævenit non solum pro statu *absoluto*, sed etiam *conditionato*; non enim solum voluntas, quando *absolute* salutariter operatur, dependenter a gratia præveniente & cum gratia operatur, verum etiam quando *conditionate* ope-

operatur, vel potius operaretur, non aliter, quam dependenter a gratia & cum gratia operaretur, & quidem ita, ut ipsa gratia sit principalior causa operationis, quam voluntas. Patet istud ex hac veritate conditionata: *Si Petrus hac gratia praeveniente excitaretur, eadem adjutus consentiret & cooperaretur.* At vero Semipelagiani docebant initium fidei esse ex viribus præcise naturalibus, & ad perficiendam salutem subsequi gratiam supernaturalem, veluti *pedissequam* voluntatis naturalis. Consule Num. 25. & 65. Hæc clariora fient, ubi nostram de gratia efficaci sententiam statuerimus.

CAPUT QUARTUM.

Utrum gratia efficax recte statuatur in delectatione victrici Janseniana?

I. **J**ansenius diversum ad speciem a Calvini dogmate systema amplexus, in re tamen non minus, quam ovum ovo simile, ut noster Simonnetus *Tom. II. Disp. III. art. II.* ex utriusque verbis apertum facit, circa gratiam *sanitatis* sequentia docet: I. Hanc gratiam fuisse entitative indifferentem & componibilem cum consensu & dissensu, aut carentia consensus creaturæ, adeoque voluntati creatæ reliquisse libertatem indifferentiæ ad consensum, & dissensum, ac voluntatem pro sua libertate potuisse consentiendo reddere gratiam efficacem, aut dissentiendo inefficacem. II. Hujusmodi gratiam entitative indifferentem voluntati creatæ non dedisse ipsam actionem & meritum, sed potius expectasse, donec ipsa voluntas ageret & actionem gratiæ determinaret; fuisse proinde hanc gratiam causam actionis *nimis principalem* & voluntatis *pedissequam*: fuisse *auxilium sine quo non*, id est: sine quo non posset bene operari; non fuisse *auxilium quo*, id est: quocum voluntas necessario bene operaretur. Denique hanc gratiam non disceperisse consentientem a dissentiente. Atque hæc ipsa sunt, quæ sententiæ Societatis nostræ obijciuntur, ut suis locis videbimus.

II. De gratia vero *medicinali* longe aliam doctrinam tradit. Inprimis docet: gratiam medicinalem & efficacem inter se converti, ut videlicet omnis gratia medicinalis sit gratia efficax, & omnis gra-

gratia efficax sit gratia medicinalis, hancque gratiam præcise in cœlesti suavitate, seu delectatione, qua bonum voluntati suaviter placet, consistere ait, ita quidem, ut voluntas non possit quidpiam velle sine prævia delectatione. Id discimus ex ipsius verbis *Lib. IV. de grat. Christi c. VII.* *Voluntas, inquit, sine delectatione velle, aut moveri - - nullo pacto potest, quod sane respectu cujuslibet operationis locum habet.*

Docet II. duplicem delectationem dari, alteram cœlestem, quæ ad bonum; alteram terrenam, quæ ad malum nos inclinât, & trahit, ita ut si alterutra delectatio comparate & relative ad oppositam intensior & fortior sit; secundum eam necessario operemur. De hac intensiore, seu victrici delectatione loco laudato in hunc modum scribit: *Voluntas hominis per peccatum originale labe facta, non nisi victrice quadam ac dominante delectatione indeliberata, seu cœlesti, seu terrena ad bonum, vel ad malum infecti, & determinari potest.* Vocat hanc delectationem *indeliberatam*, quia rationis advertentiam, & omnem voluntatis consensum antevertit. Ejusm. delectationem ait Jansenius, esse unicum pondus, quo voluntas ad agendum necessario determinatur, adeo ut sicut in bilance, si duo pondera fuerint inæqualia, necessarium omnino est, eam bilancis partem præponderare ac vincere, in qua majus reperitur pondus, nec unquam fieri potest, ut majus trahatur a minore, ita pariter fieri nequit, ut major delectatio vincatur a minore, sed si major fuerit vis gratiæ, quam concupiscentiæ carnalis, necesse sit voluntatem bene operari; e contrario male, si viribus prævaluerit concupiscentia, Audiamus Jansenium *Lib. IV. c. IX. Consistit ille, inquit, delectationum sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit, & eo totum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat, secundum id operemur, necesse est. Vigente enim (hoc est: prædominante) delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat.* Itaque prædominante terrena delectatione, voluntatem velle bonum impossibile est, quia nimirum juxta Jansenium, voluntas per dictam delectationem *antecedenter & irresistibiliter* determinatur, adeoque necessitatur ad volendum malum.

Docet III. Has delectationes oppositas aut nunquam posse æquales esse, aut si sint, neutram habere virtutem superandi alteram, atque volun-

luntatem in suspensio & æquilibrio mansuram (non secus ac bilancem, dum æqualia sunt pondera) nec aliud, quam velleitates quasdam, & inefficacia in utramque partem desideria elicere posse. Cum vero, ut e dictis patet, neutra istarum delectationum sit *absolute* victrix, sed duntaxat *comparate* ad aliam delectationem oppositam, quam gradualiter superat, ideo fit, ut hæc eadem delectatio v. g. cœlestis, quæ in his circumstantiis composita cum concupiscentia minore est victrix, & gratia efficax, possit talis non esse, si componatur cum concupiscentia majore, quam ipsa sit. Atque hinc sponte sua profuit celeberrima distinctio potentia *absolutæ*, & *relativæ*, qua Janseniani utuntur ad declinanda Catholicorum argumenta, & Ecclesiæ censuras eludendas. Distinctionis infirmitatem, fallaciamque evolvam infra.

Denique docet IV. instructos victrici delectatione cœlesti, necessario operari bonum; hæc destitutos necessario peccare urgente delectatione terrena, quin tamen istud rationem meriti & demeriti evertat; quia, inquit, *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate* (nempe antecedente) *sed sufficit libertas a coactione*. His de mechanico gratiæ systemate delibatis sequatur

A S S E R T I O.

Gratia efficax nequit constitui in delectatione cœlesti superiore, sed per gradus relative victricis.

HÆc assertio dogma fidei complectitur, ut liquet e damnatis V. propositionibus Num. 34. relatis, ex hac delectatione victricis, tanquam unico fonte promanantibus. Et probat. I. Delectatio superior & relative victrix tollit libertatem indifferentiæ voluntatis creatæ, igitur in ejusm. delectatione nequit constitui gratia efficax. Ant. ultro admittit Jansenius, fateturque per delectationem victricem tolli libertatem indifferentiæ, id tamen nihil obesse potentia merendi, utpote ad quam sufficiat sola libertas a coactione. At vero Janseniani negant ant. contenduntque in suo systemate libertatem indifferentiæ perfecte salvari, ut se Ecclesiasticis censuris subducant. Adversus hos igitur probat. ant. Data delectatione su-

periore & relative victrice, voluntas creata *antecedenter* & *insuperabiliter* determinatur secundum illam, ita ut si prævaleat delectatio cœlestis, antecedenter & insuperabiliter determinet voluntatem ad bonum agendum; si vero prævaleat terrena, determinet antecedenter & insuperabiliter ad malum, atqui istud est per victricem delectationem tolli libertatem indifferentiæ, esse videlicet antecedenter determinatam voluntatem ad unum, & non habere potentiam veram & expeditam ad alterum, ergo. M. est doctrina omnium Janenistarum, quam ajunt fundari in hac Augustini sententia in c. 5. epist. ad Galat. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est*; m. alioquin patet, ergo. Verum, ut hoc addam, perperam accipiunt eam sententiam de gratia, seu delectatione victrice *indeliberata*, quasi Augustinus dicat, ista delectatione prævenientis gratiæ indeliberata necessitari nos ad operandum, cum tamen eo in loco S. Doctor manifeste loquatur de delectatione *deliberata*, seu de actu, quem sibi voluntas ex propria sua electione procurat, quo bonitatem aliquam objectivam per illustrationem sibi propositam opposito objecto anteponit, & sic elective præferendo *amplius* in hac, quam opposita bonitate delectatur, secundum quam quidem delectationem, dum efficax est, necesse est operari; quæ necessitas, ut vides, consequens est, non autem antecedens.

129

II. Plura Scripturarum loca aperte testantur, principium operis meritorii non esse delectationem victricem & relativam, ut somniat Janenius; sic Eccle. 1. v. 27. *Tumor Domini expellit peccatum.* Jerem. 32. v. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant.* Quod quid aliud est, ait Lib. de dono persever. c. XII. S. August. *quam talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhaereant.* Unde Christus proposito aternæ gehennæ metu, discipulos ad constantem fidei defensionem accendebat Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius time te eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Concil. Trident. sess. VI. c. VI. motum timoris inter eas dispositiones enumerat, quæ ad obtinendam justificationis gratiam vulgo prærequiruntur; & Sess. XIV. de pœnit. c. IV. docet, attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu

metu

metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, esse donum Dei, & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens ad iustus viam sibi ad iustitiam parat; atqui in hoc timore & supplicii æterni metu, quo peccator percussus ad Deum confugit, non reperitur ulla victricis gratiæ suavitas, dulcedo & delectatio comparativa, qua hominis pœnitentis cor perfusum colliquesceret, teste ipso Jansenio *Lib. V. de grat. Christi c. XXIII.* dicente: *Gratiam Christi effectum prorsus oppositum (timori) in voluntate facere, cum sit inspiratio cœlestis delectationis, qua Deus incipit dulcescere, quem timebat, igitur delectatio victrix relativa non est principium omnis operationis salutaris a Jansenio requisitum, adeoque non omnis gratia constitui debet in delectatione quadam interna, minime vero in victrice relativa, alioquin eversiva libertatis creatæ.*

III. Secundum principia Jansenii intelligi haud potest, qua ratione Adamus in statu illo innocentiae, ubi caro nondum rebellis rationi erat, nec terrena delectatione pulsabatur mens, sed potius summa perfundebatur gratiæ delectatione, peccare potuerit? cum ipse Jansenius *Lib. de grat. primi hominis c. XII.* tradat: *gratiam Adami & Angelorum fuisse prævenientem cœli delectationem eo majorem, quo nulla contraria delectatione turbabatur.* Quod enim discrimen Jansenius dabit inter delectationem illius status, & delectationem præsentis? Vide Num. 100.

Confectarium.

SYStema delectationis relative victricis in sensu Jansenii, nullum omnino fundamentum habet in Doctrina S. Augustini, immo ab ista prorsus alienum est. Hoc systema delectationis relative victricis innititur potissimum huic Augustini testimonio: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est, de quo Lib. IV de grat. Chr. c. VI. ait: Unus est locus hac de re clarissimus, & præclarissimus, qui aureis meretur scribi characteribus, quo Augustini mentem plenissime capiamus.* Arbitrabatur enim Jansenius, eam esse indolem voluntatis nostræ, ut non possit non velle & operari id, quod illam indeliberate delectat amplius. Nam, inquit, cur necesse est, ut operemur secundum id, quod amplius nos de-

lectet? quia videlicet indeliberata delectatio major *insuperabiliter* determinat nostram voluntatem ad volendum & operandum. Jam ostenditur veritas *Confectarii* I. S. Augustinus in laudato textu non loquitur de delectatione *indeliberata*, igitur systema Jansenianum non fundatur in doctrina Augustini. Ant. prob. Augustinus loquitur de delectatione conjuncta cum necessitate operandi secundum id, quod amplius nos delectat, quæ non evertat libertatem necessariam ad merendum & demerendum, sed h. i. non loquitur de delectatione indeliberata, quæ videlicet conjuncta esset cum necessitate antecedente merendi, vel demerendi, ergo. M. patet: nunquam enim docuit Augustinus, nec potuit salva fide docere: voluntatem ita necessitari ad operandum, ut hæc libertatem ad merendum vel demerendum amittat; m. vero declaratur: indeliberata delectatio major, si necessitatem operandi voluntati imponeret, utique antecedentem & insuperabilem imponeret, eo ipso quod indeliberata sit, seu quod omnem deliberationem voluntatis prævertat, atque adeo imponeret necessitatem ejusm. quæ non stat cum libertate ad merendum & demerendum necessaria: neque enim voluntas cum necessitate antecedente bene operandi potest mereri, neque cum necessitate antecedente male operandi potest demereri, igitur sola deliberata delectatio conjuncta est cum necessitate bene, vel male operandi tantum *consequente* liberum creaturæ exercitium, seu liberam voluntatis determinationem, quæ necessitas consequens non evertit libertatem ad merendum & demerendam necessariam. Etenim ex supposito, quod voluntas deliberate & elective plus delectetur e. g. cœlestibus, quam terrenis, quia nempe terrenis efficaciter elective præfert cœlestia, non potest non operari secundum cœlestia in sensu composito hujus suppositionis, igitur manifestum fit, Augustinum non fuisse locutum de indeliberata, sed de delectatione deliberata ampliore & majore, uti etiam patet ex ipso contextu.

Quod autem Jansenii systema prorsus alienum sit a doctrina Augustiniana, id evincunt clarissima testimonia S. Doctoris. *Lib. de corrept. & grat. c. V.* principium bonarum actionum, non statuit delectationem, dum ait: *Non vis tua tibi vitia demonstrari, ut fiat tibi utilis dolor, quo medicum quæras - - - quasi aut nihil agat timor correpti hominis vel pudor, vel dolor.* Hæc certe prætermissa de-

delectatione, fit mentio aliarum affectionum moventium ad opus salutare, nempe timoris, pudoris, doloris. Vide Num. 42. Et Serm. XCIX. sic loquitur: *Adfuit suavor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agrosce ergo gratiam ejus cui debes &c.* S. Prosper fidelis ejus interpres & discipulus *Lib. contra Collat. c. VII.* multiplices modos, quibus Deus peccatores ad se invitat ac allicit, his verbis describit: *Trahit, inquit, timor; principium enim sapientiae timor Domini. Trahit lætitia; quoniam lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Trahit desiderium, quoniam concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes; quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel & favum ori meo. Et quis perspicere & enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut qua fugiebat, sequatur; quæ oderat, diligit, quæ fastidiebat, esuriat? --- Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Denique Augustinus asserit (quod Jansenii systema funditus evertit) hominem non semper operari ex majori, qua prævenitur, delectatione, adeoque famosum illud effatum: *Quod amplius nos delectat &c.* verum non est, si de prævia, & indeliberata delectatione, ut vult Jansenius, intelligatur. Nam de semet ipso testatur Augustinus *Lib. VIII. confess. c. VIII.* *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius placebat, nempe complacentia indeliberata, quæ admodum vehemens erat de bono, quod respuebat Augustinus.* Hoc clarissimo testimonio jugulantur superioris delectationis defensores. Plura adfert Cl. Tournelyus *Tom. III. de grat. Christi quæst. IX. art. II.*

Respondetur Jansenio, ejusque affectis.

Oppon. I. Stante delectatione terrena victrice, & stante delectatione cœlesti minore, seu gratia parva, datur vera & expedita absoluta potentia vincendi tentationem; igitur stante delectatione terrena victrice, datur libertas indifferentiæ. Ant. prob. Delectatio cœlestis minor, præscindendo a circumstantiis delectationis terrenæ superioris, constituit potentiam, qua homo absolute potest vincere tentationem, sive concupiscentiam carnalem in aliis circumstantiis, sed h. i. datur vera & expedita potentia vincendi

tentationem, ergo. II. Voluntas creata sine prævia delectatione moveri nequit secundum Augustinum, ergo dum movetur ad actum salutarem, movetur ex prævia delectatione relative victrici, sed h. i. in ea consistit gratia efficax, ergo. Prior cons. patet ex effato August. *Quod amplius nos delectat &c.* Ant. vero prob. ex eodem ad Simplicianum Lib. I. quæst. II. dicente: *Quis animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit? cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei. - - - Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest.* III. Secundum August. gratia efficax sita est in delectatione victrici. Nam Lib. III. de peccat. merit. c. XIX. ait: *Intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum, ideo etiam Sanctis suis alicujus operis justis aliquando non tribuere: vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum; & suavitatem, qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & suave faciat, quod non delectabat, ergo.*

132

ad I. n. ant. in systemate Jansenii. Ad probat. omitto ant.

Istud quippe est ineptum effugium modernorum Jansenistarum. Nam quarimus, utrum in circumstantiis hujus terrenæ delectationis superioris, habeat voluntas veram & expeditam potentiam resistendi tentationi, seu relative ad præsentis circumstantias, non autem absolute ad circumstantias alias. Illa igitur absoluta potentia posset esse in aliis circumstantiis, vera & expedita potentia resistendi tentationi; at in his, dum dominatur concupiscentia, minime est; atque adeo in circumstantiis istis nulla datur libertas indifferentiæ.

Ad II. n. ant. Licet enim S. Augustinus asserat, voluntatem nullo pacto moveri sine delectatione, istud tamen præcise in sensu accomodo accipiendum est, ut videlicet sensus sit, voluntatem nostram ut plurimum non moveri, nisi præveniente delectatione. Ipse Jansenius Lib. VI. de grat. Cbr. c. V. aperte fatetur, voluntatem aliis etiam affectionibus trahi ac moveri, & non sola delectatione:

Ipsam

*Ipsam quoque voluntatis apicem ad se, ait Jansenius, sive in malo, sive in bono, blandiendo aut aliter afficiendo trahunt, aut retrahunt: Et Augustinus Lib. de corrept. & grat. c. V. inquit: Diversis & innumerabilibus modis Deus homines ad se vocat, & reformatur, nempe timore, dolore, turpitudine peccati &c. Quod vero S. Doctor in illo effato: Quod amplius nos delectat &c. aliisque in locis plurimum loquatur de deliberata delectatione, patet etiam ex Serm. XVII. de verbis Apostoli, in quo in illa Psal. XXXVI. verba: Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui, ait: Quid est, quod dixi? ut inter omnia, quæ delectant, plus te delectet ipsa justitia, non ut alia (quæ scilicet delectant licite) non delectent, sed ipsa prius delectet. - - - Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi, qua licite delectaris, præpone justitiam. Delectare in Domino, dicit Scriptura, Dominus autem justitia est &c. Denique pluribus in locis S. Augustinus hortatur, ut illicitas delectationes non sectemur, atqui de majori indeliberata delectatione id frustra diceret, quæ arbitrio voluntatis nostræ, immo secundum quam ex mente Jansenii *neesse est operari*, ergo loquitur de delectatione deliberata, cui voluntas propria sua electione adhæret, & cui, si illicita fuerit, ut non adhæreat, hortatur.*

Ad III. r. n. ant. ad probat. dico: S. Augustinum loqui de delectatione *deliberata*, qua justitiam aliis delectationibus præferimus, eamque præ aliis amplius amamus; atque hanc ait S. Pater, aliquando non dari sanctis viris, quia & isti nonnunquam labuntur. Victricem porro vocat; quia vincit omnes delectationes carnales, cum istis in sensu ejus composito indulgere non possimus, celestem gratiæ delectationem ex libera electione voluntatis nostræ secuti. Dein esto loqueretur de indeliberata delectatione, seu gratia inspirationis, hæc tamen non eo sensu dicitur Augustino *victrix*, quo Jansenio; nam per victricem delectationem significat S. Pater gratiam efficacem, cujus efficaciam in hujusm. vocatione constituit, prout Deus *scit congruere, ut vocantem non respuat* voluntas; non autem in motione *irrepudiabili & antecedenter* necessitante voluntatem ad bonum. Et vero non esse necesse, ut voluntas semper ac necessario illud amplectatur, quo major objecti indeliberata delectatio movet, ac invitat, Angelorum & Adami exem-

exemplo supra demonstravimus. Hinc illud Poetae: *video meliora, proboque, deteriora sequor*; quia videlicet voluntas libere sequi potest, & amplius delectari delectatione libera in deterioribus bonis respuendo meliora, quae magis oblectant delectatione indeliberata, & necessario confurgente ad conspectum cujuscunque boni secundum mensuram vividae representationis, quae de illo habetur.

133

Plura oggerunt Janseniani, quibus ut occurras, observ. I. Falsum esse, in concursu delectationum indeliberatarum, majorem non posse superari a minori. Cur enim libera voluntas non posset agere secundum unam potius, quam alteram delectationem? Sane Augustinus de se fatebatur: *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius placebat*. Adde S. Thomam *Part. III. quaest. LXX. art. IV. in* ☉ dicentem: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, & vitare omne peccatum mortale*. Et quamvis daretur, Angelicum Doctorem solum loqui de gratia *habituali*, inconcussum attamen maneret, Ecclesiam, damnando Jansenii errorem, velle, ut omnes Catholici fateantur, dari justis urgente praeccepto sufficientes gratias, quae vires aequales conferant saltem ad orandum, impetrandumque uberius auxilium ad superandam actualem concupiscentiam. Hinc Deus succrescente tentatione, si homo faciat viribus gratiae, quantum in se est, ei largitur uberius auxilium, ut possit eam vincere. Denique cum ad omnes & singulos actus salutares justificationem consequentes, necessaria sit *actualis* gratia, ut alibi dictum, utique etiam de gratia actuali locutus est.

II. Omnes actiones humanas esse ab amore boni tanquam a principio & causa, verum ab amore deliberato consequente liberam voluntatis electionem & determinationem, non autem ab amore indeliberato, ita ut amor, seu potius indeliberata delectatio, sit *unicum pondus*, quo voluntas praevie invincibiliter determinetur ad agendum veluti bilanx a pondere majori; quid enim similitudinis intercedit inter potentiam ratione ac libertate praeditam, & instrumentum inanime ac mere passivum? Verum quidem est, quod omnis motus deliberatus voluntatis procedat ab amore, cum voluntas semper feratur in objectum sub ratione boni, si *prosecutive* feratur, si autem *aversative*, saltem indirecte respiciat aliquod bonum, atque hoc sensu quidquid homo facit, dicitur ex delectatione deli-

deliberata facere, in quantum illud facit, quia vult & placet ipsi, & quidquid placet, quodammodo delectat, licet subinde arduum ipsi fuerit. At falsum est, quod omnis motus indeliberatus ita sit ab amore, ut amor delectans sive delectatio sit unicum humanarum actionum principium, vel: ut pravia delectatio sit unicum determinans & necessitans operationum principium. Itaque aliud est voluntatem re ipsa operantem operari ex amore, & aliud voluntatem a delectatione indeliberata necessario antecedenter determinari ad hanc operationem.

III. Præter hos, esse Theologos Augustinianos a Thomistis, & Jansenianis alienos; qui gratiam efficacem in actu *imo* acceptam, constituunt in delectatione victrice, quam *prædeterminationem Augustinianam* appellant, docentque I. Hanc delectationem victricem solum in statu naturæ lapsæ dari, non autem integræ; per quod conveniunt cum Jansenianis, dissident a Thomistis, utpote prædeterminationem suam physicam etiam in statu naturæ integræ necessariam esse afferentibus, ad salvandam rationem causæ *imæ*, *imilberi* &c. in Deo. II. Hanc gratiam non esse per gradus intensiōis & relative victricem, uti Jansenisticam, sed ex se & natura sua absolute victricem seu efficacem, uti Thomisticam. III. Hanc gratiam non constituere actum *imū* proximum (quemadmodum Jansenistica constituit) sed dari ante eam (sicut datur ante prædeterminationem Thomisticam) in voluntate gratiam excitantem sufficientem, distinctam entitative & natura a delectatione efficaci, & facientem, ut voluntas proprie, expedite ac complete etiam relative ad quamcunque oppositam delectationem possit operari actum salutarem, vel saltem uberius auxilium ad illum eliciendum implorare. Ac proinde IV. docent: quod licet hæc delectatio ex natura sua victrix, certo impellat voluntatem ad agendum, relinquat tamen voluntati libertatem indifferentiæ, id est: potentiam resistendi & actum contrarium ponendi etiam relative ad præsentem concupiscentiam, utpote cum non constituat actum *imū* proximum, nec requiratur ad posse operari, sed solum ad ipsum operari, veluti applicatio ipsius actus *imi* proximi ad operandum, sicut prædeterminatio Thomistica. E quibus luculenter patet, hanc sententiam iisdem prorsus argumentis impugnari, quibus Thomistica prædeterminatio, cum hæc Augustiniana secundum Defensores

suos perinde ac Thomistica sit ab intrinseco essentialiter connexa cum actu, adeoque impossibilis cum omissione ejusdem, & inevitabilis a voluntate creata, utpote independens a scientia media, ut volunt Patroni hujus sententiæ.

IV. S. Augustinum adversus Pelagianos & Semipelagianos disputasse, ut tandem evinceret, gratiam interiorem prævenientem, minime everivam libertatis creatæ, necessariam esse ad quemlibet actum salutarem. Hanc igitur ab illis exigebat, non vero gratiam efficacem positam in quadam delectatione & suavitate a Deo immixtam, quæ tribuat vires & potentiam recte operandi, omnino inseparabilem ab operatione, actumque *inam* constituat essentialiter irresistibilem, ob connexionem *infallibilem*, quam habet cum actu *2do* ut ex innumeris testimoniis ejusdem S. Patris constat.

CAPUT QUINTUM.

Utrum gratia efficax in prædeterminatione physica, vel actu inspirato consistat?

- 134 I. **C**ontroversia efficacem gratiam cum libertate creata conciliandi, majorem in modum exarsit inter RR. PP. S. Dominici & nostram Societatem circa annum MDLXXXVIII. quo Ludovicus Molina suam *Concordiam liberi arbitrii cum gratiæ donis* typis vulgavit; in qua beneficio scientiæ futurorum contingentium conditionatorum, viam ostendit, antiquis haud ignotam, nunquam tamen (rebus id non exigentibus) peculiari cura explanatam, conciliantem liberum arbitrium cum efficacia gratiæ Divinæ. Cum enim illi viderent, omnem suam de intrinseca auxiliorum efficacia, & physicis prædeterminationibus doctrinam collapsuram, si Molinæ systema stabiliretur, nihil omisere, quo illud in ipso veluti ortu prætocarent. Itaque Duce M. Dominico Bannezio Theologo Ord. Prædicat. qui eodem sere tempore, ut advenit Ripalda *Disp. CXII. de ente supern.* physicas prædeterminationes in publica asserta protulerat, *Concordia* Molinæ Pelagianismi, aliorumque errorum rea apud Sacrum Tribunal Inquisitionis Lusitanicæ accusatur, sed post maturum examen cum laude absolvitur. Rursum ad varias Academias, Vallisoletanos sanctæ fidei Inquisitores,

res, & supremum Generalis inquisitionis Hispaniæ Tribunal delata, omnium Judicum suffragiis probatur, ac per eam ipsam accusationem in Italiam, Galliam, Germaniam feliciter propagatur.

Non quieverunt Bannezii asseclæ. Causam deferunt ad supremum Romanæ inquisitionis Tribunal, & agente Cardin. Alexandrino, Theologos VIII. a Clemente VIII. Pontifice obtinent, qui doctrinam Molinæ ad examen revocarent. Isti nondum tribus mensibus præterlapsis, Bannezii accusationi nimium deferentes, propositiones LX. Molinianas sat liberali calculo erroris damnant. Interpellatus Pontifex, ut & ipse Molina audiretur, annuit, induisitque simul, ut prioribus Theologis duo alii adderentur. Hi X. Theologi e LX. propositionibus, non nisi XX. censura notarunt. Verum ubi Bellarminus, Soaresius, Vasquezus, Valentia solide demonstrarunt, sensum, in quo XX. propositiones a Censoribus fuerunt notatæ, esse profus alienum a mente & verbis Molinæ, re accuratius perpensa, tres Theologi omni censura abstinerunt; septem reliqui sex duntaxat censura dignas pronunciarunt.

Pontifex intellecto Censores in dies variare, nec coram Card. Madrucio negotium procurandæ pacis ad votum cessisse, omnem controversiam ad se avocavit, omissoque privato examine, publicas disceptationes coram se & Collegio Purpuratorum PP. ac Judicibus a se designatis, de doctrina Molinæ a PP. Dominicanis, & Soc. Jrsu fieri decrevit. Habitæ sunt numero XLVII nempe XXXVII. coram Clemente VIII. & coram Paulo V. ejusdem successore X. Initium iis datum, magna orbis expectatione, die XXVIII. Martii MDCII. ac continuatæ usque ad diem XXII. Febr. MDCVI. quo postrema erat. E PP. Dominicanis adversus Molinam primus disputare occcepit P. Didacus Alvarezius, in cujus locum susceptus est P. Thomas Lemos, qui in sua *Panoplia grat.* Tom. I. Part. I. Lib. VI. testatur, se omnibus disputationibus interfuisse, demptis duabus: *In quibus omnibus*, inquit, *præterquam in prima & in altera, quia tunc infirmitate detinebamur, nos pro Divinæ gratiæ efficacitate* (hoc est: pro prædeterminatione physica) *semper pugnavimus.* Ex parte Societatis primas disputationes IX. pro Molina sustinuit P. Greg. de Valentia, dein morbo correptus, Neapoli extinguitur. Huic successit P. Petrus de Arrubal, & post X. disputationes in morbum labitur. Reliquis fi-

nem imposuit P. Ferdinandus de la Bastida. Iste in postremis IX. disputationibus, gratiam physice prædeterminantem, ab illustratione intellectus & inspiratione voluntatis moraliter moventibus distinctam, impugnare cœpit, tanquam everivam libertatis creatæ, nec satis conformem Tridentino Concilio, oppositam principiis D. Thomæ &c. Tum enim vero Adversarii Molinæ non jam de nostra domo impugnanda, sed de sua defendenda solliciti, receptui cecinerunt.

135

II. His actis Romana in Curia, Paulus V. summus Pontifex pronunciavit, ut omnis doctrina Molinæ, ne uno quidem ejus *Concordiæ* ablato, additove Jota, ut loquitur Gonzales *Tom. IV. Dissp. VI.* indemnis esset, & utriusque Familiæ sententia in Scholis impune doceretur, dum quid certius a S. Sede statuatur, ea tamen lege, ut neutra pars alteram censuris carpat. De hac sanctione Pontif. ita scribit Spondanus ad annum MDCVI. *Anno, inquit, Christi MDCVI. indict. IV. Paulus V. Pontifex Max. disputationes de gravi illa ac molesta controversa de Divinæ gratiæ auxiliis, & libero arbitrio, quam inter Religiosos Prædicatores & Societatem JESU, sub Clemente VIII. agitatum inuimus, quibus ipse Paulus cum cæteris Cardinalibus illius Congregationis semper interfuerat, conticescere jussit; sanxitque postmodum, ut utrisque, dum aliud decerneretur, liberum esset suam sententiam tueri, sed sine damnatione alterius partis.* Hujus Pontificii decreti meminerunt etiam Sylvius, Andr. Duvallius Doctor Sorbonicus, Joan. a S. Thoma, Paulus Leonardus, Joannes Putcanus, Petrus Ledesma; & V. P. Ludov. a Ponte *Lib. IV. c. XVIII. in vita admirabilis Virg. D. Marine de Escobar* testatum reliquit, nominatum decretum in omnibus Hispaniæ Academiis publicatum fuisse anno MDCVIII. Denique Sylvester Maurolicus *Lib. V. Oceani Religionum*, Molinæ doctrinam hoc elogio ornat: *Ludovici Molinæ eruditus de auxiliis partus in fornace examinis Pontificii & sæpius igne probatus, deprehensum est aurum omnibus numeris purgatissimum.*

Quantum vero authoritatis doctrinæ Societatis in materia de auxiliis gratiæ accesserit, ex damnatione V. propositionum Jansenii, probe norunt, qui in secretiora Theologiæ penetrarunt, idque satis aperuerunt maximi conatus, quos nonnulli adhibuere anno

MDCLII. ad impediendam earum propositionum damnationem, contententes: non posse eas damnari, quin doctrina Molinae definiretur; & re ipsa doctrina Societatis de gratia, est e diametro opposita Jansenianæ. Vide Thyrsum Gonzalez loco laudato, Platelium, Ripaldam, Theodorum Eleutherium, seu Levinum Meyerum.

III. Circa physicam prædeterminationem docent Thomistæ, 136
 vel potius Bannezistæ, eam esse qualitatem physicam supernaturalem impressam a Deo voluntati creatæ, cujus ope voluntas non solum moraliter, verum etiam physice præmoveretur ad actum salutarem. Huic qualitati sequentia prædicata attribuunt I. Quod sit essentialiter necessaria ad omnem omnino actum salutarem, adeoque quod omnis actus salutaris, ita essentialiter connectatur cum hac prædeterminatione, ut metaphysice repugnet aliquem elici independentem ab ea, quia alias, ut inquit, tolleretur a Deo ratio *1mi* moventis. II. Quod sit qualitas distincta ab actione causæ *2dæ*, a Deo solo pro suo beneplacito liberrime collata, ratione cujus Deus dicitur *1mum* liberum, *1mum* movens, & *1mum* determinans. III. Quod vi entitatis suæ infallibiliter inferat determinate consensum creaturæ, seu actum salutarem, & cum isto metaphysice & essentialiter connectatur ita, ut nec per Dei absolutam potentiam possit componi cum carentia actus salutaris, adeoque quod efficacia gratiæ in actu *1mo* sit prædeterminationi adæquate intrinseca & essentialis. Antiquiores cum Bannezio insuper docuerunt: eam esse qualitatem vitalem indistinctam ab excitante Spiritus S. illustratione, ac inspiratione, atque constitutivam actus *1mi* proximi libertatis creatæ ad salutarem actum ponendum. Verum Recentiores ab hac doctrina recesserunt, quod viderent suam prædeterminationem componi vix posse cum libertate creatæ. Quare isti suam prædeterminationem ajunt esse qualitatem mortuam a solo Deo in voluntate productam, physice moventem & determinantem voluntatem ad consensum, distinctam realiter a gratia actuali præveniente sita in actibus intellectus ac voluntatis, & constituyente actum *1mum* proximum voluntatis per modum principii sufficientis ad consensum, & indifferentis ad consensum & dissentium. Addunt: eam non constituere actum *1mum* proximum, nec necessariam ad posse operari, sed præcise ad ipsum operari, & quamvis

physice influat in consensum, attamen vel se tenere ex parte actus *2di*, seu consensus, vel esse inter actum *1mum* proximum & actum *2dum* aliquod medium ac transitum ab uno ad alterum, in quantum per eam Deus potentiam proximam salutariter operandi, jam constitutam per gratiam excitantem & mere sufficientem, physice determinat, & ad actum *2dum* reducit.

137

IV. Theologi ex Ordine Eremitarum S. Augustini, rejecta prædeterminatione physica, Duce Ægidio Columna Romano, *fundatissimo* Doctore, & eximio D. Thomæ discipulo, docent: gratiam efficacem esse actum amoris Dei super omnia, inspiratum a Deo & in nobis productum, trahentem indeclinabiliter voluntatem in Deum, ab actu *2do*, seu ipso salutari actu *realiter* indistinctum. Jam ut *infrustrabilitatem* gratiæ cum libertate creata concilient, dicunt in actu inspirato amoris Dei duas formalitates dari ratione solum nostra quoad certa munia distinctas, nempe formalitatem *qualitatis*, & *actionis vitalis*. Hujus distinctionis beneficio existimant eundem realiter actum inspiratum, ut est qualitas, effici principaliter a Deo, a quo voluntati infunditur, & se tenere ex parte actus *1mi* proximi; ut vero est actio vitalis, effici simul a creata voluntate, & se tenere ex parte actus *2di*. Libertatem vero perfectam & immediatam dicunt salvari, non obstante intrinseca connexionione inter qualitatem & actionem creaturæ, per hoc, quod creata voluntas per eundem actum tendat in Deum, quia ita tendit in Deum, ut possit consentire aliis objectis peccaminosis sibi ab intellectu propositis, non quidem pro eo instanti, quo habet actum inspiratum amoris (cum nequeat componere duos actus sibi oppositos) sed quatenus potest expellere vel impedire actum inspiratum & ponere peccatum pro sensu diviso actus inspirati. Addunt præterea: actum inspiratum, ut est qualitas a Deo infusa, esse creaturæ necessarium, aliqua ratione priorem, gratiam actualem; ut autem est actio creaturæ tendentis in Deum, esse creaturæ liberum, esse posteriorem & actum meritorium. Admittunt etiam actum amoris infundi a Deo per decretum inspirans, conceptum dependenter a scientia simplicis intelligentiæ cum scientia visionis sit posterior decreto, & scientiam mediam rejiciant, etsi Ægidius Romanus hanc admiserit, ut testatur Gab. de Hennaio in *scientia media historice propugnata*.

VI. Alii TT. qui se peculiari nomine *Augustinianos* vocant, per actum inspiratum amoris Dei, intelligunt delectationem in-deliberatam (aliqui etiam deliberatam volunt) victricem, quæ vincit oppositam concupiscentiam, & voluntatem non physice, sed moraliter, nempe delectando & alliciendo, infallibiliter & invincibiliter determinat ad actum salutarem. Docent præterea, hanc delectationem non esse eandem in omnibus, sed modo efficacem, modo inefficacem, prout nempe in superiorem, vel inferiorem concupiscentiam incurrit. Hæc sententia a Janseniana hæresi in eo differt I. Quod præter efficacem & victricem gratiam fateatur aliam, quæ pure sufficiens sit. II. Quod libertatem indifferentiæ conetur salvare per indifferentiam judicii, quam indifferentiam dicunt hujus sententiæ Patroni remanere stante etiam illa delectatione victrici. Nam, inquiunt, hæc delectatio victrix conjuncta est cum deliberatione relate ad actus, qui fiunt a libero arbitrio hac delectatione excitato. Etsi enim sit efficax gratia antecedens, & Deus sine nobis faciat, ut velimus, attamen per illam non proponitur nobis bonum sub omni ratione boni, sicut proponitur Beatis per lumen gloriæ, ideoque remanet indifferentia judicii & vera libertas, quam habere nequeunt Beati in patria. Quare sequitur quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat, sed sequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali. Ita suam sententiam fere totidem verbis declarat P. Laurentius Berdi Ord. Eremit. S. August. *Tom. III. de Theol. discip. Lib. XIV. c. VIII.* Verum Jansenistæ rident hanc indifferentiam judicii, ajuntque Defensores ejusm. delectationis per gradus victricis secum eadem navi navigare. Ipse Bertius *Bajanismi & Jansenismi* insimulatus, editis VI. vastis Dissertationibus, se suamque doctrinam purgare nititur; de quo infra redibit sermo. De aliis Augustinianis egi Num. 133. §. III.

A S S E R T I O P R I M A.

Gratia efficax non consistit in prædeterminatione physica.

139

Assercionem istam tuentur omnes DD. nostræ Societatis cum Scotistis, & plurimis diversorum Ordinum etiam S. Domini contra Bannezianos. *Probat.* Gratia efficax constituta in prædeterminatione physica non videtur esse conformis sacris literis, Conciliis, immo repugnat libertati indifferentiæ requisitæ ad meritum, ergo. Prima ant. pars probat. I. ex Apostolo 2. ad Corinth. 6. v. 1. scribente: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; hoc loco certum est, Apostolum non loqui de gratia sanctificante, hæc enim recepta in anima essentialiter præstat suum effectum, adeoque in vacuum recipi non potest; certum igitur est, Apostolum loqui de gratia actuali in voluntate recepta, & quidem tali, quam in vacuum recipi non repugnat; alias ludicra fuisset adhortatio, ut patet; hortaretur enim ad id, quod necessario fiet, nempe ad necessariam non receptionem in vacuum; sed h. i. quod Apostolus loquatur de gratia actuali, loquitur de efficaci, ergo. m. prob. Secundum principia Prædeterministarum, auxilium efficax & sufficiens, per hoc inter se differunt *entitative*, quod posita entitate gratiæ efficaci in voluntate, necessario debeat sequi effectus, ita ut in vacuum recipi non possit, seu gratia efficax entitative sumpta non possit conjungi cum carentia consensus; & posita entitate gratiæ sufficientis, repugnet effectum seu consensum sequi & in vacuum non recipi, ergo loco laudato Apostolus loquitur de gratia efficaci & non de sufficiente, quia non est hortatus Corinthios ad faciendum aliquid sub gratia, quod fieri repugnat, igitur cum secundum principia Prædeterministarum repugnet gratiam sufficientem habere effectum, ponique simul cum voluntatis consensu, Apostolus non est hortatus, ne gratiam sufficientem in vacuum recipiant, ergo ne gratiam efficacem in vacuum recipiant, atque adeo hæc est, quam entitative sumptam in vacuum recipi non repugnat, & consequenter non est prædeterminatio physica, quæ non potest recipi in vacuum.

II. Christus Matth. 11. v. 21. exprobrat Judæis: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida &c.* igitur ne hæc gravissima exprobratio sit injusta & ludicra, sub iisdem auxiliis egissent poenitentiam Tyrii & Sydonii, sub quibus non egerunt Corozaitæ, & Bethsaitæ, ac proinde eadem auxilia fuissent efficacia respectu illorum, quæ respectu horum fuerunt inefficacia; atqui istud nequit dici de physica prædeterminatione, utpote semper & in omnibus circumstantiis essentialiter efficace, nec componibili cum dissensu, igitur in hac non potest constitui gratia efficax in actu imo.

Probat. altera pars, nempe non esse conformem Conciliis. 140
Gratia efficax secundum Concilia, consistit in hujusm. vocatione, cui entitative & pro statu absoluto collatæ potest resistere & dissentire voluntas creata, si velit; atqui prædeterminationi physicæ non potest resistere, ergo. M. patet ex Trident. Sess. VI. c. V. ubi habetur: *Declarat præterea Synodus, ipseus justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse: hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averse erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando, d'sponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit;* & can. IV. ejusdem Sess. ac Senonensi Concilio Num. 121. laudato. Veritas m. desumitur ex conceptu & essentia prædeterminationis physicæ Num. 136. Nec vero Prædeterminatistæ negant m. simpliciter, sed miris, nescio tamen an veris modis, distinguunt.

Re-dent l. cum Alvarezio, voluntatem posse dissentire auxilio 141
efficaci, seu prædeterminationi physicæ, sumptæ præcisè secundum entitatem suam *physicam* ac realem, & prout est motio, non autem sumptæ secundum totam virtutem *moralem*, prout nempe est instrumentum Dei efficaciter trahentis voluntatem ad consensum. Sed huic responso opponitur imo: Quia virtus illa efficaciter trahendi secundum Prædeterminatistas est tota & adæquate identificata physicæ prædeterminationi, igitur huic nec quoad entitatem

physicam accepta potest resistere & dissentire voluntas. 2do: Quia si auxilio prædeterminanti, prout est instrumentum Dei efficaciter trahentis ad actum salutarem, nequit voluntas dissentire, cum hujusm. Dei instrumento non componitur libertas indifferentiæ, quod profecto pugnat cum laudatis Conciliis.

2o. Tridentinum solum definire, quod liberum arbitrium possit dissentire gratiæ ex se efficaci & prædeterminanti, non quidem in *sensu composito*, hujus scilicet gratiæ, sed in *sensu diviso*. Hoc effugium sic impugnatur. Hæc distinctio vel facit hunc sensum: Voluntas non potest quidem componere dissensum cum prædeterminatione, posset tamen dissentire, si non haberet prædeterminationem. Contra hunc sensum est 1mo: Nec Calvinus negavit voluntatem posse dissentire & omittere consensum absente, seu non habita, gratia efficaci, ergo Tridentinum definivit contra Calvinum, quod voluntas possit dissentire gratiæ efficaci entitative sumptæ pro sensu composito, seu quando voluntas habet eam. Et vero improprie dicitur quis dissentire gratiæ non existenti. 2do: Tridentinum definivit, posse libere voluntatem dissentire auxilio, igitur locutum est de sensu composito existentie auxilii, & huic sic existenti & excitanti posse dissentire voluntatem, si velit, asserit; cum ergo gratiæ prædeterminanti sic moventi nequeat dissentire voluntas, & cum ista motione componere dissensum, videtur clarum esse, doctrinam Prædeterministarum minime conformem esse Tridentino. 3mo: Ex hoc responso sequeretur, catenis insolubilibus adstrictum, esse liberum ad ambulandum, cæcum liberum ad videndum &c. quia & ille in sensu diviso catenarum potest ambulare &c. denique sequeretur, repugnare omnem necessitatem antecedentem sublativam libertatis: nam data quacunque hujusm. necessitate, verissimum erit, in sensu diviso illius posse non agere, & sic Prædeterminatistæ falso dicunt, visionem beatam necessitare ad amorem Dei.

Vel facit hunc sensum: Voluntas prædeterminata physice ad consensum, licet non possit componere consensum cum dissensu, at tamen retinet potentiam liberam non consentiendi, quam potentiam, aut indifferentiam gratia prædeterminans non tollit, cum voluntas intrinsicè non immutetur, sed manet natura sua libera sub gratia prædeterminante. Contra hunc sensum est 1mo: Quia nequit

explicari, quomodo voluntas retineat potentiam liberam non consentiendi sub ea gratiæ motione, quæ & omnem voluntatis actum antevertit, & habet connexionem invincibilem cum consensu? certe potentia isthæc ad dissensum nec proxima, nec expedita dici potest, sed solum remota & ligata, quæ a voluntate vim sui determinativam, seu activam indifferentiam excludit; voluntas enim vi motionis antecedentis, ac præviæ prioritate saltem naturæ, jam determinata supponitur, alias motio illa efficax non foret; ergo indeterminata non remanet voluntas, adeoque nec retinet sub gratia prædeterminante activam indifferentiam consentiendi vel non consentiendi. 2do: Etsi voluntas intrinsece non immutetur, instructa tamen prædeterminatione physica, nequit ponere dissensum; qua igitur ratione erit libera?

Respondent III. Mentem Tridentini salvari dicendo: voluntatem posse dissentire, si velit, pro sensu composito inspirationis prævenientis ad actum salutarem necessariæ, non item prædeterminationis physicæ ab inspiratione distinctæ. Sed contra est I. Quod transmissa etiam distinctione prædeterminationis ab inspiratione, secundum Tridentinum voluntas possit dissentire, si velit, pro sensu composito illius auxilii, sub quo, & cum quo actu ponit consensum, ait enim Concilium: *ut qui per peccata a Deo averti erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ (videlicet excitanti & adjuvanti) libere assentiendo & cooperando disponantur &c.* (quæ gratia utique est efficax, & non mere sufficiens) atqui auxilium, cui actu consentit voluntas, necessario involvit per AA. prædeterminationem physicam ab intrinseco efficacem, secundum quos repugnat dari consensum non data prædeterminatione, ergo. Quare Tridentinum vel rejicit dictam prædeterminationem, vel definit aliquid juxta AA. impossibile; hoc vero secundum quis ausit dicere? De his recurret mentio.

Probat. tertia pars, quod videlicet repugnet libertati indifferentiæ. Prædeterminatio physica (idem dic de morali seu decreto prædeterminante) evertit libertatem indifferentiæ activæ in voluntate, adeoque etiam libertatem actus v. g. amoris Dei, ad quem confertur, ergo. Ant. prob. I. Libertas indifferentiæ formaliter consistit in simultate potentiæ ad opposita v. g. ad consensum

& dissenfum proxime expeditæ, ita ut voluntas habitis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere vel non agere, aut oppositum agere; atqui prædeterminatio physica evertit hanc simultatem potentiæ, ergo. M. patet ex ipso conceptu causæ liberæ, qui est: *possis omnibus ad agendum requisitis posse agere, vel non;* m. declaratur: posita prædeterminatione voluntas non potest non agere; quia nec potest non agere pro sensu composito prædeterminationis, id est, conjungere omissionem actus cum prædeterminatione, cum prædeterminatio ad actum, sit metaphysice incompossibilis cum omissione actus; nec potest non agere pro sensu diviso prædeterminationis, id est: dividere a se, seu impedire prædeterminationem, cum hæc sit inimpedibilis a voluntate creata, nam solum per actum *adum*, seu liberum exercitium impediretur prædeterminatio, atqui voluntas nequit se exercere sine prædeterminatione, ergo. Unde quia ligatus vinculis a se insolubilibus, nec potest actum ambulationis conjungere cum hoc impedimento, nec hoc impedimentum a se amovere, nequit dici, habere potentiam proximam & expeditam ambulandi, sed solum remotam & impeditam, ita similiter voluntas prædeterminata &c.

II. Prædeterminatio physica est quid origine & causalitate antecedens ipsam actionem voluntatis, cum sit præmotio, & prædeterminatio ad illam, &, ut fatentur Prædeterminatistæ, detur natura prius ad actionem voluntatis. Dein est necessitas antecedens, non quidem antecedens liberam determinationem Dei, a qua pendet (nec requiritur istud, quia secus nulla causa creata esset necessaria, cum cujusvis necessitas consequatur ad liberam Dei determinationem) sed antecedens omne exercitium libertatis creatæ, ab eoque independens; est inquam necessitas antecedens: quippe necessario connexa cum actu, & voluntatem determinate & essentialiter ad solum actum prædeterminans. Denique est necessitas antecedens a voluntate creata inimpedibilis. Qua enim ratione eam impedit & removebit voluntas, si ab hac non pendet?

143

ag. dent Recentiores I. physicam prædeterminationem non constituere actum *imim* proximum, nec requiri ad posse operari seu consentire, sed potius se tenere ex parte actus *adi*, vel in medio quodam signo; est enim determinatio actus *imi* & applicatio ad *adum*. Huic fundamento inhærentes ad istud e. g. argumentum: liberum agens

agens habitis ad agendum requisitis potest agere in sensu composito requisitorum, ergo etiam potest non agere in sensu composito; vident cum suo Goneto: Liberum agens habitis ad agendum requisitis ex parte potentiae actus *1mi* potest agere in sensu composito c. habitis ex parte actus *2di*, & ex parte applicationis potentiae n. His enim habitis, inquit; proprie loquendo non potest agere, sed *reipso agit*, & actu exercet suam libertatem: proinde non potest cum iis conjungere carentiam actionis, alias simul ageret & non ageret.

Contra hoc praecipuum effugium pugnat, quod praedeterminatio debeat constituere actum *1mum* proximum voluntatis creatae v. g. ad amorem Dei, *1mo*: quia praedeterminatio per AA. *physice* efficit amorem (cum gratia excitans sit solum morale principium) & quidem principalius, quam voluntas, utpote principium elevans voluntatem, igitur evidens est, quod saltem prioritate naturae antecedit actionem voluntatis, ut patet ex conceptu causae efficientis, adeoque cum voluntas necessario constituat actum *1mum* proximum, a fortiori constituit praedeterminatio, ergo jam datur aliquod antecedens, essentialiter impossibile cum dissensu, ergo libertas indifferentiae suffertur. *2do*: Gratia efficax secundum AA. consistit in praedeterminatione physica, atqui gratia efficax est principium actus salutis seu actus *2di*. ergo. *3tio*: Concipi nequit, quomodo voluntas possit esse in actu *1mo* proximo v. g. ad actum amoris Dei expedita, non habita praedeterminatione, si haec sit, uti per AA. est, simpliciter requisita ad actum amoris Dei. Nam actus *1mus* proximus, seu potentia proxima expedita ad actum *2dum*, nihil aliud significat, quam hujusmodi potentiam, & sufficientiam, quae non indiget alio principio sive auxilio ad actum *2dum* v. g. amoris Dei ponendum, atqui in sententia AA. praedeterminatione ita indiget potentia proxima ad actum *2dum*, ut si haec deficiat, necessario deficiat actus, sitque potentiam proximam agere impossibile, ergo. *4to*: Auxilium sufficiens ad actus salutares consistens in illustratione & pia affectione juxta AA. tenet se ex parte actus *1mi*, ergo etiam auxilium efficax seu praedeterminatio physica. Dicunt quidem Praedeterminatistae: auxilium sufficiens conferri ad *posse operari*, efficax autem ad *ipsum operari*, adeoque illud se habere ex parte actus *1mi*, hoc ex parte actus *2di*. Verum eo ipso, quod auxilium efficax conferatur ad ipsum operari, utique non est ipsum

operari, & actus 2^{us} voluntatis creatæ; hoc ipso autem est virtus quædam ad ipsum operari, proinde se tenet ex parte actus 1^{mi} proximi. Vide Num. III.

Transmisso etiam, quod prædeterminatio se teneat ex parte actus 2^{di}, est tamen natura prior actu 2^{do}, utpote hujus causa, ergo pro illo priori inducit necessitatem *antecedentem*, non vero *consequentem*, quæ necessitas consequens ex ipso libertatis creatæ exercitio consequitur, at prædeterminatio non est exercitium libertatis creatæ, sed isto natura & causalitate quid prius. II. Prædeterminatio est principium essentialiter connexum cum actu & inevitabile a voluntate, atqui ejusm. principium lædit libertatem, etsi non constituat actum 1^{um} proximum, ergo. Item habitæ prædeterminatione non determinat actum voluntas excitata per gratiam prævenientem, sed sola prædeterminatio, tanquam adæquata ratio agendi, ut volunt AA. quam confert solus Deus, qua igitur ratione erit actus liber? Quod vero voluntas non determinet actum, seu non agat ex propria determinatione, inde patet: quia jam antecedenter & inevitabiliter prædeterminata est ad alterutram partem extremorum v. g. ad consensum ponendum. III. Prædeterminatio est simpliciter necessaria ad actum, & ista non est in potestate voluntatis, cum a solo Deo pendeat & sit hujus solius effectus, ac insuper voluntas ponit actum, quia prædeterminatur ad actum, ergo ejusm. actus erit necessarius & non liber, tametsi prædeterminatio se haberet ex parte actus 2^{di}.

144

vident II. A voluntate creata semper pendere prædeterminationem physicam. Nam, inquit, si gratiæ sufficienti seu prævenienti inspirationi non resistat voluntas, erque recte utatur, impetrat a Deo auxilium prædeterminans; secus si resistat. Sed contra est *imo*: quia jam demonstratum est Num. 112. nec per actum *positivum*, nec *negativum* acquiri, vel impediri posse prædeterminationem. 2^{do}: Ab AA. solide nequit ostendi, gratiam efficacem nunquam conferri, nisi præcesserit gratia sufficienti, cui voluntas obsecuta fuerit, igitur negare non possunt, aliquando saltem illam dari citra ullum prævium libertatis exercitium, igitur si voluntas non potest aliter resistere auxilio physice prædeterminanti; quam per antecedentem liberum usum gratiæ sufficientis, clarum fit, non posse ullo modo eam resistere auxilio præde-
ter-

terminanti, adeoque dabitur gratia quædam efficax, cui voluntas nullo vero sensu possit resistere, & illa a voluntate dependeat. **3tio**: Dato quod existentia prædeterminationis possit impediri (quod profecto concipi haud potest saltem pro statu absoluto, in quo debet existere tota potentia completa) tunc ad summum salvaretur mediata libertas, non item formalis & immediata, de qua tamen sola hic quæstio agitur.

Probat. ulterius assert. Si gratia efficax consistit in physica prædeterminatione, homo dum peccat omittendo actum amoris Dei graviter præceptum, non habet sufficientem gratiam, & potentiam proximam, expeditamque ad actum amoris, adeoque hujus omissio non est illi imputabilis, quia positio amoris erat impossibilis, sed hoc asserere est Jansenianum, ut patet ex damnata *1ma* illius propositione, ergo. *M.* ostenditur: homo iste dum peccat, citra suam culpam caret prædeterminatione physica ad actum amoris, sine qua tamen impossibile est, ut eliciat actum amoris, cum ad hoc ut eliciatur amor, actus *1mus* constitutus per sufficientem gratiam debeat transire in actum *2dum*, qui tamen nequit transire citra *applicationem*, quæ est ipsissima prædeterminatio juxta Adversarios, soli Deo libera, ergo.

vident: sua culpa caret prædeterminatione ad actum amoris, cum homo ille non permiserit se prædeterminari a Deo parato prædeterminare, seu culpa sua non disposuit se ad prædeterminationem; sicut si Deus alicui imponeret præceptum volandi, & quantum est ex se daret alas, homo autem respueret alas, certe omissio volatus non Deo, sed homini imputaretur, ergo etiam &c. Verum contra est: quia nequit explicari, quomodo homo se ad eam disponere possit, cum in principiis Bannezianorum creaturam quidpiam saltem boni agere sine prædeterminatione repugnet. Non etenim potest se disponere per aliquem actum positivum, cum ad hunc ipsum requireretur prævia prædeterminatio, ad quem rursus se disponere debuisset, & quidem rursus per actum positivum, & sic procedendo in infinitum. Non etiam per actum negativum: quia hoc negativum cum esset dispositio ad prædeterminationem supernaturalem, deberet & ipsum esse supernaturale (idem sentiendum de actu positivo naturali) alias in Semipelagianismum incur.

145

current. Quomodo autem negativum potest esse supernaturale? Enimvero hic Rhodus, hic saltus.

146

Denique demonstratur autoritate SS. PP. gratiam in actu imo efficacem, non esse prædeterminationem physicam. August. *Lib. de Spirit. & lit. c. XXXIV.* ait: *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est, igitur secundum August. eidem vocationi potest voluntas dissentire, cui consentit, quod repugnat prædeterminationi physicæ. Item Lib. I. ad Simplic. quæst. II. Noluit ergo Esau & non cucurrit, sed etsi voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret, ubi tò noluit, & contempta vocatione componere cum prædeterminatione physica est impossibile. Chrysof. in homil. de convers. Pauli sic loquitur: Paulum non solum vocatione adduxit, sed & voluntas ejus. Et posteaquam dixisset: Deum ita trahere hominem, ut non cogat, addit: Nam si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea, quæ alioquin efficacia sunt, non quia infirma sit ejus voluntas, sed quia cogere neminem vult. Hic observ. Chrysofostomum vocare efficacia auxilia, quæ ad salutem nihil proficiunt, quia homo iis resistit, sentiens omnino per hominem stare, ut effectum non sortiantur. Dein docere, Deum non movere hominem, qui convertitur, neque etiam Paulum ipsum per hujusmodi motionem, cui homo resistere non possit, non quia Deus id facere non possit, sed quia si faceret, hominem cogeret, id est: necessitaret. S. Clemens epist. XIII. ait: Nihil est, quod audientes fidem ad credendum determinet, nisi arbitrium. S. Ansel. in concord. cap. I. Sola, inquit, voluntas determinat ibi quid teneat, neque aliquid facit vis necessitatis, ubi sola operatur electio voluntatis. Vide Soaresium *Lib. V. de auxilio &c. a c. XLIII. ad XLIX.**

S. Thomas in 2. *Distinct. 25. quæst. unica art. 1. ad 3.* habet: *In libero arbitrio hoc modo agit Deus, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso opere liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus; tum Dist. 28. quæst. 1. art. 1. in ☉. Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret. Et Distinct. 34. art. 3. ad 4. Voluntas non est determinata ad unum, sed se ipsam determinat,*

secun-

secundum quod huic, vel illi adhæret. Item *Distinct. 39. quæst. 1. art. 1. in O.* Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinate exeat in hunc vel illum actum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate; atqui si gratiam efficacem constituas in physica prædeterminatione, tunc istud, quod potentia voluntatis determinate exeat in hunc, vel illum actum, est ab alio determinante; immo physice prædeterminante, nempe a Deo, ergo. E quibus colliges, Angelicum Doctorem non agnoscere prædeterminationem physicam; & reipsa S. Thomam ab hac doctrina longe abfuisse, manifestum reddiderunt quidam ex ipsis Thomistis, & passim alii; testantes insuper, has voces: *prædeterminatio*, vel *præmotio* cum addito, *physica* non reperiri in ejusdem operibus, sed primum a celeberrimis Disputationibus *de auxiliis Divinæ gratiæ*, præeunte Bannezio adhibitas (unde etiam *Bannezista* vulgo appellantur, qui physicæ prædeterminationi adhærent) atque hoc vocabulo *prædeterminatio* in tribus duntaxat locis usum fuisse, in quibus vel accipit eam pro *prædestinatione*, aut *prædefinitione*, vel etiam pro *necessitate antecedente*. In aliis vero locis cum ait: a Deo nos moveri, excitari ad opus salutare, recte intelligi potest de gratia ab extrinseco efficaci, & reapse sic intelligendum esse, ex hac Dissertatione patebit. Quidquid sit de hoc:

Adhuc postremo, & quidem responsione, omnia argumenta, quæ adversus eos adferri possunt, elidente. Credendum, inquit, & captivandus intellectus in obsequium fidei, affirmandumque, prædeterminationem physicam stare cum libertate. Sic Bannezius *I. part. quæst. X. art. I.* ut semet expediret argumento Doctorum Soc. asserentium: se non posse intelligere, quomodo homo libere credat & speret, si ad id moveatur per gratiam physice prædeterminantem, respondet: *Primum omnium debuissent credere, quod ajunt se non posse intelligere; credimus enim mysterium Trinitatis, etiamsi non intelligamus.* Idem reddit Didacus Alvarezius *Disp. CXVIII. Num. V.* cum Ledesma, ac aliis. Et Blasius Berduius *Relect. de scient. media pag. 75.* hac comparatione utitur: *Credidit Maria posse Deum eam imprægnare inviolata virginitate: credas ergo & tu, si non intelligis, posse Deum sua efficacia*

tuam libertatem imprægnare, prædeterminare & sæcundare ad liberum partum.

Huic necessitati credendi reponit Lessius *D'sp. Apologet. pro Ludov. Molina, de grat. efficaci c. XIII. Unde constat, id esse fide tenendum* (nempe gratiam prædeterminantem cohærere cum nostra libertate) *ubi vel Scriptura Divina, vel sacra Concilia tradunt impulsam prædeterminantem, cui præsentì resistere voluntas nullo modo potest, non tollere libertatem, non afferre necessitatem? quænam Ecclesiæ definitio, vel traditio id habet? ubi id ostensum fuerit, credemus, etsi intelligere minime possimus, & maximis ac difficillimis nostræ fidei mysteriis sit obscurius. Quod si id ostendi non potest, quo jure fides exigitur? qua prudentia credemus rem tam novam, tam difficilem ratione prorsus repugnantem? &c. Item Soaresius Opusc. de concur. Dei c. V. Jubent nos credere ita esse, quod ajunt. Quod scire libenter faciemus, si eam doctrinam a Deo esse revelatam, & per Ecclesiam propositam esse ostendant. Quia vero nihil afferunt, quo hæc suadeant & nobis potius ex fidei dogmatibus opposita doctrina colligi videtur, ideo illis assentiri non possumus. Additque: Doctorem ANTIQUUM: qui hæc doctrinam sic declaratam tradiderit, nullum reperio. Hæc eximius Doctor, qui quinque & viginti prægrandibus Tomis rem literariam auxit, ac Posthumo suo opere systema Societatis nostræ de gratia, convulsis AA. argumentis illustravit, stabilivitque. Et Molina in sua concord. *D'sp. LIII. quæst. XIV. art. XIII. Cum præfinitiones, quales ab ipsis confinguntur, neque in Scripturis sacris, aut traditionibus, neque Conciliis, aut SS. PP. fundamentum ullum habeant - - immo sub eo nomine ante XXX. annos sint inter Catholicos inaudita &c.**

A S S E R T I O S E C U N D A.

Gratia efficax nequit consistere in actu amoris inspirato.

147 **H**Æc assertio iisdem fere argumentis propugnatur, quibus prima, cum hujusmodi actus inspiratus non magis cohæreat cum formali ac immediata libertate creata, ac physica prædeterminatio. *Itud probat. I. Actus amoris inspiratus, seu inspiratio sanctæ dilectio-*

ctionis, quocunque modo explicetur, est auxilium ab intrinsicco efficax, indeclinabiliter determinate connexum tum consensu, immo realiter indistinctum a consensu sive actu salutari, & inimpedibile a voluntate creata, igitur ejusm. auxilium laedit libertatem creatam. Quod sit inimpedibile (nam reliqua in antecedente alata admittunt Ægidiani) facile probatur: dicta inspiratio sanctæ dilectionis natura & causalitate præcedit omne exercitium liberum creaturæ, cum hæc inspiratio infundatur voluntati per decretum conceptum dependenter a sola scientia simplicis intelligentiæ, adeoque sicut decretum prædeterminans est decretum simpliciter antecedens omne exercitium liberum creaturæ, & inimpedibile, simulque evertens libertatem creatam, ita & decretum inspirans est decretum simpliciter antecedens &c. & sicut prædeterminatio physica evertit libertatem, ita etiam inspiratio sanctæ dilectionis evertit, atqui gratia efficax debet conciliari cum libertate creata, ergo.

II. Si actus inspiratus explicetur eo modo, quem retulimus Num. 137. sequitur manifesta repugnantia: nam in actu inspirato formalitas qualitatis & actionis sunt realiter idem; & tamen formalitas qualitatis esset a solo Deo, esset prior; formalitas autem actionis non esset a solo Deo, sed etiam a creatura, esset posterior. Item formalitas qualitatis efficeret physice formalitatem actionis &c. atqui idem esse & non esse a solo Deo, idem causare seipsum repugnat, ergo. Si vero altero modo secundum dicta Num. 138. explicetur, easdem fere difficultates patitur, quas prædeterminatio physica. Adde: eam sententiam inniti systemati Jansenii, quod unum sufficere deberet, ut a Theologis toto animo repudietur, qui ab omni partium & studiorum, novitatisque suspitione alieni videri volunt.

Respondetur argumentis Prædeterminatarum.

Oppon. I. complures Scripturarum textus, in quibus AA. nostri 148 arbitrantur se suam prædeterminationem physicam reperisse, Ezechiel. 36. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*, ait Deus, nempe physice prædeterminando voluntatem hominis ad actus salutares. Esther 13. v. 9. *Domine Rex omnipotens in dirione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit*

resistere voluntati tuæ, ergo cum Deus efficaci decreto decreverit actus bonos creaturæ, ad eos inevitabiliter physice prædeterminat, ne per eorum omissionem decreto Divino efficaci voluntas humana resistat. Joan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me; nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, atqui trahere ad actum salutarem; est ad eum physice prædeterminare, ergo. II. S. Thomas *Quæst. 3. de creatione art. 7.* ait: *Quia natura inferior non agit, nisi mota . . . sequitur, quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut moveas & applicans virtutem ad agendum.* Ibidem dicit: *Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum Divinæ virtutis operantis.* Idem refert *quæst. 24. de veritate c. I.* sed hæc nequeunt salvari, nisi dicatur gratia efficax consistere in prædeterminatione physica, ergo.

149

g. Concessis textibus n. id, quod AA. ex iis deducere nituntur. Ad imum textum ajo: Deus homini aufert cor lapideum, & dat carneum non per hoc, quod physice prædeterminet voluntatem hominis ad actus salutares, indicatos per cor carneum, alias frustra Ezech. 18. v. 31. hortaretur nos: *facite vobis cor novum & spiritum novum*, sed per hoc, quod homini prius indurato in peccatorum fordibus, largiatur gratiam & vocationem indifferentem quidem, attamen congruam, seu talem, sub qua infallibiliter vidit per scientiam mediam, hominem libere recte operaturum, loco cujus gratiæ, si Deus largitus fuisset incongruam, sub qua vidit infallibiliter libere male operaturum, permisisset hominem habere cor lapideum. Et hoc modo Deus perfectissime in sua potestate habet voluntatem hominis, ut eum positive infrustrabiliter inclinet ad bonum, conferendo ei vocationem seu gratiam de se indifferentem, sed prævisam congruam & efficacem.

Ad rite intelligendum 2dum textum, aliosque similes g. cum absolutum & efficax decretum Dei de actu libero voluntatis creatæ ob suam *infrustrabilitatem* essentialiter connectatur cum actu, nequit voluntas resistere decreto, ita ut cum eo conjungat carentiam actus; nec potest Deus actum physice determinare illa libertate creata, ut supra demonstratum est pluribus. Quia tamen voluntas per gratiam de se indifferentem est ad actum libera, ita ut eum possit omittere, ideo Deus non potest tali decreto actum *ut liberum* decernere, nisi prius infallibiliter videat per scientiam mediam, quod

quod voluntas creata sub gratia indifferente actum libere sit positura. Et quia voluntas instructa auxilio indifferente potest potentia antecedente determinationem voluntatis ad actum, omittere actum, potest etiam impedire, ne unquam extitisset illud decretum pendens a scientia media. Hæc clariora fient ubi nostrum de gratia efficaci systema dederimus.

Ad 3^{ium} dico: Deum ad Christum venientes, seu in Christum credentes, non trahere per præviam tractionem physice prædeterminantem ad veniendum, cui voluntas non possit resistere, sed trahere solum per præviam tractionem moralem, nempe per gratiam physice quidem existentem, sed solum inclinantem & moventem ita, ut voluntas possit libere eam sequi, vel ei resistere, quæ proinde gratia debet esse entitative indifferens ad veniendum & non veniendum, licet Deus non intendat, ut homo non veniat, sed solum ut veniat ad Christum per hujusm. gratiam. Hæc gratia quidem determinate inclinatur ad solum veniendum, sed inclinatione tali, cui componi potest non adventus, aut positiva elongatio a Deo, ideo hæc gratia est entitative indifferens, quia videlicet non est cum consensu ex natura sua infallibiliter connexa, uti prædeterminatio physica, vel quæcunque gratia intrinsece efficax, est connexa, sed manet secundum se tam cum consensu, quam dissensu componibilis. Præterea in iisdem textibus fundant Calvinus & Janſenius gratiam efficacem in natura lapsa voluntati creatæ inferentem antecedentem necessitatem ad omnem actum salutarem, & tamen pessime etiam secundum AA. ergo etiam secundum nos *probabiliter* non recte fundant gratiam efficacem consistentem in prædeterminatione. Denique gratiæ efficaci voluntas creata potest resistere potentia antecedente præscientiam Dei de consensu conditionate futuro, quamvis resistere nequeat potentia consequente, ut cap. VII. dicam, quod non officit libertati.

Ad II. R. S. Thomam iis ac aliis locis minime favere prædeterminationi, siquidem hæc verba: Deum causam esse actionis, movere, applicare causas *ad* &c. in sensu vero & obvio significant: Deum tribuere & conservare in causis *ad* virtutem agendi, cum ipsis simul physice concurrere ad actiones earum, & (si sermo sit de liberis in ordine ad actus supernos) eas excitare, movere per illustrationes divinitus immixtas, motione *entitative in-*

differentie ad consensum & dissensum; item applicare in actu 1mo concursum suæ omnipotentie indifferentem &c. Neque intelligi possunt de prædeterminatione physica, secus sibi contradiceret S. Thomas, cum Quæst. 3. de potent. asserat: Voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem 1mæ causæ, sed quia 1ma causa non ita agit in voluntate, ut eam ex necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam &c. Hæc vero Deus veluti causa 1ma omnia præstat causis 2dis tanquam instrumentis, modo iis proportionato & accomodato. Unde quia voluntas nostra est causa libera, & instrumentum vitale, morale ac liberum habens a Deo virtutem se ipsam movendi & determinandi, sit proportionato & conveniente modo suæ libertati movetur & præmoveretur moraliter per auxilia entitative indifferentia, sed per scientiam mediam prævisa congrua, ac certo & infallibiliter conjungenda cum actu; at vero e. g. securis cum sit instrumentum inanime, omni libertate destitutum, & impotens seipsum movendi, operari nequit, nisi a causa principali præmoveatur physica præmotione in sensu Adversariorum.

150 *Oppoz. III. Si determinatio voluntatis ad actum salutarem non esset a Deo, sed ab ipsa voluntate creata, sequeretur 1mo: Deum non esse 1mam causam, 1mum movens & agens, 1mum liberum, 2do: causam 1mam subordinari causæ 2dæ. 3tio: sustineri posse propositionem hanc ab Innocent. XI. proscriptionem: Deus nobis subicit suam omnipotentiam. 4to: a principio indifferenti (quale dicitur nostra voluntas seclusa prædeterminatione) repugnat procedere effectum determinatum, atqui hæc absurda sunt, ergo.*

151 *sz. ad III. N. 1mam sequel. M. etsi enim voluntas creata suum actum eligat, & sit 1mum eligens, 1mum determinans hoc sensu, quod aliud determinativum sui actus v. g. prædeterminationem physicam non præsupponat, sicut eodem sensu etiam secundum AA. est 1mum determinans actus sui quoad malitiam formalem spectati, attamen Deus est in rigore causa 1ma, determinans 1mum &c. nempe in quantum omnium aliarum causarum virtus determinativa & motiva, dependet tum in esse, tum in conservari & operari a Deo, sive ejus virtute motiva & determinativa, adeoque Deus prior exercet suam libertatem, quam creatura. Dein determinat; immo prædeterminat ad actum salutarem, non solum præbendo*

vires agendi, & applicando indifferenter omnipotentiam ex parte actus *immi* proximi, verum etiam per illustrationes & inspirationes supernas prævie movendo & inclinando voluntatem ad actum salutarem, quodve caput rei est, conferendo hæc auxilia indifferencia in iis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævisa sunt infallibiliter componenda cum actu salutari, & quidem hoc affectu, ut actus consequatur. Si voluntas creata nullo ex his modo & genere præmotionis præmoveretur a Deo, Deus utique non esset *imma* causa, *immi* movens, ac *immi* liberum. Et si voluntas a Deo physice prædeterminaretur, ut volunt AA., ipsa non foret *admi* liberum (cum dicta prædeterminatio evertat libertatem) nec Deus *immi*, sed *unicum* esset liberum. Quod vero Deus non sit *immi* liberum hoc sensu, quasi operatio creaturæ sit Deo immediatelibera, & Deus ad eam physice prædeterminet, & hoc non obstante etiam creaturæ sit simul immediate libera, inde provenit, quia impossibile est, ut idem actus duobus liberis agentibus, *elective* & *determinative* sit immediate liber.

N. pariter *admi* sequel. Nam subordinari Deum, vel gratiam nobis, proprie loquendo non solum significat, quod voluntas ex viribus gratiæ a Deo liberaliter collatis, habeat potestatem gratiæ cooperandi vel non cooperandi, sed denotat quampiam superioritatem in Deum & gratiam, atque ut voluntas, dum bene operatur, operetur præcipue virtute propria & non gratiæ dantis posse, & agere. At in nostra sententia habet quidem voluntas ex beneficio Dei potestatem cooperandi, vel non cooperandi gratiæ, sed agit ut instrumentum animatum virtute gratiæ a Deo accepta. Item voluntas determinat omnipotentiam Dei sibi prævie libere, ac liberaliter & indifferenter ad concursum præparatam, ex qua determinatione non recte inferitur, causam *immi* & omnipotentiam subordinari causæ *admi*; sicut ex eo quod supposita libera promissione Dei dandi gloriam creaturæ bene operanti, Deus debeat ei dare gloriam posita operatione bona, non inferitur, Deum subordinari vel subijci creaturæ, quia videlicet Deus pro sua libertate dat creaturæ potentiam proximam bene operandi, & necessitas illa dandi gloriam est consequens & fundata in libera promissione Dei.

Nam etiam gratiam sequel. Creatura enim nullum jus obtinet in omnipotentiam, & Deus liberrime concurrat ad actum creaturæ potens non concurrere. Unde etiam ab eodem Pontif. hæc propositio damnata est: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum*, Est igitur determinabilitas omnipotentia dignationis, non vero subjectionis, est libere collata & auferibilis, non item debita creaturæ. Idcirco quod posito decreto concurrendi, non possit non concurrere, soli perfectioni Divinae tribui debet.

Ad 4^{am} sequel. dico: a principio indifferente indifferentia libertatis & sufficientia, quale principium est voluntas creata in actu 1^{mo} proximo expedita, etiam citra physicam prædeterminationem, potest omnino procedere effectus determinatus (ut patet in Deo ad sua decreta & physicam prædeterminationem indifferente) non item a principio indifferente indifferentia incompletionis & insufficientia, quale foret causa destituta aliquo necessario quærequisito ad actum 1^{um} proximum.

152

Oppon. IV. Tridentina Synodus Num. 140. allata non loquitur iis locis de gratia efficaci, sed solum de sufficiente, aitque proinde huic posse dissentire liberum arbitrium, etiam dum istud sub prædeterminatione physica est, non autem posse dissentire gratia efficaci, seu physica prædeterminationi, ergo. V. M. Vincentius Ferreus ex Ord. Præd. Tom. II. Tract. VI. q. II. §. III. fateatur, Tridentinum can. IV. loqui de gratia ex se & natura sua efficaci, atque de hac contra Calvinum definire, quod libertatem non evertat, verum stet cum potentia eidem dissentendi, atqui, ait Ferreus, hanc eandem doctrinam Concilium tuentur Thomistæ, oppositam non magis Calvinæ doctrinae, quam Jesuitarum: nam *Jesuitæ dicunt eam Calvinæ, gratiam ex se efficacem tollere libertatem, & sic cum illa hominem non posse dissentire, si velit; Concilium dicit eam gratiam ex se efficaci posse dissentire, si velit; igitur stat pro nostra sententia.* Hæc ille apud Thyrs. Gonzalez Tom. I. Disp. XVII. sect. VIII. Denique Concilium definit libertatem stare cum illa gratia, quacum eam stare negabat Calvinus, sed iste negabat eam stare cum gratia ex se efficaci; & essentialiter inimpedibiliter inferente actum, qualis est prædeterminatio, igitur Trident. definit libertatem stare cum prædeterminatione.

ꝛ. ad IV. Tridentinum loqui de gratia efficaci. Nam I. Sess. VI. c. V. ait: hominem posse abjicere illam gratiam, cui libere assentiendo & cooperando ad justificationem disponitur, quæ utique est efficax; & non mere sufficiens. II. Trident. can. IV. damnavit errorem Calvini docentis per gratiam efficacem tolli libertatem: nec manere in nobis potentiam dissentendi, ergo a contrario Trident. definivit gratiam efficacem esse hujusm. naturæ, quæ libertatem non tollat, & potentiam dissentendi compatiatur. III. Nec Calvinus, nec Lutherus admisere gratiam vere sufficientem in statu naturæ lapsæ: quid igitur Tridentinum cum Senonensi definivisset contra illos, nisi de gratia efficaci locutum fuisset?

Ad V. ꝛ. cum Thyrso: falso asseri, Tridentinum eo canone loqui de gratia ex se & natura sua efficaci. Neque enim definit: *liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum gratia ex se & ab intrinseco efficaci, posse dissentire, si velit*; immo aperte cavit, ne possit intelligi de ejusm. gratia locutum fuisse, dum ait: liberum arbitrium a Deo motum & excitatum gratia, huic posse dissentire; si velit. Potestne vero dissentire prædeterminationi physicæ, ex se scilicet & natura sua efficaci? Loquitur ergo Concilium de gratia efficaci in genere, quæ tamen talis sit oportet, quacum stet libertas seu expedita potentia dissentendi. Illud verissimum: nos convenire cum Calvino, asserendo: quod gratia prædeterminans & ab intrinseco & ex se efficax tollat libertatem, sed discrepamus in eo, quod ille admiserit ejusm. gratiam actu dari, quod negamus. RR. Thomistæ post Bannezium admittunt cum Calvino gratiam ab intrinseco efficacem & prædeterminantem physice, negant autem, quod admisit Calvinus, hanc gratiam tollere libertatem creatam. Verbo: Calvinus sic arguebar: *Deus præmoveret voluntatem ad operandum gratia ab intrinseco efficaci & irresistibili, ergo voluntas non libere, sed necessario operatur.* (liquidem huic gratiæ dissentire & resistere non potest; voluntas autem non operatur libere cum ea gratia, cui dissentire & resistere non potest) Dicimus, hanc illationem non posse negari concessio antecedente, & quia illatio est hæretica, negamus antecedens. Thomistæ existimant, concessio antecedente negandam illationem, & re ipsa negant eam. Quæritur jam utra pars

melius ad leges Dialecticæ? Nam in dogmate fidei inter utramque partem, ut alias dixi, convenit.

Ad postremum *re. I.* retorquendo: Concilium definit libertatem stare cum illa gratia, quacum eam stare negabat Calvinus, atqui Calvinus negabat eam stare cum gratia necessitante & irresistibili, seu cum gratia auferente potentiam resistendi, igitur Tridentinum &c. *re. II.* Dist. M. Concil. definit libertatem stare cum illa gratia, attento præcisè hoc prædicato, quod sit *efficax* C. M. attento simul prædicato *necessitantis*, quod Calvinus cum aliis hæreticis affingebat N. M. Quare Trident. definivit duntaxat, voluntatem posse resistere illi gratiæ efficaci, quam negabat Calvinus, non autem posse resistere gratiæ necessitanti, quam asseruit dari Calvinus, at Tridentinum negabat dari. Unde contendimus, cum physicæ prædeterminationi non possit resistere voluntas, in ea non consistere gratiam efficacem.

154

Pro reliquis solvendis observ. I. Si certum esset, prædeterminationem physicam non stare cum libertate creata, & id ipsum faterentur illius Defensores, deberet dici proscripta ab Ecclesia, quia certo constaret, eam adversari Scripturis; definitionibus CC. & Pontificum; non vero si sit solum probabile, vel probabilis, & illius Defensores probabiliter negent, eam non stare cum libertate. Unde sententia affirmans directe & explicite dari necessitatem antecedentem ad actum salutarem, est proscripta & hæretica; non item, quæ id non affirmat, sed ex qua solum illative & probabiliter deducitur, dari necessitatem antecedentem.

II. Benedictus XIII. in suo Brevi edito anno MDCCXXIV. alloquens hisce verbis Religiosos Ordin. Prædicat. *Magno animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris de gratia præsertim per se & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hæctenus docuistis, & quas ab ipsis SS. Doctoribus Augustino & Thoma se hausisse, & verbo Dei, summorumque Pontificum & Conciliorum decretis, ac Patrum dictis consonas esse Schola vestra commendabili studio gloriatur; intendit sententias Thomistarum a calumniis Jansenistarum vindicare, falso asserentium, per Bullam Unigenitus, damnatas esse eorum sententias de gratia per se efficaci & de gratuita prædestinatione ad gloriam. Dicit quidem sen-*
ten-

tentias consonas esse S. Augustino &c. in quantum videlicet Catholice docuerunt & defenderunt, nullo tamen indicio prodit, contrarium docere esse vetitum & oppositum menti SS. PP. &c.

III. Deus nequit physice prædeterminare voluntatem creatam ad consensum, salva libertate voluntatis, potest tamen voluntas creata determinare Deum ad concurrendum salva libertate Dei. Ratio dispar dari assolet: quia necessitas concurrendi est consequens ad liberum decretum Dei decernentis concurrere cum creatura se determinante; at vero necessitas orta ex prædeterminatione ad consensum, foret simpliciter antecedens, utpote nullo modo a voluntate creata dependens.

IV. Deus est causa libera determinationis creatæ, seu illius actus, ad quem se voluntas determinat, sed est causa hujus actus efficiens, in quantum præbet voluntati virtutem semet determinandi, & concurrat physice effective &c. ad determinationem voluntatis. Ex hoc tamen non sequitur, quod Deus determinet voluntatem ad consensum, sicut ex eo, quod sit physica immediata causa nostræ intellectiōnis & amoris, non sequitur, quod intelligat & amet per nostram intellectiōnem & amorem. Unde sola voluntas *immediate elective* determinat se ad consensum salutarem liberum, quia illa sola instructa auxilio supernaturali & habens potentiam proximam ad consensum & ejus carentiam, eligit consensum præ ejus carentia, qui proinde consensus soli voluntati est immediate liber, Deus autem immediate ad consensum non determinat, sed hanc determinationem voluntati permittit, adeoque consensus Deo immediate liber non est. Deus quidem consensum salutarem nostræ voluntatis antecedenter per suum decretum sibi liberum vult & eligit, qua ratione consensus noster evadit Deo liber *mediate*, tanquam objectum & effectus decreti illius, quia tamen voluntas nostra habens potentiam proximam ad consensum & ejus omissionem, potest impedire decretum illud per omissionem consensus, ideo sola voluntas dicitur simpliciter elective se determinare ad suum consensum liberum præ ejus omissione seu carentia. Et vero volitio formaliter, ut est nostræ voluntatis libera determinatio, oritur immediate a sola nostra voluntate in genere causæ formalis, cum procedat a voluntate ut antecedenter active indifferente, id est: a nullo alio determinata & potente seipsam de-

terminare. Siquidem determinatio est essentialiter actus *actus* potentiae sive actus *in* antecedenter indetterminati, cum determinatio ex suo conceptu sit sublatio indeterminationis natura prioris. Videatur Platelius *Part. II. c. VI. de grat. grat. Num. 578.*

V. Frustra contendunt AA. prædeterminationem physicam esse motionem efficacem ad actum e. g. charitatis liberum qua liberum, seu Deum per eam velle efficaciter non solum substantiam, sed etiam modum id est: *libertatem actus*. Qua enim ratione erit motio ad actum *qua liberum*, si omnem actus libertatem non solum immediatam, sed mediatam quoque, utpote nullo modo acquiribilis, aut impedibilis libere, etiam per distinctum actum, omnino evertit, ut suis locis demonstravimus. Ex eo autem quod teste Augustino *Lib. de corrept. & grat. c. XIV. Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*, & homines se libertate salva determinant ad operandum, non sequitur Deum sic eos determinare posse per physicam prædeterminationem, utpote eversivam libertatis. Potest tamen eos prædeterminare prædeterminatione coherente cum libertate per Num. 149. §. *Ad II. B.* Deus in tantum etiam hominum voluntates magis habet in potestate quam ipsi suas, in quantum solus Deus sua in potestate habet gratias per scientiam mediam prævisas congruas & efficaces, quas pro suo arbitrio largiri potest hominibus, non vero ipsi pro arbitrio suo sibi obtinere. Quæ præterea objici possent, partim ex dicendis patebunt, partim in *Tract. de actibus hum.* soluta reperies.

Respondetur argumentis Augustinianorum.

155 **O**ppoz. I. cum Ægidianis. Voluntas creata movetur ad actum salutarem a *nullo* movente, nempe Deo, per gratiam; atqui hæc gratia est dilectio Dei, quam Deus operatur in nobis sine nobis, ergo. M. constat ex S. August. *Lib. I. ad Simplicianum quæst. II.* dicente: *Nec velle, nec currere, nisi illo movente poterimus*; m. ostenditur ex eodem *Lib. de gratia Christi c. VI.* gratiam efficacem hunc in modum describente: *Sic vult homo, ut tamen ejus voluptari Deus ardorem dilectionis inspiret: & sic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur*; item ex S. Bernardo *Lib. de amore Dei* ita loquente: *Domine! nos diligimus te, amore a te nobis indito.* Ex quibus sequi

sequi videtur, actum amoris a Deo nobis infundi, non autem a nobis eum elici mediante auxilio illius. II. Actus supernaturalis procedit a Deo ut *inno* movente, igitur etiam amor Dei, utpote actus supernaturalis, procedit a Deo ut *inno* movente, sed h. i. non procedit a Deo ut nobiscum cooperante; alias Deus non foret *inno* movens & agens, ut patet, ergo actus amoris procedit a solo Deo ut prævie in nobis operante sine nobis, adeoque amor Dei erit gratia actualis, cum nobis a Deo infundatur citra ullam nostram cooperationem meritoriam.

R. ad I. D. M. movetur ad actum salutarem per gratiam, ita tamen ut etiam voluntas concurrat physice C. M. secus N. M. dist. m. hæc gratia nempe *inno*, est dilectio Dei, id est: affectus indeliberatus a Deo nobis liberaliter inspiratus c. m. affectus & actus deliberatus n. m. & conf. Ratio est: quia gratia actualis *inno* consistit quidem in affectibus supernaturalibus & indeliberatis, a Deo nobis infusis, illi tamen affectus non sunt simul nostri actus deliberati, salutares & meritorii, sed potius sunt principium cooperans & adjuvans nos ad actus salutares, ut liquet ex dictis in I. Dissert. pluribus locis, quos Deus simul nobiscum cooperatur per gratiam adjuvantem, quæ est principium actus, non ipse actus meritorius & salutaris.

Ad II. redit eadem R. io. Interim observ. gratiam actualem recte quidem constitui in affectu dilectionis indeliberato, nobis prævie a Deo inspirato, at propterea non excluduntur aliæ piæ affectiones, ut timor, desiderium, spes &c. in quibus etiam actualis gratia, tenens se ex parte voluntatis, consistit, quemadmodum monui Num. 130.

Oppon. I. cum Augustinianis, de quibus egimus Num. 138. 157 Etsi delectatio victrix essentialiter sit connexa cum actu salutari & voluntatem indeclinabiliter ad eum determinet, nihilominus in homine perseverat iudicium indifferens ex parte intellectus, representans objectum partim sub ratione boni, partim sub ratione mali, sed h. i. manet etiam indifferentia activa ex parte voluntatis; nam indifferentia objectiva iudicii, est radix indifferentiæ activæ ex parte voluntatis, ergo. II. Voluntas creata delectatione victrici invincibiliter mota ad consensum, potest dissentire delectationi in sensu diviso; sic justus potest graviter peccare, &

prædestinatus damnari in sensu non composito, sed diviso gratiæ sanctificantis, ac prædestinationis, sed istud ad libertatem sufficit in sententia Societatis, ergo etiam &c. III. Immo voluntas in sensu quoque composito delectationis victricis habet veram dissentiendi potentiam, nunquam tamen eveniet, ut dissentiat. Sic enim loquitur Bertius in *Augustiano systemate de gratia ab iniqua Bajani & Janseniani erroris insimulatione vindicato*, Dissert. IV. c. I. §. XI. Nos contra, inquit, contendimus, nullam delectationem injicere vinculum libertati, nisi delectatio summi boni manifestati per lumen gloriæ, aut boni in communi, extra quod divagari nequit voluntatis instinctus. Item Tom. III. de discipl. Theol. Lib. XIV. c. XI. Num. II. Percurre regulas a nobis traditas, & quintam præsertim, in qua docuimus, liberam esse voluntatem circa omne bonum, quod in se non habet plenitudinem bonitatis, & etiam circa bonum incommutabile, quotiescunque non videtur in se: ut contingit in patria, ubi idcirco non remanet, comparate ad ultimum finem, indifferentia judicii, nec libertas a necessitate. - - - Ea delectatione non absorbetur voluntas a plenitudine bonitatis, ideoque potest alio amore (nempe opposito) superari & ex mundi delectatione marcescere; etsi non superabitur, donec Spiritu sancto inflammante charitas Dei vincat pugnantem cupiditatem. Hæc ille.

158

Præ. ad I. C. M. n. m. Ratio negatæ m. multiplex datur: 1mo: Verum quidem est, indifferentiam judicii objectivam, esse radicem necessario requisitam ad indifferentiam activam voluntatis, at solam minime sufficere, cum indifferentia activa voluntatis sufferatur per quodvis principium antecedens indeclinabiliter connexum cum actu, quale principium est delectatio victrix, utpote connexa invincibiliter cum actu, & independenter ab electione voluntatis collata, omnemque hujus actum antevergens. 2do: Fatum Ethnicorum, Calvinii ferreum decretum absolutam necessitatem imponens, dum ad unum extremum libertatis voluntatem alligat, & Jansenii delectatio victrix, libertatem omnino tollunt, ut ipsi faterentur, non tamen indifferentiam judicii, quam competere homini etiam in statu naturæ lapsæ, experientia constat tum Ethnicis & Hæreticis, tum nobis, igitur stante indifferentia judicii potest tolli libertas indifferentiæ. 3tio: Bellarminus *Lib. IV. de grat. & liber. arbit.*

arbitratur: Ethnicos fati assertores, Manichæos, Lutheranos, Calvinianos aliosque libertatis juratos hostes, nunquam negasse indifferentiam judicii, seu cognitionem objecti sub ratione boni & mali, quam peccantes in se experiebantur: nulli enim PP. vel Scholastici eos impugnantes, iisdem unquam objecerunt, quod negarent indifferentiam judicii, damnantur tamen ab Ecclesia, eo quod negent ipsam libertatem. *4to*: Quando datur indifferentia judicii, solum sequitur, indifferentiam voluntatis v. g. ad amandum vel non amandum objectum, non sufferi a bonitate objecti, minime tamen sequi, eam non sufferi per principium invincibiliter connexum cum uno extremo libertatis v. g. cum actu, simulque inimpedibile a voluntate, cujusmodi principium foret delectatio victrix Augustiniana. Adde indifferentiam voluntatis activam, in qua sita est libertas, esse quid distinctum a judicii indifferentia, igitur hac stante potest illa sufferi. Vide Eximium Doctorem *Prolegom. I. de grat. c. IV. & V.*

Ad II. *re.* de sensu diviso, vel composito delectationis Augustinianæ perinde sentiendum, ac de sensu diviso, vel composito prædeterminationis physicæ, de qua difficultate egimus supra. Ad positam paritatem dico: potentiam dissentiendi tunc solum sufficere ad libertatem pro sensu diviso, quando in ipsius creaturæ potestate est facere sensum divisum, id est: quando potest a se dividere & impedire illud v. g. principium, quod creatura nequit conjungere cum dissensu. Sic etsi justus non possit conjungere peccatum grave cum gratia sanctificante, neque prædestinatus conjungere damnationem cum prædestinatione, attamen is, qui prædestinatus est, potest impedire prædestinationem, & is, qui justus est, potest remove & a se dividere gratiam sanctificantem, ac proinde inducere sensum divisum, cum istud dependeat a libero exercitio creaturæ; & si justus non posset per grave peccatum remove sanctificantem gratiam, habita gratia neutiquam haberet veram potentiam peccandi. At vero in sententia AA. habita delectatione victrici *antecedenter*, & *invincibiliter* connexa cum actu v. g. amoris, potestne dividere & impedire delectationem? fatentibus ipsis AA. hanc a solo Dei arbitrio conferri, & Deum per eam infallibiliter facere sine nobis, ut velimus. Ubi igitur vera potentia dissentiendi, habita ejusmodi delectatione, etiam in sensu diviso?

Ad

Ad III. R. sub delectatione victrici ad actum invincibiliter determinante, non reperiri veram potentiam dissentiendi. Deinde: quo argumento AA. solide probabunt, voluntatem instructam e. g. delectatione cœlesti quinque graduum cum quatuor gradibus terrenæ delectationis, a quinto gradu, quo posterior hæc a priori cœlesti superatur, insuperabiliter determinari ad actum salutarem? cur voluntas in his circumstantiis non aliquando velit & operetur malum? cur voluntas suorum actuum domina, æquali delectatione cœlesti & terrena instructa, manet suspensa? Denique frustra recurrunt ad indifferentiam iudicii, ut salvent dari potentiam dissentiendi, posita delectatione victrici cœlesti.

159

Oppon. IV. A Sixto IV. damnata est sequens propositio: Quod ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, illud inimpedibile est, & necessarium; ergo etsi consensus sequatur per necessariam consequentiam ex delectatione victrici inimpedibili, non h. i. est inimpedibilis consensus, adeoque falsum est, quod non esset liber. V. Voluntas per peccatum originale sauciata, ut potens evadat ad opus salutare ponendum, requirit delectationem victricem prædeterminantem invincibiliter, ergo. VI. Hoc systema Augustinianorum quam longissime recedere a Janseniano, cur igitur rejiciatur? VII. Delectationem victricem ideo potissimum defendi, ne Molinianum systema de gratia efficaci latius diffundatur.

Ad IV. R. n. dictam propositionem esse damnatam, sed hanc cujusdam Petri de Rivo: *Quod ex præcedenti ordine successivæ durationis sequitur per necessariam consequentiam: necessarium est & inimpedibile*, quæ jure damnata fuit, quia alias scientia Dei ordine durationis, immo æternitate præcedens nostros actus liberos in tempore futuros, faceret necessarios, quod est falsum. Consulte Card. de Lugo *de myster. incarnat. Diss. XXVI. sect. VI.* Quare prior propositio est vera, si hunc sensum faciat: *Quod sequitur ex inimpedibili simpliciter, adeoque etiam potentia antecedente, est inimpedibile & necessarium, quemadmodum ex delectatione per gradus victrici sequitur consensus; falsa autem, si hunc: Quod sequitur ex inimpedibili solum potentia consequente, & ex suppositione creatæ voluntati libera.*

Ad V. *Re. n.* assertum, nam ut voluntas habeat potentiam proximam & expeditam se determinandi, ad *summum* requiritur cœlestis delectatio terrenæ cupiditati intensive æqualis. Vide dicta Num. 133. Hæc pleraque nobis opponunt etiam Prædeterminatistæ.

Ad VI. *Re.* Nullius fidem, ac candorem animi hic incusari a nobis. Quantum vero accedat dictum systema Janseniano etiam in ordine ad V. propositiones damnatas, Cl. Vir Tournelyus more suo erudite patefacit *Tom. III. de grat. Christi.*

Ad VII. *Re.* Si præcisè in votis habent Molinianum systema rejicere, cur Scotisticum, vel Thomisticum, vel gratiæ per se efficaci, vel delectationis *simpliciter* victricis non amplectuntur? cur inter hæc systemata, quæ Molinianum repudiant, unum seligunt delectationis relative victricis, ac istud veluti pro aris & focus dimicantes propugnant?

CAPUT SEXTUM.

Utrum gratia efficax consistat in decreto Scotistico; aut in prædeterminatione morali voluntatis ad consensum?

I. **S**cotistæ ut efficaciam gratiæ, seu vim infallibiliter illativam consensus absoluti concilient cum libertate, repudiata prædeterminatione physica, & actu inspirato; ac delectatione victrici Augustiniana, utpote creatæ libertati prorsus inimicis, constituunt gratiam in actu *imo efficacem*, in auxilio Dei de se & entitative indifferente ad actum & non actum, & in decreto Dei efficaci absoluto, & essentialiter connexo cum actu, atque essentialiter requisito ad eundem. Circa hoc decretum non omnium est eadem sententia. Nam *imo* Aliqui contendunt, decretum antecedere actum, seu consensum voluntatis creatæ, non solum duratione, sed etiam natura, & causalitate. Hinc illud dicunt esse reipsa decretum prædefinitivum consensus, independenter a scientia media conceptum, & prædeterminans voluntatem creatam, ita ut Deus per idem decretum conferat auxilium entitative indifferens, applicet omnipotentiam, & efficaciter velit consensum; in eo tamen a decreto Thomistico diversum, quod vi Scotistici

non imprimatur voluntati qualitas physica cum consensu essentialiter connexa, quam imprimi ajunt Thomista.

2do. Plerique dicunt, hoc decretum non esse antecedens, & prædeterminans, sed *condeterminans* & *concomitans* consensum voluntatis, nec se proinde tenere ex parte actus 1mi, sed solum ex parte actus 2di ad consensum, atque adeo nec esse respectu hujus instar *causæ*, sed duntaxat instar *applicationis*, causam ad effectum applicantis. Patroni hujus decreti concomitantis inter se dissident: Frater enim Hugo Cavellus, dein Archi-Episcopus Armacanus cum non paucis Scotis docet, idque, ut putat, ex mente Scoti, decretum concomitans dependere a scientia media, qua Deus videt, quid voluntas creata sub hypothese auxilii indifferentis ageret, vel non ageret. Verba illius sunt hæc in *Tract. Scoti de primo princ. Tom. III.* Si, inquit, *admittantur illa decreta absoluta, seu determinatio Dei æterna de actibus nostris, admittenda etiam videtur scientia media, qua Deus ab æterno prævidit, quid quacunq; occasione (condicione) posita facturi eramus, ut salvetur nostra libertas, cui non minus officunt talia decreta, negata illa scientia media, quam prædeterminationes physicæ, quas docti passim insectantur. - - Et ideo illam scientiam mediam amplector.* Et in *Scholiis in I. Dist. XXXIX.* ait: *Puro secundum Scotum non determinasse Deum talem futuritionem absolute, sine omni prævisione cooperationis nostræ liberæ.* At Matrius in *I. Lib. sentent. Disp. III. de Divino intell. quæst. III. art. VIII.* cum aliis docet, dictum decretum concipi dependenter a scientia simplicis intelligentiæ, qua Deus videt, sub auxilio indifferente posse consentire voluntatem creatam, modo velit, & simul videt, eam infallibiliter consensuram, si Deus indifferenti auxilio efficax absolutum decretum adjungat.

3tio: Decreto condeterminanti communis Scotistarum hæc prædicata tribuit I. Quod sit necessarium ad existentiam actus salutaris. II. Quod sit intrinsece efficax, ac infrustrabile, & negata scientia media etiam inevitabile a voluntate creata. III. Quod sit essentialiter & infallibiliter illativum actus salutaris, seu dein solum moraliter, seu etiam physice influat in actum. IV. Quod determinet voluntatem creatam, vi connexionis necessariae, quam habet cum ipso actu. V. Quod vicissim voluntas creata aliquo modo determinet

minet Deum, ad concipiendum decretum vi connexionis necessariorum mutuarum, quam habet actus cum hujusmodi decreto.

II. E diversis Ordinibus TT. efficacem gratiam statuunt in 161
 prædeterminatione morali. Per istam non intelligunt decretum Thomisticum prædeterminans, essentialiter connexum cum actu, sed intelligunt gratiam *moraliter* necessitantem ad actum salutarem ita, ut voluntas non nisi cum summa difficultate ei resistere possit. Alii hanc prædeterminationem fundant in quadam vehementi ac vivida illustratione intellectus ac motione voluntatis, aut delectatione cœlesti moraliter victrici, quæ videlicet suadendo, inclinando, & alliciendo ad opus salutare moraliter necessitet. Alii in complexo ex entitate auxilii, & circumstantiis intrinsicis creaturæ, v. g. determinata indole, dispositione, & habituali propensione in bonum; vel extrinsecis v. g. in absentia tentationis, auditione sacræ dictionis, visione mortis repentinæ &c. Alii in collectione multorum auxiliorum, quorum singulis distributive sumptis etsi possit voluntas moraliter, seu citra magnam difficultatem dissentire, non tamen collective sumptis. Hanc viam gratiæ efficaciam tuendi complures sectantur ex Ord. D. Dominici, ut palam ostendit noster Platellius in suo *Extractu* anno MDCLXXIII. edito, quem inscripsit: *Au thoritas contra physicam prædeterminationem stabilita suffragiis DD. ex ordine Prædicatorum, ac præsertim P. Josephi de Vita Siculi Dominicanæ.* Hic jam quæritur: utrum gratia solum moraliter connexa cum consensu, seu moraliter necessitans ad consensum se sola infallibiliter inferat consensum absolutum, ita ut Deus per scientiam simplicis intelligentiæ videns hujusmodi gratiam, sit certus certitudine Deum decente, sub ipsa infallibiliter fore consensum?

A S S E R T I O.

Gratia efficax nequit consistere in decreto Scotistico seu antecedente, seu concomitante; nec in prædeterminatione morali.

DE ima parte assert. nempe de decreto efficaci ordine causalitatis antecedente consensum, & inimpedibili a libertate creata, haud multum est laborandum, tum quod illud a paucis defendatur, 162

tur, tum quia clarum est, hoc decretum evertere libertatem creatam, adeoque non posse constituere gratiam efficacem, quæ secundum fidei dogma cum libertate creata stare debet. Nam dictum decretum foret antecedens essentialiter connexum cum consensu, a voluntate creata inimpedibile, essentialiter requisitum ad omnem consensum, sicut igitur prædeterminatio physica & decretum Thomisticum (quod eadem prædicata habet) evertit libertatem, ita etiam decretum Scotisticum &c.

Neque dixeris: Hoc decretum non constituere actum *imium* proximum voluntatis creatæ ad consensum. Nam *sc.* esto: attamen lædit libertatem non minus ac Thomisticum juxta Scotistas, etsi secundum Thomistas non constituat actum *imium* proximum.

Altera pars de decreto condeterminante independente a scientia media *probatur* I. Decretum Thomisticum prædeterminans est eversum libertatis creatæ, ut Scotistæ fatentur, ergo etiam condeterminans. Conf. prob. Ideo *imium*: quia decretum Thomisticum prædeterminat voluntatem creatam ad consensum, atqui idipsum præstat Scotisticum; nam istud efficaciter vult ipsam determinationem voluntatis creatæ (neque enim aliud objectum hujus decreti assignari potest) & omnis volitio efficax est antecedens rem volitam, & causans eam, ut v. g. volitio scribendi causat scripturam, imperium actum imperatum; igitur decretum Scotisticum reipsa antecedit determinationem voluntatis, & solum vocetenus *condeterminans* dicitur, atque adeo perinde est eversum libertatis creatæ ac Thomisticum, utpote perinde *antecedens, essentialiter connexum* cum consensu, simulque simpliciter *inimpedibile* a voluntate creata, (videlicet nullatenus pendens a scientia media, sed a sola scientia simplicis intelligentiæ) quæ tria prædicata universim produnt principium eversum libertatis; eo quod voluntas nec pro sensu composito, nec pro sensu diviso talis principii possit consensum omittere, ergo.

II. Eo ipso quod voluntas creata non possit se determinare ad actum, nisi prædeterminetur ad eum a Deo, etiam secundum Scotistas voluntas non habet libertatem ad actum, ergo etiam eo ipso quod voluntas non possit se determinare, nisi condeterminetur a Deo ad actum, non habet libertatem ad actum; cum de ratione libe-

liberi agentis sit, ut habitis omnibus ad agendum requisitis pro suo arbitrio possit agere, vel non agere.

III. Si decretum Scotisticum non everteret libertatem creatam, voluntas posset cum hoc decreto componere dissensum, vel hoc a se dividere, atqui neutrum potest, quia dividere deberet per suum exercitium, & istud sine decreto concomitante dari non potest; componere autem dissensum cum decreto, essentialiter connexo tantum cum consensu est prorsus impossibile, ergo.

Probat. etiam de decreto dependente a scientia media. I. Si decretum concomitans a scientia media dependeret, eo ipso non esset concomitans, sed subsequens, perinde ac nostrum prædefinitivum decretum actuum salutarium pendens a scientia media. 163

II. In principiis Scotistarum dictum decretum nec potest dependere a scientia media, nec impediri a voluntate creata, ergo consensus creature non est liber. Ant. prob. secundum principia Scotistarum; simpliciter necessarium est dictum decretum ad hoc, ut consensus existat, igitur decretum intelligi debet ex parte hypothesis scientiæ mediæ, sed h. i. impediri non potest a voluntate creata etiam per exercitium conditionatum, sicut non potest impediri auxilium sufficiens, ergo.

III. Decretum concomitans in principiis Scotistarum necessario requiritur ad consensum salutarem, ergo importatur ex parte hypothesis in statu conditionato, ita ut sensus sit: *Si Petrus haberet auxilium A & ego illum efficaciter condeterminarem ad consensum, Petrus consentiret, seu eliceret actum salutarem, sed illud dici nequit: cum enim conditio sit essentialiter dererminate connexa cum conditionato, consensus Petri non est objectum scientiæ mediæ, sed necessariæ seu simplicis intelligentiæ, cum scientia mediæ pro suo objecto habeat actus contingentes & liberos, non vero necessarios, ut infra dicitur; ergo.*

Hic advertite: Prædefinitionem actus salutaris, dependentem a scientia media de eodem actu conditionate futuro, licet sit decretum absolutum & efficax, & insuper antecedens actum creature pro statu absoluto, tamen non lædere libertatem creatam: at decretum concomitans, etsi supponatur dependere a scientia media de actu conditionate futuro, lædere libertatem. Dispar ratio datur; quia in nostris principiis prædefinitio non est absolute

necessaria ad existentiam actus (nam prædefinitio solum secundum leges præsentis providentiæ antecedit actum creaturæ pro statu absoluto, in qua Deus omnes actus salubres formaliter prædefinit, ut docetur in Tract. de Deo) ideoque potest intelligi actus creaturæ conditionate futurus, quin intelligatur prædefinitio, atque ita hæc jam dependere potest a scientia media, & per dissensum a voluntate creata impediri. At in sententia Scotistarum admittentium suum decretum simpliciter necessarium ad existentiam actus, reipsa nec dependere a scientia media, nec impediri potest a voluntate creata hoc decretum, ut ostensum est.

Postrema pars assert. conficitur rationibus TT. I. Gratia efficax in actu *inno* debet esse talis, ut Deus illam conferendo ex intentione secuturi consensus, metaphysice sit certus, quod voluntas creata sit consensura, atqui si gratia efficax esset solum moraliter connexa cum consensu, Deus illam conferens non esset metaphysice certus, quod voluntas creata sit consensura, ut patet, siquidem voluntas potest huic connexioni resistere, & ejusmodi gratia interdum componitur cum dissensu, ergo. M. admittitur ab omnibus Catholicis & declaratur: nam istud omnino exigit perfectio Divinæ providentiæ, omniscientiæ, & infrustrabilitas decretorum Divinorum, ut indicat S. Augustinus *Lib. de corrept. & grat. c. XIV.* dicens: Deum habere *humanorum cordium, quo placet inclinandum, omnipotentissimam potestatem.*

164

II. Gratia efficax est instrumentum & medium infallibile obtinendi consensum, quem Deus intendit, atqui tale medium non est gratia solum moraliter connexa cum consensu, quod enim cum summa difficultate fieri potest, id fieri absolute loquendo potest, ergo si gratiæ moraliter prædeterminanti voluntas creata potest cum summa difficultate resistere, potest fieri, ut dissentiat, proinde efficax gratia existet sine consensu, quod repugnat, ergo.

III. Etsi verissimum sit, gratiam efficacem aliquando moraliter connexam esse cum salutari consensu, atque ad eum ita impellere ac trahere, ut moralem necessitatem imponat consentiendi (quemadmodum aliquando gravis tentatio moraliter necessitat ad peccatum) ejusmodi gratia verosimiliter fuerit, qua S. Paulus subito emollitus erat Act. 9. at omnem gratiam efficacem moralem injicere necessitatem consentiendi, id enim vero adversatur claræ

experientia. Quippe voluntas saepe consentit Divinae vocationi, secluso vehementi impulsu ad consensum, nec pulsata multiplici gratiarum serie, immo etiam praesente tentatione vehementer impellente ad dissensum, habitaque permagna difficultate consentiendi, ut patet in peccatoribus *habituatis* elicientibus non raro actus heroicis inclinationi pravae oppositos, igitur univ[er]se gratia efficax nequit esse moraliter praedeterminans, nec ejus efficacia potest univ[er]se esse moralis connexio cum consensu.

Satisfit Scotistarum argumentis.

Oppon. I. Deus tanquam primum liberum continet eminenter omnia libera, & secundum omnem modum agendi eis possibilem; igitur potest ab aeterno velle omnes eorum actus & quidem eo profus modo, quo vellet voluntas creata, si ab aeterno existeret, & se cum Divina voluntate determinaret ad suos actus in tempore eliciendos, adeoque potest Deus voluntatem ad consensum condeterminare illasa libertate, ergo. II. Si Deus non applicaret suam omnipotentiam per decretum efficax, & essentialiter connexum cum actu, seu essentialiter illativum actus, Deus aequaliter se haberet in ordine ad actus bonos & malos, videlicet pure permissive, sed istud adversatur Tridentino sess. VI. can. VI. definienti: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, - - - anathema sit*; ergo.

rg. ad I. c. ant. dist. conf. potest ab aeterno velle omnes eorum actus volitione seu decreto efficaci, at proportionato causis liberis; & apto inducere actus liberos c. conf. non proportionato causis liberis, sed potius impeditivo actuam liberorum, ut impedit decretum Scotisticum, n. conf. Hoc quippe decretum est sublativum libertatis creatae, sive dixeris illud antecedens actum, sive concomitans, ut evincunt nostra rationes.

Ad II. Dist. M. sequel. Deus aequaliter se haberet in ordine ad actus bonos & malos, spectato praecise decreto applicativo omnipotentiae C. M. spectato etiam decreto efficaciter praedefinitivo dependente a scientia media, quo praedefinit actus bonos N. M. sic distincta m. n. conf. Ut enim in creatura perseveret illasa liber.

libertas, decretum applicativum omnipotentiae debet esse omnino indifferens, cum sit constitutivum actus *1mi* proximi ad actum liberum v. g. charitatis, ut hic supponitur. Præter hoc decretum in ordine ad actus bonos, habet Deus decretum efficax prædefinitivum actus boni, conceptum post scientiam mediam, qua vidit a creatura ponendum actum v. g. charitatis, *si ipsi conferretur auxilium A.* & confert istud auxilium, atque ita intendit *positive* actum, ut tamen cum velit poni a creatura sub eodem actu *1mo* proximo, sub quo prævidit per scientiam mediam conditionate ponendum. Hinc vult etiam indifferenter applicatam suam omnipotentiam. At vero in ordine ad actus peccaminosos, Deus præter decretum applicativum omnipotentiae, habet duntaxat decretum pure permissivum, adeoque aliter se habet relate ad actus bonos, quam malos.

167 *Oppon.* III. Decretum condeterminans ad consensum, non se tenet ex parte actus *1mi* proximi libertatis ad consensum, & præterea relinquit omnia ejus constitutiva entitative indifferentia ad consensum & dissensum, sed h. i. non tollit libertatem creatam, ergo. M. quoad *1mam* partem constat ex dictis Num. 160. quoad *2dam* patet; quia hoc decretum nullius constitutivi entitatem immutat. m. vero probat. h. i. quod omnia constitutiva actus *1mi* proximi sunt indifferentia ad consensum & dissensum, datur libertas indifferentiae ad consensum & dissensum, ergo libertas non tollitur per dictum decretum. IV. Simultaneus concursus omnipotentiae in actu *2do* cum voluntate creata in consensum stat cum libertate creata, ergo etiam decretum condeterminans, seu simultanea determinatio voluntatis Divinae, & creatae stat cum libertate.

168 *g.* ad III. *1mo*: Trans. M. quoad *1mam* partem: hoc enim decretum Scotisticum non esset præcisè concomitans, sed esset necessario antecedens, prædeterminans, immediate prærequisitum ad consensum, & natura prius consensu, ac proinde teneret se ex parte actus *1mi* proximi. Dist. *2dam* partem: relinquit *omnia* actus *1mi* constitutiva entitative indifferentia, ea tamen inimpedibiliter connectit cum consensu Trans. M. quoad *ly omnia*, cum elidat decretum indifferenter applicativum omnipotentiae. Non connectit inimpedibiliter N. M. sic distincta m. n. conf. Ad probat. ajo: etsi constitutiva actus *1mi* proximi sint entitative indifferentia ad

consensum & dissensum, attamen per decretum condeterminans, ab extrinseco connectuntur cum consensu, ut adeo condeterminatus ad consensum nec pro sensu composito, nec pro diviso hujus condeterminationis possit dissentire, ut dixi de prædeterminat. physica Num. 141. &c.

¶ 2do Dist. M. Decretum concomitans non constituit actum *imium* proximum, debet tamen eundem constituere in nostris principiis carentia ipsius decreti C. M. nec debet carentia constituere N. M. Nam esto, quod hoc decretum non constituat actum *imium* proximum, est tamen læsivum libertatis, utpote inimpedibile essentialiter requisitum, & essentialiter connexum cum uno determinato extremo v. g. consensu, adeoque in nostris principiis salvandi libertatem creatam, carentia hujus decreti, tanquam impedimenti per actum *adum* oppositum inausferibilis necessario constitutive pertinet ad actum *imium* proximum libertatis, non minus ac carentia prædeterminationis physicæ, vel actus inspirati, delectationis vidricis, vel prædefinitionis antevertentis scientiam mediam, vel cujuscunque principii a voluntate creata inimpedibilis, & simul essentialiter connexi cum determinato extremo.

Ad IV. r. c. ant. n. cons. ratio dispar patet: quia concursus Dei in actu *2do* v. g. ad consensum, est impediibilis a voluntate creata, mediante scientia media de dissensu conditionate ponendo. At decretum Scotisticum nequit impediri.

Satisfit argumentis pro morali prædeterminatione pugnantibus.

Oppon. Gratia moraliter prædeterminans non lædit libertatem creatam, habetque præterea tantam connexionem cum actu salutari, ut Deus conferens illam gratiam sit metaphysice certus de futuro actu, sed h. i. efficax gratia consistit in morali prædeterminatione, ergo. M. probat. *imo*: Deus per scientiam simplicis intelligentiæ comprehendens gratiæ moraliter prædeterminantis prædicata intrinseca scit, quod hujusm. gratia nunquam existat sine consensu, quamvis possit existere, igitur per scientiam simplicis intelligentiæ est metaphysice certus de consensu sub tali gratia exituro, ergo gratia efficax consistit in gratia moraliter prædeterminante. *2do*, Deus prælucente sola scientia necessaria potest præ-

definire consensum creaturæ sub auxilio physice necessitante, ergo etiam eadem sola scientia prælucente potest prædefinire consensum creaturæ liberum sub auxilio moraliter necessitante. 3tio: Posito auxilio moraliter prædeterminante ad consensum, Deus infallibiliter certus est: morali necessitate secuturum consensum, ergo etiam infallibiliter certus est de consensu, adeoque provide decernit consensum citra ullam scientiam mediam. Ant. patet, conf. prob. si enim Deus infallibiliter scit, morali necessitate secuturum esse consensum, scit absolute exiturum consensum, ergo.

170

R. Dist. M. Gratia prædeterminans moraliter, seu vehementer inclinans ad actum, cui tamen voluntas possit resistere, non lædit libertatem, habetque tantam connexionem consequentem, & proveniente ab extrinseco, nempe a scientia media, cum actu salutari, ut Deus conferens illam sit metaphysice certus de futuro actu C. M. habet tantam connexionem antecedentem & proveniente ab intrinsicis & essentialibus prædicatis ipsius gratiæ moraliter prædeterminantis N. M. & sic didincta m. n. conf. Ad *Imam* probat. n. ant. nam per scientiam simplicis intelligentiæ, Deus solum cognoscit, quod gratia moraliter prædeterminans nunquam existat sine morali necessitate ad consensum. Utrum vero hæc moralis necessitas absolute & simpliciter existeret cum consensu, vel sine consensu, isthoc cognoscit per scientiam mediam. Unde per scientiam simplicis intelligentiæ fit Deus solum metaphysice certus de necessitate morali ad consensum, non item de ipso consensu sub auxilio moraliter prædeterminante exituro. Idcirco hujusmodi auxilium præcise secundum se consideratum nequit esse aptum medium ad concipiendum decretum, quo Deus efficaciter & infrustrabiliter decernat consensum.

Ad 2dam: c. ant. n. conf. ratio dispar est: quia Deus per scientiam simpl. intelligentiæ fit metaphysice certus de consensu creaturæ non libero ponendo sub auxilio physice necessitante, modo ipse per suam absolutam potentiam, & contra physicam auxilii exigentiam, eundem non impedit. E contrario: per scientiam simpl. intelligentiæ non fit Deus metaphysice certus de consensu creaturæ libero ponendo sub auxilio moraliter necessitante.

Ad 3tiam: dist. ant. si hæc infallibilis certitudo appellet supra existentiam auxilii morali necessitate consensum inferentis c. ant. si

appellet supra ipsum consensum, prout ex tali auxilio simpliciter & absolute illatum n. ant. Dato enim principio moraliter solum necessitante ad consensum, non est infallibiliter certum, absolute exiturum consensum, quia absolute loquendo fieri potest, ut non existat consensus.

Pro reliquis dissolvendis observ. I. Deus est quidem metaphy- 171
sice certus, hominem intra longius tempus venialem culpam commissurum, secluso speciali privilegio: verum hæc metaphysica certitudo, non fundatur præcise in necessitate morali labendi in culpam venialem secundum se sumpta, sed simul in futuritione conditionata peccati venialis, quam Deus videt per scientiam mediam. Pari ratione certitudo metaphysica, qua certum est, hominem peccaturum graviter longiori tempore secluso speciali auxilio, non fundatur in morali connexione tentationum cum peccato, verum in aliis principiis, nempe revelatione infallibili Dei scientis & revelantis peccatum sub tentationibus futurum secluso speciali auxilio.

II. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ metaphysica infallibilitate scit omnia, quæ sunt hujus scientiæ objectum, non tamen ea, quæ non sunt objectum. Jam vero objectum scientiæ simpl. intelligentiæ videntis auxilium moraliter necessitans est præcise istud: quod hujusm. auxilium morali necessitate inferat consensum; non item hoc: quod consensus infallibiliter infallibilitate metaphysica sit futurus sub dicto auxilio. Ideo Deus per scientiam simpl. intelligentiæ nequit certo certitudine metaphysica scire futurum sub tali auxilio consensum, cujusm. tamen certitudine scire deberet ad hoc, ut provide providentia Deum decerne consensum decernat.

III. Etsi homo provide decernat id, quod videt necessario moraliter sequi posse, quamvis absolute physice, vel metaphysice oppositum sequi possit, attamen non idem admittendum de Deo. Ratio dispar patet: quia cum providentia humana nec possit, nec debeat esse metaphysice infallibilis, utpote ex conceptu limitationis suæ imperfecta, nec humana decreta sint infrustrabilia, possunt ista prudenter fieri dependenter a scientia seu cognitione moraliter certa, immo etiam a cognitione solum probabili. At vero providentia Divina & potest & debet esse metaphysice infallibilis, utpote providentia entis ex natura sua perfectissimi, omnisei &

nec fallere, nec falli potentis, & insuper decreta Dei sunt essentialiter infruſtrabilia, igitur nec inniti poſſunt cognitioni, ſolum moraliter certæ de futuritione objecti.

IV. Secundum dicenda Cap. ſequenti, Deus metaphyſicam certitudinem habet de conſenſu a creatura ponendo ſub auxilio indifferente, ſed non fundatam in ſola entitate auxilii, verum ſimul in futuritione conditionata conſenſus per ſcientiam mediam præviſa. Quare etiam AA. ſi non in ſola entitate auxilii moraliter neceſſitantis, ſed ſimul in dicta futuritione conditionata fundent certitudinem metaphyſicam de futuro abſoluto conſenſu, equidem veriſſimum dicent, at ſuam ſententiam deſerent.

V. De viro ſanæ mentis & ſtudioſo conſervandæ ſuæ vitæ, non ſum *infallibiliter*, ſed ſolum *moraliter* certus, ſe non daturum præcipitem in fluvium, ex ſuppoſito, quod non niſi moraliter neceſſitetur a iudicio ſano ſuadente conſervationem vitæ. Interim in ſenſu compoſito ſanæ mentis & amoris, quo in ſeipſum fertur, videtur huiſm. homo habere præciſe remotam, impropriam & organicam potentiam ſe præcipitandi, adeoque non poteſt ſimul ſtare cum ſano iudicio, potentia voluntatis expedita ſe præcipitandi, & omiſſio conſervationis vitæ. Unde amor conſervandi vitam, videtur hunc hominem magis adigere ad conſervandam vitam, quam morali *neceſſitate*, ac proinde everſiva libertatis exercendæ ad præcipitandum ſe in fluvium.

CAPUT SEPTIMUM.

Quod ſit noſtrum ſyſtema circa gratiæ efficaciam?

172

I. CUM viderent DD. Societatis noſtræ, efficaciam gratiæ Divine cum libertate creata conciliari non poſſe in allatis ſententiis, aliam multo expeditiorem, & in Scripturarum, CC. & PP. testimoniis fundatam, ac a Ludovico Molina illustratam, mira animorum conſenſione propugnandam ſuſceperunt, quam ſubinde ex omni ordine præſtantiffimi Theologi ſunt amplexi, ut teſtatur ſtatim Gabriel de Hennaſ in *ſcient. mediæ hiftoriæ propugnata*, & Jacob. Platelius in ſuo *Philalæthe Eupiftino*. Quia ve-

ro ad eam intelligendam necessaria est noticia Divinarum Scientiarum, de his quæpiam dicenda sunt.

II. Intellectus Divinus, quem nihil omnino latere potest, omnem veritatem eo modo, quo est illa cognoscibilis, ab æterno cognoscit, adeoque datur in Deo scientia perfectissima, quæ etsi reipsa sit unica & simplicissima in se subjective, utpote indistincta ab essentia Divina, pro diversa tamen objectorum cognoscibilitate, habitudine, a TT. nostris recte dividitur in scientiam *simplicis intelligentiæ, mediam, & visionis*. Scientia simplicis intelligentiæ dicitur, qua cognoscit omnes res possibles, aliasque veritates necessarias. Hac igitur videt Deus in sua potestate esse innumera auxilia indifferentia, apta ad voluntatem excitandam, movendam & adjuvandam ad quoslibet actus salutares eliciendos; videt suam essentiam; videt veritates conditionatas necessarias, in quibus videlicet conditio essentialiter connectitur cum conditionato, uti est hæc: si existeret leo, existeret animal irrationale. Nominatur quoque *necessaria*, tum quia versatur circa objecta necessaria, tum quia necessario datur in Deo ante omne ejus decretum liberum. Scientia media est, qua Deus objecta seu veritates contingentes liberas conditionate futuras cognoscit. Hac scientia cognoscit e. g. istam veritatem conditionatam: *Si Petrus haberet hanc, vel illam gratiam, hujus vel illius intensionis, pro his aut illis circumstantiis, consentiret libere*. Scientia visionis dicitur, qua Deus videt omnes res contingenter sed absolute existentes pro aliqua differentia temporis. Ista scientia vocatur etiam libera & contingens, non quidem hoc sensu, quasi intellectus foret potentia libera, est enim ille essentialiter determinatus ad omne cognoscibile cognoscendum, sed hoc sensu, quod supponat in Deo decretum liberum positivum vel permissivum, in quantum nihil potest existere absolute & contingenter, nisi positive volente Deo, aut permittente. Hac scientia videt omnia creata, quæ absolute extiterunt, existunt vel extitura sunt, sic videt omnes actus creaturæ liberos absolute futuros.

III. Jam loquendo de scientia media nempe *directa* (de re flexa agere tempus non sinit) quæ præcipuum locum sibi hic vendicat observ. I. Cum in veritate conditionata conditio seu gratia, licet conducens ad conditionatum, non tamen essentialiter

connectatur cum conditionato, nempe cum consensu, hujusmodi veritas, utpote contingens, nequit videri per scientiam simplicis intelligentiæ; & cum hæc veritas nullum importet objectum absolute futurum (utpote cum illa etiam cognita fuisset a Deo, tamen nunquam in tempore aliquid produxisset Deus) nequit videri per scientiam visionis, igitur debet videri per scientiam aliquam quæ sit *media* inter utramque dictam scientiam. Dicitur *media*: quia ab utraque aliquod prædicatum participat; a scientia quidem simplicis intelligentiæ, quod non requirat objectum, ut illud aliquando sit absolute futurum, sed præcise terminetur ad veritatem; a scientia vero visionis, quod objectum illius sit contingens, cum contingens sit, videre Petrum auxilio consensurum potius, quam dissensurum, si illud ei daretur, licet etiam dissentire posset; & si dissentiret, alia fuisset in Deo scientia media, videlicet de dissensu conditionato. Media præterea dicitur isthæc scientia, quia ratione nostra & in subsistendi consequentia subsequitur scientiam simplicis intelligentiæ; at vero prior est, quam sit scientia visionis, proinde in signo quodam inter utramque medio, idque cum fundamento in re ratione objecti per hanc scientiam cognoscibilis. Nam ab objecto scientiæ mediæ valet illatio ad objectum simplicis intelligentiæ; (sed non vicissim) tanquam ad prius in subsistendi consequentia; sic recte inferes: *Si Petrus haberet auxilium A. consentiret, ergo possibilis est consensus Petri sub auxilio A.* non autem valet illatio vicissim, ut patet. Rursum ab objecto scientiæ visionis valet illatio ad objectum scientiæ mediæ, at non vicissim; sic recte inferes: *Petrus absolute consentit auxilio A. ergo verum erat, quod si haberet auxilium A. consentiret.*

174

IV. Ex his sequitur I. pro priori ad consensum creaturæ absolute auxiliio præstitum dari logice & in subsistendi consequentia hanc veritatem objectivam: *Si Petrus haberet hoc vel illud auxilium, hujus vel illius intentionis, libere consentiret.* Istud e dictis patet, & declaratur: nam potest subsistere dicta veritas conditionata, quin unquam detur absoluta, seu quin unquam detur absolutus consensus; uti Christus de Tyriis & Sidoniis agebat, qui si habuissent auxilia Judæis collata, conversi fuissent, atque adeo auxilia illa fuissent efficacia in Tyriis, & Sidoniis, quin tamen ab-

so-

soluto verum fuerit, Tyrios habuisse auxilia efficacia. Dein veritas absoluta non datur, nisi voluntas creata in tempore absolute consentiat; e contrario: prior veritas habetur antecedenter, etsi nunquam in tempore extiterit auxilium; nec voluntas consenserit.

Sequitur II. Scientiam mediam v. g. hanc: *video, quod si Petrus haberet auxilium A, consentiret*, impedibilem esse a Petro etiam in *statu absoluto* non quidem hoc sensu, quasi voluntas Petri facere possit, ut scientia aeterna Dei de consensu conditionato Petri sub auxilio A, defacto non existat, licet supponatur ab aeterno extitisse; hoc etenim fieri non potest, propterea quod scientia Dei immutari nequeat, nec possit Deus acquirere novam in tempore scientiam, quam non habuerit ab aeterno, vel amittere, quam habuit. Nec hoc sensu, quasi supposita scientia de consensu conditionato sub auxilio A, Petrus possit cum hac Divina scientia de consensu conjungere omissionem consensus; secus enim scientia Dei falli posset; quod itidem fieri nequit; sed hoc sensu: quod consensus sit in arbitrio & potestate voluntatis Petri sub auxilio A, absolute collato (seu sub *eodem* actu *imo* proximo absolute existente, qui erat in statu conditionato) ita ut si voluntas sub dato absolute auxilio non consentiat, quemadmodum potest non consentire *potentia antecedente*, id est spectato actu *imo* proximo libertatis, seu potentia antecedente determinationem liberam ad consensum, prius in subsistendi consequentia verum fuisset: *quod si Petrus haberet auxilium A, non consentiret*, adeoque Deus ab aeterno non habuisset scientiam mediam de consensu conditionate futuro, sed de carentia consensus, aut dissensu, ac proinde impediretur, seu fieret, ne unquam existerit in Deo scientia media de consensu, sed opposita de carentia consensus, vel dissensu. Eo ipso vero quod scientia media a voluntate Petri sit impedibilis, ea nullam *antecedentem* necessitatem insert in consensum Petri, sed duntaxat *consequentem* a Petro antecedenter evitabilem.

Sequitur III. Decretum Dei efficax & absolutum v. g. de consensu, conceptum praelucente scientia media, non laedere libertatem creatam, cum ab ista sit impedibile, in quantum scientia media erat impedibilis, quæ ex parte libertatis Divinæ ad hujusm. decretum concipiendum importatur, ut alibi dicitur.

Sequitur IV. Quod supposita scientia media de consensu conditionato Petri sub auxilio A, metaphysica certitudine certum sit, quod dato absolute hoc auxilio, futurus sit consensus absolutus sub eodem; fieri enim non potest, ut consensum & ejusdem omissionem sub eodem auxilio componat. Unde Petrus *purificata* conditione, seu habito auxilio A, necessario consentiet in statu absoluto, at necessitate solum *consequente* suam determinationem liberam ad consensum, sive necessitate consequente ad scientiam mediam de consensu a Petro impedibilem; cum enim non ideo consentiret Petrus sub auxilio A, quia Deus videt, quod consentiret, sed ideo Deus videt, quod consentiret, quia reipsa libere consentiret sub auxilio A, idcirco hæc scientia dependet a libera determinatione Petri ad consensum, & impedibilis est potentia antecedente a Petro, spectato actu *imo* proximo Petri indifferente ad consensum & dissensum, ne extiterit ab æterno hujusm. scientia; proinde etiam necessitas consentiendi in hac scientia fundata impedibilis est, adeoque solum consequens ad liberam determinationem Petri eligentis consensum præ dissensu, nec læsiva libertatis. Quod vero potentia antecedens impediendi scientiam mediam perinde detur in statu absoluto, ac in conditionato, ex eo liquet, quia eadem omnino principia constituentia actum primum proximum libertatis creatæ debent esse in statu absoluto, quæ in statu conditionato, & *exercitium* libertatis creatæ *conditionatum* idem omnino est entitative & in recto cum ipso *exercitio absoluto*. Porro etsi hypothesis plerumque his verbis proferatur, *Si Petrus haberet auxilium A, consentiret*, attamen per eam intelligi debet totus actus *imus* proximus, qui in statu absoluto requiritur ad consensum, adeoque voluntas Petri, gratia actualis sita in illustratione & pia affectione, decretum indifferens applicativum omnipotentia &c.

His mysteriis scientiæ mediæ expositis, cum gratia in actu *imo* efficax habeat virtutem plenam in actu *2do* consensum salutarem efficiendi, ita ut cum hoc ipso consensu habeat metaphysicam connexionem, eumque infallibiliter inferat, in præsentī decidendum venit, per quid habeatur dicta connexio & infallibilitas? Virtutem quidem & vim illam causandi salutarem actum, adæquate intrinsecam esse gratiæ, in dubium revocari nequit; attamen
cum

cum motio illius voluntatem creatam non necessitet, sed possit eidem resistere, manifestum fit, infallibilitatem conjunctionis gratiæ cum consensu, non esse ipsi adæquate intrinsecam, ut ex rejectis supra sententiis alioquin constat. Quæ nostra hac super re sit sententia, aperit

A S S E R T I O.

Gratia in actu 1mo efficax, ut est præcise infallibiliter illativa consensus absoluti, habetur per auxilium excitans absolute existens, de se entitative indifferens, & futuritionem conditionatam consensus sub conditione ejusdem auxilii.

HÆc assertio est communis TT. nostrorum, ac complurium aliorum, etsi modo loquendi nonnunquam discrepent, dicendo v. g. gratiam efficacem sumptam pro metaphysica & infallibili illatione consensus absoluti, esse quoddam complexum importans entitatem auxilii (quod nominant cum S. Augustino *auxilium congruum*, seu accomodatum hominis voluntati, indoli &c.) absolute existentis cum actu ejusque carentia componibilis, & consensum liberum creaturæ conditionatum, a tali auxilio infallibiliter inferendum ac causandum. 177

Prima assert. pars, nempe quod gratia efficax constituatur per auxilium entitative indifferens, quod quidem positive movet ad consensum, non est tamen cum consensu ex natura sua infallibiliter connexum, ut gratia intrinsece efficax, sed est secundum se cum consensu & carentia hujus jungibile, *probat.* I. rejectione aliarum sententiarum: quippe demonstratum est, gratiam efficacem salva libertate creata non posse esse ab *intrinseco* efficacem, seu connexam cum consensu, igitur ut salva persistat libertas creata, necesse est dicere, gratiam efficacem esse intrinsece indifferentem & componibilem cum consensu & carentia consensus; cum enim gratia efficax entitative sumpta constituat potentiam proximam voluntatis creatæ ad actum supernaturalem meritorium, in quem immediate moraliter influit per Num. 43. si hæc gratia entitative sumpta intrinsece essentialiter connecteretur cum consensu & incomponibilis foret cum carentia consensus, tolleretur libertatem

creatam, quæ formalissime consistit in potentia proxima ad consensum componibili cum carentia consensus, atqui hanc libertatem voluntas creata habet etiam tunc, quando habet gratiam efficacem ad illum, ut pluribus locis est ostensum, ergo. Hic observ. quod actum *unum* seu potentiam proximam voluntatis creatæ ad actum salutarem, intrinsece constituat gratia efficax solum *entitative & specificative* sumpta, non autem efficax ut efficax *reduplicative*, adeoque infallibilis connexio gratiæ cum consensu non constituit dictam potentiam, alias libertas voluntatis everteretur, ut paulo ante dicebam.

II. Omnia ea loca Scripturarum, CC. & PP. evincunt gratiam efficacem entitative acceptam esse indifferentem & componibilem cum consensu, & carentia consensus, in quibus homines, utique efficacem gratiam habentes, admonentur, *ut se ad Deum convertant, faciant sibi cor novum, Deo pulsanti januam cordis aperiant, gratiam Dei in vacuum non accipiant, opera salutaria agant &c.* Item in quibus dicuntur gratiæ *assentiri & cooperari &c.* Certe, ut reliqua præteream, Trident. Sess. VI. c. V. de gratia efficaci loquitur, dum ait: *Declarat Synodus, justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est: ab ejus VOCATIONE, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata averse erant, per ejus EXCITANTEM atque ADJUVANTEM gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ LIBERE ASSENTIENDO & COOPERANDO, disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe QUI ILLAM & ABJICERE POTEST &c.* Jam vero prorsus ludicrum foret hortari e. g. homines, ne in vacuum accipiant gratiam efficacem, si hæc entitative non foret componibilis cum consensu, & carentia consensus, sed esset entitative intrinsece metaphysice connexa cum consensu, & incomponibilis cum carentia consensus; sicut ludicrum in modum hortaretur quis Petrum, ne currat, quando constrictus est vinculis inevitabilibus cum carentia cursus connexis & cum cursu incomponibilibus, ergo. Vide Num. 139. & seq.

Altera pars assert. quod videlicet gratia efficax sumpta pro- 178
 metaphysica connexione, & infallibiliter ac infrustrabiliter illativa
 consensus, constituatur etiam per futuritionem conditionatam con-
 sensus sub dicto auxilio excitante, seu per hanc veritatem objecti-
 vam conditionatam: *si ex steret auxilium v. g. A, existeret con-*
sensus, probat. Gratia efficax ut talis habet metaphysicam conne-
 xionem cum consensu salutari, & quidem salva formali & imme-
 diata libertate creata, sed eam connexionem non habet per se
 ipsam & ab intrinseco, ergo habet illam per aliquid a se distin-
 ctum, atqui istud distinctum nequit assignari aptius, quam
 dicta veritas: *si existeret auxilium &c.* ergo. M. patet, quia gra-
 tia efficax ut talis, non est utique gratia pure sufficiens, seu talis,
 quæ præcise possit causare consensum, sed quæ illum etiam certo
 ac infallibiliter causatura est. Vide Num. 119. m. prioribus Cap.
 diffuse probata est, ostensumque, gratiam efficacem non posse con-
 sistere in prædeterminatione physica, aut quocunque alio auxilio ab
 intrinseco efficaci & essentialiter connexo cum consensu; eo quod
 ejusm. auxilium non relinqueret voluntati creatæ determinationem
 sui actus, & potentiam expeditam ad consensum, vel dissensum,
 prout ad libertatem indifferentiæ requiritur. Subsumpta in prob.
 quia data hac veritate conditionata, & data absoluta existentia
 auxilii A entitative indifferentis, resultat complexum metaphysice
 inferens consensum absolute futurum. Istud enim complexum con-
 tinet has præmissas: *Si existeret auxilium A, seu si voluntas crea-*
ta excitaretur auxilio A in his circumstantiis, existeret voluntatis
consensus, sed voluntas creata excitatur auxilio A in dictis
circumstantiis, quæ præmissæ metaphysice ita connectuntur cum
 consensu absoluto, ut ex illis iste infallibiliter inferatur per hanc
 consecutionem, *ergo existet sub eo consensus*, quia veritas condi-
 tionata purificata conditione, pro statu absoluto necessario transit
 in absolutam, ut est lumine naturæ notum; proinde dictum com-
 plexum inferit 1mo: infallibiliter consensum absolutum; secus enim
 verificarentur duo contradictoria, nempe: *Si existeret auxilium A,*
existeret consensus; &: *si existeret auxilium A, non existeret con-*
sensus. 2do: inferit consensum absolutum salva libertate immedia-
 ta consensus etiam in & pro statu absoluto; quia licet dictum com-
 plexum sit essentialiter connexum præcise cum consensu absoluto,

tamen est immediate libere impedibile a voluntate creata constituta in actu *1mo* proximo adæquato etiam in statu absoluto, in quantum impedibilis est a voluntate potentia antecedente pars constitutiva dicti complexi, nempe hæc veritas conditionata: *Si voluntas excitaretur auxilio A, existeret voluntatis consensus*, utpote potente potentia antecedente determinationem suam liberam facere, ut detur potius hæc opposita: *Si voluntas &c. non existeret voluntatis consensus*. Præterea auxilium ut effectum hac connexionem metaphysicam cum consensu, non constituit actum *1mum* proximum in statu absoluto, sicut nec constituit eum in statu conditionato (alias enim non essent eadem constitutiva actus *1mi* proximi in utroque statu) sed solum *entitative*, *specificative* & secundum se acceptum; atque hoc modo acceptum est omnino indifferens, & hoc solum auxilium movet voluntatem, causatque consensum, ut patebit ex dicendis.

Confectaria.

179 I. **G**ratiam efficacem consistere in illustratione & inspiratione supernaturali, certo modo attemperata & accomodata voluntati, indoli hominis aliisque circumstantiis, proinde congrua, ut sentit August. *Lib. I. ad simplicia. quest. II. Eorum*, inquit, *miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur - - - cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Hac congrua gratia Deus suaviter impellit voluntatem ad consensum salutarem, ut eum *infallibiliter* obtineat, infallibilitate non in entitate auxilii, sed in eo fundata, quod Deus illud conferat in iis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidet futurum sub illo consensum. Hinc tota vis movendi & impellendi voluntatem ad consensum, eumque causandi, est gratiæ efficaci intrinseca; & hoc sensu auxilium est indifferens, potest dici *ex se* efficax, cum reipsa, quidquid virtutis ad causandum moraliter consensum requiritur, id totum ex prædicatis sibi intrinsecis habeat illustratio & affectio supernaturalis; quia tamen nomine gratiæ efficaci intelligitur gratia *infallibiliter* causatura consensum, seu quæ metaphysice connexa sit cum

con-

consensu pro statu absoluto, hæc connexio infallibilis nequit esse intrinseca & essentialis ipsi gratiæ, sed est semi-extrinseca, fundata partialiter in futuritione conditionata consensus, ex qua simul & absoluta auxilii existentia connexio metaphysica gratiæ cum consensu absolute futuro resultat. Ex his patet: qua ratione possit gratiæ efficaci resistere voluntas creata, quia scilicet ista potest componere dissensum cum gratia efficaci *entitative* & *specificative* sumpta, qualiter solum sumpta est causa consensus, & constituit actum *1mum* proximum ad consensum. Et quamvis non possit resistere gratiæ *efficaci ut efficaci* utpote cum consensu essentialiter connexæ; ista tamen impotentia haud officit libertati, quia est consequens ad exercitium libertatis. Cum enim secundum assertionem gratia in esse efficaci, seu metaphysicæ connexionis cum consensu, constituatur etiam per futuritionem conditionatam consensus sub auxilio, quæ futuritio conditionata est ipsissimus usus & exercitium libertatis nostræ conditionatum, patet quod efficacia auxilii involvat usum libertatis nostræ, nullamque aliam in voluntatem nostram inducat necessitatem, quam consequentem.

II. Efficacem gratiam alio modo spectandam esse ut efficacem in actu *1mo*, & alio ut efficacem in actu *2do*. In actu *1mo* dicit absolutam physicam existentiam auxilii indifferentis, & futuritionem conditionatam consensus; in actu *2do* dicit eandem existentiam auxilii & simul nostræ voluntatis cooperationem a Deo in primis ut principali efficiente, & etiam a voluntate nostra ortam. Existentia gratiæ efficaci in actu *1mo* est in solius Dei potestate. Nam etsi futuritio conditionata consensus a nostra voluntate pendeat, tamen data illa futuritione, Deus manet perfectissime liber, ut conferat auxilium congruum, sub quo videlicet prævidit consensum conditionate futurum, vel aliud conferat, cui prævidit voluntatem dissensuram, non collato autem auxilio, sub quo prævidit consensum, non datur gratia efficax in actu *1mo*, adeoque soli Deo liberum est, ut gratia efficax in actu *1mo* existat. Gratia efficax in actu *2do* nobis est, supposita existentia auxilii, libera. Nam hac supposita nobis est liberum consentire, vel non consentire absolute, & sic reddere auxilium in actu *2do* efficax vel inefficax. Hanc doctrinam tradit D. Augustinus *Lib. de Spirit. & lit. c. XXXIV. Misericordia*, inquit, *Dei prævenit nos*; en gratiam effi.

efficacem in actu 1mo: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriae voluntatis, en efficaciam gratiae in actu 2do (prout efficacia dicit infallibilem illationem & positionem consensus sub auxilio) a nostro libero arbitrio pendentem conditionate praevecto & adjuto per gratiam. In eundem modum loquitur *Lib. de dogmat. Ecclesiasticis c. XI. Initium ergo salutis Deo miserante habemus, ut acquiescamus autem salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est. Vide Thyr. Gonzalez Tom. I. Diss. XVII. sect. XII.*

181

III. Ex hoc eodem gratiae in actu 1mo & 2do efficacis discrimine clare ostenditur, hæc duo in nostro systemate rectissime conciliari: primum: quod Deus per auxilium in actu 1mo efficax non solum faciat, ut possimus bene operari, sed revera faciat, ut bene operemur, quia videlicet dat voluntati creatæ auxilium congruum, quod per scientiam mediam infallibiliter videt cum bono usu conjungendum. Alterum: quod nihilominus in nostra libertate sit, ut bonum faciamus, in quantum possumus illi auxilio entitative sumpto, cui nos Deus praevidet certo libere consensuros, dissentire. Ut voluntas libere operetur, debet ipsa eligere & determinare se ad consensum, quia tamen electio salutaris consensus non fit, nisi voluntas creata habeat a Deo vires supernaturales, & auxilium praevisum efficax, idcirco consensus & quævis salutaris operatio principaliter tribuitur Deo; sicut si Dux ex praevisione strenuitatis militis conferret illi arma ad fortiter pugnandum, principaliter tribueretur Duci victoria, quam militi, quamvis miles se determinet ad pugnandum; idque multo magis si Dux daret militi non solum arma, sed etiam exitentiam, & si certus omnino foret, de secutura victoria, ut evenit in Deo; propterea Apostolus ad Rom. 19. v. 16. ait: *Non est volentis, neque currentis, sed miserantis Dei.*

Solvuntur objectiones e Scripturis & PP. petita.

182

Oppoz. I. Apostolus 1. ad Corinth. 4. v. 7. ait: *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex hoc loco PP. colligunt, Deum solum esse, qui discernit consentientem a non consentiente,

con-

conversum a non converso, atqui in nostra sententia ipse conversus semet a non converso per libertatem suam discerneret, ergo. Prob. m. *1mo*: Deus perinde confert auxilium indifferens converso, ac non converso, adeoque hoc auxilium est commune utrique, qua igitur ratione Deus conversum a non converso discernit? *2to*: Ille discernit, & quidem in actu *1mo* conversum a non converso, qui ponit ejus primum discretivum, sed istud ponit ipse conversus; nam conversi a non converso primum discretivum non est auxilium indifferens absolute existens, utpote commune & æquale non converso, sed est consensus sub eodem auxilio conditionate futurus, atqui iste ponitur ex determinatione ipsi & soli converso immediate libera, ergo. *3tio*: Ille discernit in actu *1mo* conversum a non converso, a quo pendet, quod auxilium sit efficax & discretivum in actu *1mo*; sed istud pendet a voluntate conversi, quia quod auxilium sit efficax discretivum conversi a non converso, pendet a consensu conditionato conversi, cum hoc præcise secluso æquale prorsus sit auxilium in converso, & non converso, vel etiam entitative perfectius in non converso, ergo.

2. Concesso textu Apostoli, Dist. M. ex hoc loco PP. colligunt, Deum *solum* esse, qui conversum a non converso discernit in actu *1mo* C. M. in actu *2to* subdist. ita ut conversus sive consentiens se non discernat principaliter C. M. minus principaliter & tanquam causa instrumentalis elevata per gratiam N. M. sic distincta m. n. cons. Ut intelligas distinctionem adverte: Deum *solum* discernere duplici modo in actu *1mo*. Inprimis *remote* & in ordine intentionis ac æternitatis, in quantum solus Deus misericorditer eligit aliquos ad gloriam, prædefinit eorum actus salutares, præparat hujusm. seriem auxiliorum, quibuscum homo, si ea in tempore ipsi conferantur, actus salutares libere positurus prævidetur. Deinde *proxime*, & in ordine executionis ac temporis, in quantum Deus homini auxilium prævisum congruum dat, seu tale, quocum prævidit consensum jungendum. Hac ratione Deus non modo discernit *physice* consentientem a dissentiente, in quantum physice dat auxilium influens in consensum & infallibiliter connexum cum eo, verum etiam discernit *moraliter*, in quantum hoc idem auxilium confert *affectu benefico*, seu ex intentione consensus. Hac discretio soli Deo tribuitur; quod enim homo vocetur congrue, esse.

effectus est solius misericordiae Dei, qui teste Augustino, *cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congrue, ut vocantem non respuat, & Lib. II. contra II. epist. Pelagii c. VII. Ille, inquit idem Augustinus, te discernit, qui unde discernaris, impertit; discernere enim in actu 1mo pium ab impio, conversum a non converso &c. nihil est aliud, quam dare aliquid, per quod antecedenter ad consensum absolutum possit quis infallibiliter separari a male operantibus, tale quid autem est auxilium praevisum efficax absolute existens, cujus collatio & existentia a solo Deo dependet, solus igitur Deus discernit in actu 1mo.*

Discretio in actu 2do habetur formaliter per ipsum actum salutarem, supposita gratia ex creaturae libera determinatione absolute positum, quo operans a non operante discernitur, ut est evidens. Hujus actus salutaris, adeoque discretionis in actu 2do, ipsa voluntas creata est causa *partialis*, ut patet ex Apostolo dicente 1. ad Corinth. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, quae verba exponens S. August. *Lib. de gratia & lib. arbit. c. V. ait: id est: non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Id ipsum patet ex aliis locis S. Doctoris, ut *Lib. I. ad Simplic. quaest. II. cum dicit: Ut velimus & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo; & Lib. de Spirit. & lit. c. XXXIV. Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est; quae luculenter ostendunt, Deum, seu gratiam simul & voluntatem ponere actum salutarem absolutum, at gratiam principaliter, utpote principium elevans voluntatem veluti causam instrumentalem ad effectum supernaturalem, & complens actum 1mum proximum tribuendo vires cum morales, tum physicas, eligendo auxilium congruum praeter incongruum & quidem cum intentione efficaci consensus salutaris actu adjuvans & corroborans voluntatem consentientem, ut in ipsam natura prius, quam consentiat, influat. Quare sicut parvulus adjutus a gigante dicere potest: non ego, sed gigas mecum tollimus gravissimum pondus, ita in nostro casu multo verius dicendum: *Non ego, sed gratia Dei in cum.* Et quia voluntas secundum doctrinam CC. in ordine ad actus salutares, se vere *active* habet libere cooperando gratiae, ideo etiam hujusm. actus voluntati tribuuntur, sed *minus principaliter*, ut liquet*

liquet dictis. Unde etiam voluntas nostra potest modeste gloriari in Domino, ut egit Apostolus commemorans se cum gratia Dei abundantius laborasse, bonum certamen certasse &c. Adde S. Bernardum in laudatum textum: *Non ait Apostolus: Si autem accepisti, quid gloriaris? sed quid gloriaris, quasi non acceperis? ut non prohibeat, sed doceat gloriari.*

Ad 1^{um} Dist. ant. auxilium est utrique commune materialiter, entitative & intrinsece sumptum C. ant. sumptum formaliter, extrinsece seu in ratione specialis beneficii, & quoad terminum connotatum, qui est consensus conditionate futurus n. ant. Patet igitur, qua ratione Deus conversum a non converso discernat. 184

Ad 2^{um} C. M. n. m. hujus additam rationem dist. conversi a non converso primum discretivum non est auxilium indifferens materialiter sumptum c. formaliter & in ratione specialis beneficii, ac connotans consensum conditionate futurum n. Hic observ. Pius ab impio se nullatenus discernit per consensum conditionatum. Nam cum nullus omnino hominum sit, qui sub aliquibus auxiliis indifferenteribus non prævideatur per scientiam mediam consensurus, ideo per consensum conditionatum non potest unus se discernere ab altero, utpote *æquales* in statu conditionato quoad hoc, quod videlicet sub aliquibus auxiliis ponerent consensum, sub aliquibus dissensum. Jam Deus secundum sua incomprehensibilia judicia uni confert illud auxilium, cui eum prævidit dissensurum; ex quo vides, solum Deum pium ab impio discernere in actu 1^{mo}. Dein dato etiam quod e. g. Petrus videatur per scientiam mediam consensurus omnibus auxiliis sibi dabilibus, & Paulus contra dissensurus aliquibus, tamen per hoc non est discretus sive in actu 1^{mo}, sive in actu 2^{do} a Paulo; sed solum *esset* discretus sub conditione, nempe quod Deus libere ponat ad statum absolutum auxilium prævisum efficax, quo ad statum absolutum posito, erit discretus in actu 1^{mo}, elicitio autem absolute consensu, hujusm. auxilio erit discretus in actu 2^{do}.

Ad 3^{tium} N. M. quia, ut dictum, ille solum discernit in actu 1^{mo} conversum a non converso, a quo pendet, quod auxilium prævisum efficax *sit*, seu *existat* absolute, hoc autem pendet a solo Deo. Si enim ille discerneret, a quo pendet consensus conditionatus, nulla posset dari discretio consentientis a non consentiente,

cum omnis homo videatur sub aliquibus auxiliis consensurus, sub aliis dissensurus conditionate. Idipsum fateri debent nostri AA. nam quod v. g. prædeterminatio physica, sit discretiva (idem dic de actu inspirato) utique non habetur a Deo, sed a natura & essentia prædeterminationis, quia tamen a solo Deo pendet existentia absoluta prædeterminationis, solus Deus per ipsos discernit.

Neque dixeris: ergo Deus discernit etiam dissentientem a consentiente; ideo enim consentientem discernit a dissentiente, quia dat auxilium, sub quo prævidit consensum conditionate futurum, sed pariter dat auxilium, sub quo prævidit dissensum conditionate futurum, ergo. Nam *sz.* dist. illatum: discernit mere negative, improprie & permissive dissentientem a consentiente, negando auxilium prævisum efficax, & permittendo dissensum c. positive & intensive n. Rationem adjectam dist. ideo præcise consentientem &c. n. ideo & simul quia consentienti Deus confert auxilium positive conducens & inclinans ad consensum, & ipsum consensum positive intendit efficaciter eum prædefiniendo dependenter a scientia media c. Deus dum confert auxilium, sub quo prævidit dissensum conditionate futurum, non dat auxilium ex se & positive conducens ad dissensum (nullum enim quantumcunque remissum inclinatur ad dissensum) nec positive intendit dissensum, sed eum solum permittit; immo conferendo ejusmodi auxilium prævisum inefficax nunquam dat auxilium ex intentione dissensus, sed pariter ex intentione seria, licet inefficaci, consensus. Hinc dissentientem a consentiente &c. tantum discernit in actu *imo* negative & permissive, in quantum non prædefinit, uti posset, ejus consensum, neque seligit auxilium, sub quo consensus esset futurus; adeoque non favet specialiter, ad quod minime tenetur.

185

Oppon. II. Apost. ad Rom. 9. v. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed misereantis Dei,* atqui in systemate nostræ gratiæ efficacis entitative indifferentis fit oppositum, quia ut arguunt AA. salutaria opera potius homini volenti & currenti attribuenda forent, quam Deo conferenti auxilium indifferens, ac indifferenter solum promovens voluntatem ad operandum. Dein in nostro systemate Deus non afficeret majori beneficio hominem salutariter operantem; quam non operantem, igitur quod ille, non item iste Divinis præceptis satisfaciat, adscribendum est homini volenti &

cur;

currenti, auxilium illud *versatile* determinanti; quod adverbatur Apostoli verbis. Ill. S. Augustinus in pluribus locis totum salutare opus Deo adscribit, utpote qui non solum dat posse, sed & velle & operari, & ex nolentibus volentes reddit: *Trahitur homo miris modis*, inquit S. Pater *Lib. I. contra II. epist. Pelag. c. XIX. ut velit, ab illa qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, volentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Et *Lib. de grat. & liber. arbit. c. XVI.* ait: *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum. - - Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntari*, atqui Deus nequit dare ipsum operari, nequit ex nolentibus reddere volentes &c. nisi per gratiam ab intrinseco efficacem & insuperabiliter prædeterminantem ergo. Denique in nostro systemate facile explicatur quomodo concilietur libertas creata cum gratia efficaci, simulque facile redditur ratio, ut ait Gonetus, *cur Deus unum trahat, alterum non trahat*, quia nempe unus vult suo arbitratu consentire auxilio de se repudiabili, alter non vult consentire, quod utrumque explicatu difficilimum erat Augustino, illudque Apostoli ad Rom. I I. reponerat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Sic enim *Lib. de dono persever. c. VIII.* loquitur: *Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt Dei iudicia.* Et *Lib. de Spirit. & liter. c. XXXIII.* Si quis, inquit, me interroget, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non; duo solum occurrunt, quæ responderè mihi placeat, o altitudo divitiarum &c. & nunquid iniquitas apud Deum? cui hæc responsio non placeat, quærat Augustino doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptiores. IV. Nostrum systema de gratia efficaci ignotum erat Augustino, ergo.

Ad II. n. quis sensus Apostoli sit, patet ex dictis Num. 181. Hoc igitur loco non negat Apostolus, in hominis voluntate esse, ut Dei gratia & misericordia recte utatur (potest enim gratiam in vacuum recipere) sed solum ait: non esse volentis hominis, ut gratiam in actu *imò* efficacem, id est: congruam a Deo accipiat, in cuius collatione, sita est misericordia Dei. Quod bene volumus, rectissime tribuitur vocanti Deo, quomodo nobis aptum & con-

gruum est, ut bene velimus: & nobis, quod vocemur, quomodo nobis aptum est, ut bene velimus, tribui non potest. Non enim bona nostra voluntas vocationem congruam, sed vocatio congrua bonam nostram voluntatem præcedit. Solius itaque miserentis est Dei, quod hominem ita vocet sua gratia, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat; siquidem vocatio congrua & prævenit omne nostrum meritum, & est solius Dei beneficium, quod confert uni, negat alteri, non petita ab homine, sed ab inscrutabilibus suis judiciis ratione. Ex his & dictis Num. 184. ad unum liquet, majori beneficio affici operantem salutariter, quam non operantem. Quod vero auxilium entitative indifferens ab AA. vocetur *versatile* & nomen gratiæ *versatilis* invenisse hæreticos libertatis humanæ hostes. Caterum si Catholici AA. nostri intelligant id, quod hæretici, nempe gratiam entitative componibilem cum dissensu, & voluntatem humanam *irresistibiliter* non prædeterminantem ad consensum, non ægre denominationem acceptamus. At si intelligant, gratiam *versatilem* perinde se habere ad malam ac bonam operationem, vel in illam inclinare, negamus gratiæ *versatilis* vocabulum. Nam etsi gratia non necessitet voluntatem, attamen ex natura sua movet & suasive inclinat præcise ad bonum.

187 Ad III. C. M. quod nimirum Deus det non solum posse, sed etiam velle & operari, ex nolentibus volentes faciat &c. at n. m. nempe istud fieri per gratiam natura sua efficacem & *insuperabiliter* prædeterminantem; ubi enim istud asserit Augustinus? immo oppositum colligere licet ex Num. 122. & aliis. Deus igitur facit ex nolente volentem, in quantum confert vocationem inclinantem ad consensum salutarem hominem rebellem in iis circumstantiis, in quibus cognovit per scientiam mediam vi illius vocationis congruæ, hominem libere mutandum, & de nolente futurum volentem. Profecto angustiis limitibus circumscribunt omnipotentiam & sapientiam Divinam, qui existimant *cordis divitiem* a Deo auferri non posse, nisi per gratiam irrepudiabilem & insuperabiliter prædeterminantem.

Ad postremum ajo: nostrum quoque systema suis difficultatibus laborare, ut patet ex objectionibus; interim feliciter conciliat libertatem creatam cum efficacia gratiæ, quam opposita syste-

mata evertere videntur. Cur autem Deus uni conferat auxilium prævisum efficac, eumque congrua vocatione *trahat*, alteri non conferat; nos pariter cum D. Augustino recurrimus ad *incomprehensibilia iudicia Dei*; id quod Gonetus discere potuisset e Concordia P. Molinae, quam non levibus calumniis affecit, ut demonstrat noster Thyrsus Gozalez *Tom. I. Select. D sp.* Vide in simili Num. 96. §. III. At cur auxilium collatum evadat in actu 2do efficac, hoc est: jungatur cum actu salutari in uno homine, non item in altero? respondemus cum eodem Augustino: quia unus vult consentire, alter non vult. Hac enim responsione usus est S. Doctor, dum hujusm. quæstionibus propositis *Lib. II. de peccat. remiss. c. XVII. & Lib. de prædestinat. SS. c. VI.* his verbis reponit: *Cito dico: quia volunt, & quia nolunt.* Idem elucet in textibus Num. 180. commemoratis. Istud ipsum omnes Catholicos dicere oportet, nisi hominem se mere passive habere ad bonum & malum contra doctrinam Tridentini velint. Alia Scripturarum, & S. Augustini loca explanavimus, ubi Calvino, Jansenio, Prædeterminatistis, Augustinianis de industria respondimus.

Ad IV. R. n. assertum. Nam principia, quibus innitur nostrum systema, in S. Augustino reperiuntur. Certe gratiam efficacem *Lib. I. ad Simplic. quæst. II.* & aliis in locis explicat per vocationem congruam, id est: collatam in iis circumstantiis, in quibus prævisa est habitura effectum bonum, ut diffuse expendit Eximius Doctor *Lib. V. de grat. c. XLVI.* Juvat hic unum locum expendere; *Cujus miseretur, sic eum vocat* (Deus) *quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*, ait S. Doctor; quasi dicat: Deum, cum decernit conversionem & justificationem hominis improbi, eligere illud auxilium, quod scit ei congruere, hoc est: quod cognoscit per scientiam mediam infallibiliter bonum effectum habiturum. Hujusm. vocatio non est volentis sed miserentis Dei, *qui hoc modo vocavit, quomodo aptius erat eis, qui secuti sunt vocationem*, inquit ibidem S. Augustinus. Ex hoc aliisque locis intelligimus, Deum inprimis infinita sua scientia cognoscere, quemadmodum affecta & comparata esset mens improbi & voluntas; dein quæ sit gratiæ cum homine sic affecto congruentia ac convenientia, si ei in his vel aliis circumstantiis daretur; demum decretum facere de hac ipsi conferenda gratia, quæ

sua.

suavibus congruentiæ istius vinculis hominem ad sese pertrahet, atque adeo sic eum vocare, *quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

188 Illud ultro fatemur, hoc systema non fuisse scholastica metho-
do explanatum a S. Augustino, qui disputans adversus Pelagianos, in id unum incubuit, ut e sacris literis ac traditione probaret necessitatem gratiæ, & libertatis cum gratia concordiam, parum sollicitus hujus concordia modum uberioribus verbis explicandi, quippe in probanda concordia vertebatur cardo & summa susceptæ ab illo contra Pelagianos disceptationis. Noster Molina cum reliquis DD. Soc. ut errores Lutheri & Calvinii circa gratiam liberumque arbitrium detegeret, systema Augustinianum scholastica metho-
do clariorem in lucem provexit, ac nitide declaravit: tamen si Deus efficaciter prædefiniverit omnes actus nostros salutares, minime sequi, quod vi prædefinitionis illius debeat conferre auxilia physice prædeterminantia ad actus prædefinitos (qualia conferre debere Deum censuerunt dicti hæretici, simul inferentes, arbitrium creatum non manere liberum, quia nequit resistere auxilio prædeterminanti urpote ab intrinseco efficaci) sed satis esse, quod conferat auxilia entitative indifferentia, quæ per scientiam mediam prævisa sunt congrua & efficacia. Qua ratione, ut ipsi AA. nostri fateri coguntur, liberum arbitrium cum efficacia gratiæ pulcherrime conciliatur; & tamen Molina cum suis acerbè traductus ad pœnam poscebatur.

At inquires, merito: cum Semipelagianorum hæresim hoc systema complectatur. Quisquis hæc talia oggerere ausit post tot elucubrations Soaresii, Annati, Thyrsi &c. profecto se rudem, ne dicam rudentem, rerum Theologicarum ostendit. Qui fuerint errores Semipelag. explicui Dissert. I. Ab iis quam longissime sejuncta est scientiæ mediæ doctrina. Nam *imo*: dum Deus prævidet per scientiam mediam futurum, ut v. g. Ethnicus amplecteretur fidem, si hoc aut illud auxilium largiretur, simul prævidet, opus istud non *solius* libertatis fore, sed libertatis, quam adjuvet, quamque præveniat auxilium supernaturale. *2do*: Etsi Deus prævideat hunc Ethnicum hujusm. auxilio, si detur, recte usurum & convertendum esse, tamen quod recte sit usurus, id nullo pacto facit, ut Deus illud ei conferre decernat; sua sola misericordia & boni-

bonitate movetur ad conferendum illud. Vide dicta Num. 26. & 125. §. 11. Semipelagiani agnoverunt scientiam mediam, sed eandem agnovit Augustinus, David, Christus nempe quo ad rem ipsam. Semipelagiani usi sunt scientia media, nimirum ad inducenda merita conditionate tantum futura, quæ cum Augustino & Ecclesia Molina cum omnibus Jesuitis rejicit, qui tamen hac scientia utuntur, ad dirigendum Dei decretum de gratia congrua conferenda, sine quo creatam libertatem salvari posse non existimant. Est igitur luce meridiana clarius, doctrinam de scientia media infinito propemodum intervallo ab hæresi Semipelagianorum distitam esse.

Solvuntur objectiones ex rationum momentis perite.

Oppon. I. Gratia efficax in actu imo accepta est causa consensus salutaris, igitur nec partialiter constituitur per consensum conditionatum creaturæ. Ant. constat ex Apostolo ad Philippen. 2. dicente: *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Cons. prob. Si gratia efficax causat in nobis consensum, ergo consensus præsupponit efficaciam gratiæ, ergo hæc non constituitur per consensum. II. Si consensus conditionatus non constituit actum *immo* proximum ad consensum salutarem, nulla datur ratio, cur gratia in actu *immo* efficax constituatur per consensum conditionate futurum; sicut enim non potest constitui per consensum absolutum, cum iste sit posterior gratia in actu *immo* efficaci, ita nec per consensum conditionatum, cum hic idem reipsa sit cum consensu absoluto. III. Gratia in actu *immo*, quod sit efficax, non accipit a creatura, sed a Deo, atqui si constitueretur in esse efficaci etiam partialiter per consensum creaturæ conditionate futurum, acciperet efficaciam a creatura, non item a Deo, ergo. M. est certa, quia efficax gratia est speciale Dei beneficium; m. etiam est certa, quia ablato duntaxat consensu conditionato, desineret gratia in esse efficaci, foretque pure sufficiens, ergo.

R. ad I. dist. ant. Gratia efficax entitative, specificative & denominative, seu sumpta pro virtute activa & causativa consensus absoluti est causa consensus salutaris c. ant. sumpta reduplicative secundum omnes partes, seu prout efficax & cum suo effectu ab-

solu.

solato connexa, est causa consensus n. ant. Itaque gratia, quæ denominatur efficax, seu accepta secundum virtutem suam intrinsecam, causat in nobis salutarem consensum, quia sic accepta est natura prior consensu absolute existente, & congrue movet voluntatem, moraliterque influit in consensum; at vero non causat consensum secundum omnia, e quibus denominatio gratiæ efficacis resultat; quia hæc denominatio importat etiam consensum conditionatum creaturæ, qui utique non movet voluntatem, nec moraliter efficit consensum absolutum, cum iste ab illo non distinguatur, nisi secundum diversum statum. Præsupponit autem consensus absolutus conditionatum, quia hic est prior logice, & quoad subsistendi consequentiam; e contrario: consensus conditionatus non præsupponit efficacem gratiam; quia gratia ut infallibiliter illativa consensus, seu connexa cum consensu, non intelligitur, nisi consensus conditionate futurus intelligatur.

Ad II. n. ant. Licet enim consensus conditionatus non ingrediatur constitutive actum *immo* proximum libertatis, est tamen prior logice & subsistendi consequentia consensu absoluto, adeoque pro priori potest per consensum conditionatum intelligi gratia in actu *immo* efficax, licet ut *talis* secundum omnia sua constitutiva non ingrediatur actum *immo* proximum. Nec officit huic doctrinæ, quod idem sit consensus conditionatus & absolutus. Nam idem sunt quoad rectum & rem importatam, non tamen sunt idem quoad statum & modum importandi. Etenim alia est veritas, quæ importat consensum conditionate futurum, & alia, quæ consensum absolutum; neque enim idem est dicere: *Si Petrus haberet hoc auxilium, consentiret*; &: *Petrus actu consentit sub hoc auxilio*, eiam si utrobique importetur consensus sub iisdem omnino libertatis principiis.

Ad III. Dist. M. Gratia efficax, quod sit efficax, id est: quod habeat virtutem causativam consensus, & quod absolute existat talis gratia in actu *immo* efficax, accipit a Deo C. M. quod sit efficax, id est: quod infallibiliter sit connexa cum absoluto consensu, eumque inferat, accipit a Deo subdist. accipit a Deo partialiter & principaliter C. M. accipit a Deo adæquate N. M. quia partialiter & minus principaliter accipit a creatura, quæ sicut libere consentit gratiæ absolute existenti, ita pro priori per suum consensum abso-

lutum fundat hanc veritatem: *Si Petrus haberet hujusm. gratiam, libere consentiret*, qua posita veritate & data tali gratia, infallibiliter sequitur consensus absolutus.

Oppon. IV. Si gratia efficax in actu *imo* consisteret in entitate auxilii indifferentis absolute existente, & consensu conditionato creaturæ, tunc ejus efficacia penderet a nostra voluntate, sicut scilicet a voluntate pendet ipse consensus conditionatus, adeoque initium salutis esset a nobis. Præterea sequeretur *imo*: quod nostra voluntas possit reddere gratiam efficacem vel inefficacem. *2do*: quod perinde tolleretur libertas consensus absoluti, ac tollatur per gratiam ab intrinseco efficacem: nam repugnat gratiam efficacem, ut est infallibiliter illativa consensus, componi cum dissensu, ergo sicut tolleretur libertas per gratiam ab intrinseco efficacem, ita etiam &c. cons. prob. ut salvetur libertas indifferentiæ, requiritur, ut cum omnibus constitutivis actus *imi* proximi componi possit tam consensus, quam dissensus, sed si repugnat gratiam efficacem, ut est infallibiliter illativa consensus, componi cum dissensu, non posset consensus & dissensus divisim componi cum omnibus constitutivis; nam alias falsum esset, quod sit infallibiliter illativa consensus, ergo. *3tio*: sequeretur rursus per gratiam efficacem in actu *imo* tolli libertatem in statu absoluto; nam dicta gratia est aliquod complexum antecedens consensum absolutum, simulque infallibiliter illativum consensus absoluti, atqui ejusm. complexum tollit libertatem consensus absoluti: dato enim ejusm. complexo voluntas in statu absoluto non potest omittere consensum, ac proinde necessario consentit, ergo. V. Si gratia efficax in actu *imo* ut est infallibiliter illativa consensus absoluti, constituitur per futurationem conditionatam consensus, nulla datur gratia sufficiens, sed hoc dici nequit, ergo. M. prob. nam si gratia efficax constituitur per futurationem conditionatam consensus, tunc gratia inefficax constituitur per futurationem conditionatam dissensus sub illa, sed h. i. non est sufficiens, ergo. Prob. m. repugnat gratiam esse sufficientem, quacum repugnat poni consensum, atqui cum gratia constituta per futurationem conditionatam dissensus, repugnat poni consensum, ut patet, ergo.

Re. ad IV. ex dictis jam patere, gratiæ efficaciam, in quantum præcise dicit infallibilem connexionem gratiæ cum consensu

nostro absoluto, pendere etiam a nostra voluntate, at minus principaliter, non autem in quantum dicit virtutem causativam consensus, & absolutam existentiam gratiæ, sic enim accepta dependet a solo Deo. Nam consensum illum conditionatum non causat, vel potius non causaret *sola* voluntas, sed principaliter gratia causaret, qui proinde consensus pendet a gratia, non item hæc entitative sumpta ab illo. Quod autem iste idem consensus conditionatus pendens etiam a nostra voluntate, constituat gratiam in esse infallibilis connexionis cum consensu, id non aliud significat, quam quod gratia non sit ab intrinseco connexa cum consensu, neque ad hunc physice prædeterminet, sed debet connecti per aliquid sibi extrinsecum, quod Num 178. demonstravi non esse aliud, quam nostrum consensum conditionatum. Neque initium salutis nostræ est ex nobis; cum enim istud pendeat ab existentia *absoluta* gratiæ, hæc vero existentia a solo Deo, idcirco salutis initium soli Deo tribuitur. Vide Num. 46. §. III.

Ad *1mam* sequel. dico: Nostram voluntatem præventam & instructam auxilio gratiæ, posse reddere ipsam gratiam efficacem in ratione præcise infallibilis connexionis & illationis consensus, & eandem voluntatem nolentem uti auxilio gratiæ, posse eam reddere inefficacem in ratione connexionis cum dissensu. Ubi observ. Licet supposita collatione auxilii, a voluntate creata pendeat consensus, proinde gratia efficax in operando, non tamen collatio seu existentia absoluta auxilii, & multo minus collatio auxilii efficacis præ inefficaci, sed a solo Deo. Unde justus nulla ratione semet discernit in actu *imo* ab injusto, quia discernere in actu *imo* justum ab injusto, nihil est aliud, quam conferre aliquid, per quod antecedenter ad consensum absolutum possit quis separari a male operantibus, tale quid vero est auxilium efficax absolute existens, cujus collatio & existentia unice a Deo pendet. Vide Num. 184.

193

N. *2dam* sequel. ad prob. c. ant. n. conf. ad prob. C. M. n. m. rationem additam dist. falsum esset, quod gratia efficax *entitative* accepta infallibiliter sit illativa consensus absoluti c. accepta *reductive*, seu cum connexionione resultante ex absoluta existentia gratiæ & futuritione conditionata consensus n. Ratio patet: quia non posse componi dissensum cum gratia ut est infallibiliter illativa consensus absoluti, est præcise *impotentia consequens* liberam de-

determinationem voluntatis ad consensum, quocum verissimum manet, *potentia antecedente* posse componi dissensum cum omnibus constitutivis actus *imi* proximi absolute existentis; & alioquin constat, gratiam efficacem entitative sumptam & secundum quod dicit virtutem causativam consensus ingredi actum *imum* proximum libertatis, non autem ut infallibiliter connexam cum consensu & illativam illius.

N. pariter *3tiam* sequel. ad prob. Dist. M. dicta gratia est ali- quod complexum &c. attamen impedibile a voluntate creata C. M. inimpedibile N. M. & sic distincta m. n. conf. complexum enim illud impedibile est secundum futuritionem conditionatam consensus, quæ consensum absolutum non antecedit natura & causalitate, sed sola subsistendi consequentia, ut dictum Num. 190. Ad prob. dist. ant. non potest omittere consensum potentia consequente futuritionem conditionatam consensus c. antecedente n. Potest enim potentia antecedente impedire futuritionem conditionatam consensus & determinare futuritionem conditionatam dissensus. Item necessario consentit necessitate consequente futuritionem conditionatam consensus c. antecedente n. Vide Num. 175. & seq.

Ad V. N. M. ad prob. C. M. n. m. ad hujus prob. Dist. M. repugnat gratiam esse sufficientem, quacum entitative accepta, & independentem ab omni suppositione creaturæ libera repugnat poni seu componi consensum C. M. quacum solum reduplicative accepta, & consequenter ad suppositionem creaturæ liberam, repugnat poni consensum N. M. & sic distincta m. n. conf. Etenim gratia entitative accepta ex suis prædicatis intrinsicis pollet virtute causandi consensum, atqui hujusmodi virtutem componi cum consensu non repugnat, ergo. Hoc modo accepta dicitur gratia ut præcise sufficiens. Quod si gratia sumatur cum futuritione conditionata dissensus, adeoque *ut inefficax*, tunc sub ista reduplicacione non potest quidem cum consensu componi, verum impotentia solum consequente liberam creaturæ determinationem ad dissensum, quod libertati creatæ minime obest, nec gratiam de se insufficientem reddit, quia futuritio conditionata dissensus nihil virtutis activæ auxilio intrinsecæ & ad causandum requisitæ adimit, sicut futuritio conditionata consensus nihil virtutis eidem addit.

194

Ut reliqua, quæ opponi possent, dissolvas, observ. I. Adversarii appellant per ludibrium nostram gratiam efficacem, partum *scientiæ exploratricis*. Verum cum Deus perinde veritates conditionatas contingentes certo & evidenter ab aeterno cognoscat per scientiam mediam, ac veritates possibiles per scientiam simplicis intelligentiæ, & absolute existentes per scientiam visionis, cur istarum duarum cognitio non est scientia exploratrix? Id nobis verissimum: Deum in conferenda gratia efficaci entitative indifferente dirigi per scientiam mediam: sine hujus enim directione *improvidè* eam daret, utpote ignorans ante scientiam mediam, quid ad datam gratiam ex parte voluntatis creatæ sit secuturum, neque sine hujus directione vocaret hominem, quomodo scit ei aptum esse, ut vocantem non respuat; quo tamen modo vocare, est secundum Augustinum ipsissimam gratiam efficacem dare. Et quia gratia secundum sua intrinseca prædicata non connectitur infallibiliter cum consensu salutari, Deus non aliter, quam per scientiam mediam cognoscit, an voluntas in his vel illis circumstantiis, huic vel illi gratiæ consensura vel dissensura foret. Porro circumstantiæ illæ temporis, loci, indoles hominis &c. gratiam non faciunt congruam & efficacem, sed solum sunt conditio, sine qua auxilium Dei, virtutem causativam consensus sibi intrinsecam non exerceret movendo hominem eo modo, quo ei aptum est, ut Deum vocantem sequatur.

II. Etsi voluntas seipsam libere determinet ad consensum salutarem, non sequitur, quod ipsa Deum prædeterminet ad concurrendum, vel se solis naturæ viribus determinet. Nam Deus independenter ab omni exercitio creaturæ libero, & ex sua præcise benevolentia suum concursum ei confert, applicatque suam omnipotentiam, & totum actum *imū* proximum libertatis ad consensum largitur, ut patet vel in hac veritate: *Si darem Petro auxilium in his circumstantiis, consentiret*. Unde creatura non suis viribus, sed gratia & omnipotentia Dei veluti causis principalioribus adjuncta se determinat; docente Augustino: *Non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bona voluntatem*. Quare hujus ipsius determinationis Deus est causa, & consensus salutaris ei tanquam causæ principali attribui debet. Nihilominus determinatio ad consensum moraliter soli creaturæ tribuitur, quia a sola hac

hac *immediate elective*, & citra omnem necessitatem antecedentem procedit. Remote ac mediate Deus nostrum consensum liberum eligit per decretum v. g. prædefinitivum consensus; verum quia hoc ipsum decretum pendet a scientia media, & est a voluntate creata impedibile, ideo istud nec officit libertati creatæ, nec facit, quo minus hæc determinatio immediate tribui debeat soli electioni creaturæ. Vide Num. 154. §. IV.

III. Nostra sententia multum diversa est a prædeterminatione physica, decreto concomitante, & actu inspirato; quia cum istæ gratiæ secundum suos Authores sint ab intrinseco efficaces, non videntur libertatem creatam salvare, eo quod sint principia simpliciter antecedentia, necessario requisita ad actum, & inimpedibilia a creatura. E contrario: gratia nostra non est essentialiter connexa cum actu, quia de se & entitative sumpta componi potest cum non actu, & tota necessitas est consequens, non autem antecedens voluntatis creatæ exercitium; ab hac eadem est impedibilis gratia efficax, cum in obliquo, ut quidam TT. loquuntur, importet consensum conditionate futurum, a libertate voluntatis creatæ dependentem, quæ loco consensus conditionati potuisset ponere dissensum conditionatum, & facere, ut gratia non sit efficax in ratione connexionis cum consensu, sed potius inefficax.

IV. In statu conditionato ex parte hypothesis non datur gratia efficax in actu *imo*; quia si daretur ejusm. gratia, everteret libertatem; antecederet enim omnem determinationem creaturæ etiam conditionatam, adeoque inimpedibiliter inferret consensum conditionatum. Quare gratia ex parte hypothesis nec est connexa cum consensu, nec cum dissensu, ac proinde in hoc sensu, nec efficax, nec inefficax; sed ab utroque præscindens. Eadem tamen gratia in statu conditionato per ipsum consensum conditionatum concomitanter fit efficax in esse infallibilis connexionis cum consensu; & sic datur in statu conditionato gratia efficax, transitura in absolutum, si Deus purificet conditionem & conferat creaturæ gratiam; stante enim illa veritate conditionata: *Si existeret auxilium A, existeret consensus*, verum est, quod si Deus conferat absolute auxilium A, illud futurum sit efficax. Ex his patet, auxilium, prout importatur in hypothesis scientiæ mediæ, intelligi solum entitative & specificative, seu quatenus virtutem

causativam requisitam ad consensum salutarem habens, sicut etiam in statu absoluto ex parte actus *Imi* præcise sic sumptum intelligi debet.

V. Potest fieri, ut ex duabus voluntatibus æqualia *entitative* auxilia, & in actu *imo* inclinantia voluntatem liberam ad consensum, habentibus, una consentiat, altera dissentiat; immo ut ex habentibus auxilia inæqualia, illa consentiat, quæ habet minoris intensiõnis auxilium ad consensum, illa autem dissentiat, quæ habet majoris intensiõnis auxilium. Ratio est: quia fieri potest, ut ejusdem, vel etiam minoris intensiõnis illustratio, & pia affectio unam voluntatem moveat, quemadmodum ei congruit, ut sequatur; alteram, vel etiam eandem in aliis circumstantiis non ita afficiat, prout congruit ac aptum est, ut sequatur. Præterea in quovis ex enumeratis casibus, voluntas est libera ad consensum & dissensum & quidem libertate distincta in uno ac altero casu, atqui ad rationem distinctarum libertatum pertinet, ut una consentiente dissentire possit altera, licet eadem libertas, ex suppositione quod consentiat, dissentire non possit, ut patet.

195

VI. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon Ord. Prædicat. in sua *Historia Eccles. Novi Testam. Secul. XVI.* & Laurentius Bertius Ord. Eremit. S. Augustini *Tom. III. de Theol. Discip. Lib. XIV. c. X.* ancipitem sortem doctrinæ Ludovici Molinæ non sine verborum aculeis describunt, laudantque Thomæ Lemos historiam, quæ inscribitur: *Omnia acta Congregationum ac Disputationum, quæ coram Clemente VIII. & Paulo V. SS. Pontif. sunt celebrata in causa & controversâ illa magna de auxiliis Divinis gratiæ, quas disputationes ego Fr. Thomas de Lemos sustinui.* Quam fidem mereantur hæc *Acta*, intelliges ex declaratione Innocentii X. quæ ad calcem Decreti anno MDCLIV. die XXIII. April. editi, quo rursus damnatur Augustinus Jansenii & omnes libri in ejus defensionem procusi, habetur hujus tenoris: *Cæterum cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam asserta Acta manuscripta, & forsitan typis excusa, congregationum habitarum coram felicis recordationis Clemente VIII. & Paulo V. super quæstione de auxiliis Divinæ gratiæ, tam sub nomine Francisci Pagnæ, olim Rotæ Romanæ Decani, quam Fr. Thomæ de Lemos Ord. Prædic. aliorumque Prælatorum & Theologorum, qui, ut assertitur, præ-*
di-

dictis interfuerunt Congregationibus; nec non quoddam Authographum seu exemplar assertæ constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de auxiliis, ac damnationis sententiarum Ludovici Molinæ Soc. Jesu, eadem sanctitas præsentis hoc Decreto declarat, ac decernit prædictis Actis assertis - - & Authographo prædictæ assertæ constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocunque alio allegari posse, vel debere, sed super quæstione prædicta observanda esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII. Pariter Hyacinthi Coquetii liber de visceribus maternis B. Mariæ V. erga Ord. Præd. proscriptus est, in quo narrat: testatum fuisse Urbanum VIII. vivæ vocis oraculo, faciem Thomæ de Lemos, abs se visam radiis promicantibus præfulgentem, quoties ille de auxiliis disputaret; contestante Deo, doctrinam, pro qua ipse Lemos certabat, de gratiæ motionibus humanæ voluntati ineluctabilibus, cœlestem esse; quæ narratio ab ipso Urbano mendacii revicta est, ut refertur apud Soaresium Tom. IX. in Dissert. pro Confess. epistolari. Addendus hic tertius Hyacinthus, nempe Jacobus Hyacinthus Serry ex eod. S. Ord. Præd. qui sub larvato nomine Abbatis Augustini Le Blanc anno MDCC. Lovanii historiam recudit dictarum Congregationum de auxiliis, qua nititur ostendere, Ludovici Molinæ doctrinam variis per orbem Christianum censuris, Romana inprimis, perstrictam fuisse &c. Quantæ authoritatis sit hæc historia, Honoratus Tournelyus sacræ facult. Parisien. Doctor, Socius Sorbonicus, S. Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonicus, candida mente aperit: Prodit ex altera parte, inquit vir iste Cl. Tom. I. Prælect. Theol. pag. mihi 421. amplissima Historia controversiarum de Auxiliis Antverpiæ anno MDCCV. (a P. Levino Meyero S. J. sub nomine Theodori Eleutherii) qua prior historia falsi redarguitur, ac plene confutatur. Hæc Tournelyus ab omni partium studio alienus.

CAPUT OCTAVUM.

Per quid habeatur gratia efficax ut instrumentum Divinae providentiae, & ut speciale beneficium?

- 196 **E**X haecenus dictis colligere licet, gratiam efficacem esse *medium* ac *instrumentum*, quo Deus infallibiliter, & quidem salva immediata & formali libertate creata, obtinet finem a se intentum, videlicet actum salutarem, quem praedefinit; eandem etiam esse *speciale beneficium* Dei respectu illius, cui ipsa praegratia pure sufficiente & inefficaci confertur. Duo igitur hic discutienda: I. Quid praeterea gratia efficax (quam in actu *imo* consideratam ut effectivam & infallibiliter illativam consensus diximus consistere in complexo ex auxilio indifferente absolute existente & consensu sub eodem auxilio conditionate futuro) ut est instrumentum Divinae providentiae importet? II. Quid importet, prout est speciale beneficium respectu creaturae, cui confertur? His quaesitis satisfacit

A S S E R T I O.

Gratia efficax ut est medium & instrumentum Divinae providentiae proxime aptum ad hoc, ut per illud Deus infallibiliter obtineat consensum liberum creaturae, praeter entitatem auxilii indifferentis importat etiam scientiam mediam, qua cognoscit consensum sub auxilio entitative indifferente conditionate futurum; ut vero est speciale beneficium praegratiae inefficaci respectu creaturae, importat etiam praedefinitionem actus salutaris, & decretum collativum auxilii, sub quo providebatur consensus conditionate futurus.

- 197 **H**Anc assertionem quoad utramque partem nostri TT. communiter tuentur, ac paucioribus verbis ita proponunt: ut auxilium in actu *imo* efficax sit speciale beneficium, debet illud conferri a Deo dependenter a scientia media de bono usu illius, ex intentione boni usus. Jam Momentum, cui prima assert. pars innititur est istud: Cum auxilium v. g. A (idem sentiendum de quacunque collectione auxiliorum indifferentium etiam infinita) sit secundum se & entitative perfecte indifferens ad consensum & dissensum, seu componi possit cum utroque, & per scientiam simplicis intelligentiae

tix id ipsum a Deo cognoscatur, ideo ad hoc ut dictum auxilium sit medium proxime aptum in ordine ad obtinendum infallibiliter finem, seu consensum salutarem, debet providentia Divina, utpote perfectissima essentialiter infallibilis ac infrustrabilis, per scientiam aliquam distinctam a scientia simplicis intelligentix, fieri metaphysice certa de obtinendo per hujusm. medium seu auxilium consensu salva libertate consensus; alias collato tali medio ad summum per accidens & casu fortuito obtineret finem intentum, nempe consensum, quod utique repugnat providentiæ perfectissimæ, atqui scientia, per quam providentia Divina fieri possit metaphysice certa de obtinendo per tale medium consensu, salva consensus libertate, nequit assignari alia, quam scientia media directa, qua videt Deus, quod si existeret hujusm. auxilium, existeret consensus liber, ergo.

Observ. autem: nos non negare, quod gratiam efficacem sub ratione medii proxime apti, quo consensus liber infallibiliter obtineatur, constituat etiam possibilitas ipsa auxilii & consensus: item scientia simplicis intelligentix de hac possibilitate, verum istud non sufficit: cum enim auxilium entitative sit indifferens ad consensum & dissensum, adeoque componi possit etiam cum dissensu, & pariter possibilitas consensus componi possit cum dissensu, Deus per scientiam simplicis intelligentix videns sub hypothese auxilii indifferentis possibilem consensum, videt simul possibilem esse dissensum, vel utriusque omissionem; proinde per hanc scientiam non habetur, auxilium entitative indifferens esse infallibile medium obtinendi consensus, sed per scientiam mediam. Cur vero per scientiam visionis de existentia gratix & consensus sub illa, non habeatur ac constituatur, est hæc ratio: quia gratia in ratione medii ut proxime apti ad consensum obtinendum, debet esse jam plene constituta in signo priori ad decretum absolutum collativum gratix, scientia vero visionis datur solum in signo posteriori, non autem in priori ad decretum collativum gratix, ut alioquin patet.

Pars altera assert. *probat.* I. Ut quis dicatur specialiter beneficus erga aliquem, sive conferre alicui speciale beneficium, hoc est: majus bonum præ minori non solum *materialiter & effective*, verum etiam *formaliter & affectivæ* tale, non sufficit, quod conferat aliquod bonum, cedens re ipsa in alterius utilitatem, sed debet illud bonum conferre *sciens ac volens*, & quidem cum intentione utilitatis redundaturæ

in accipientem illud bonum, ergo pariter, ut Deus conferendo gratiam efficacem conferat speciale beneficium, non sufficit quod conferat auxilium illativum consensus, sed debet illud sciens ac volens conferre cum intentione boni usus in utilitatem accipientis, atqui Deus prædefiniens actum salutarem & decernens auxilium, quod prævidit fore efficacem, sciens & volens confert bonum &c. ergo. Prima cons. & subsumpta m. patet: certe enim Deus conferendo dicto modo auxilium efficacem, majus bonum præ minori confert creaturæ, siquidem auxilium, sub quo per scientiam mediam prævidetur creatura consensus, sit moraliter majus & melius donum, ac aliud, sub quo prævidetur dissensus. Ant. vero declaratur: sic nequit dici specialiter beneficus affective erga alterum, qui huic aurum donat pro aurichalco ignarus illius pretii; neque is, qui quidem sciens rei pretium, eam tamen non donat, ut donatario inde commodum & utilitas proveniat, sed potius donanti; quemadmodum patet in Principe militi arma donante, non eo animo, ut eum ditiores reddat &c. sed ut pro Principe strenue decertet.

II. Ex Sacris literis & PP. constat, Deum peculiari misericordia & benevolentia eos prosequi, quibus confert auxilia prævisa congrua & efficacia, quali non prosequitur illos, quibus dat pure sufficientia, & hoc ideo quia illis non solum dat posse, sed etiam ipsum velle & operari, quod istis non dat, igitur propterea est in illos specialiter beneficus & misericors Deus, quod hujusm. auxilium sciens ac volens illis seligat ex intentione boni usus; *sciens* quidem, quia vidit per scientiam mediam sub hoc auxilio consensus conditionate futurum, adeoque auxilium habiturum effectum, si daretur; *volens*, quia est in ejus beneplacito, ut illud det, vel non det, cum enim scientiam mediam habeat de consensu & dissensu creaturæ sub variis auxiliis, posset dare, si vellet, auxilium, sub quo vidit dissensum. Unde recte sentimus cum Augustino dicente: *Cujus miseretur Deus: sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*, eligendo nempe modum vocandi, quem prævidet efficacem; & cum Apostolo: *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Etenim discernere, accipere, misereri, rationem specialis beneficii habet spectato conferente, ut ex terminis elucet.

Dissolvuntur argumenta Adversariorum.

Oppon. I. contra *imam* partem assert. Tunc gratia efficax ut est 199
 medium Divinæ providentiæ, non constituitur per scientiam me-
 diam, quando Deus dependenter a sola scientia simplicis intelligen-
 tiæ potest efficaciter decernere, quidquid in signo hujus scientiæ vi-
 det possibile esse, atqui Deus in signo hujus scientiæ videt esse pos-
 sibilem consensum creaturæ, ergo. M. probat. Deus visa possibili-
 tate cujusvis rei, potest absolute decernere existentiam cujusvis rei,
 sic enim decrevit existentiam mundi, solis &c. ergo etiam potest
 decernere existentiam consensus liberi. Et vero si in potestate no-
 stra est, intellecta sola possibilitate auxilii indifferentis, conjungere
 illi nostrum consensum, vel etiam dissensum, cur id non foret in
 potestate Dei, qui in sua potestate magis habet nostras voluntates,
 quam nos ipsi; proinde sola pralucente scientia simplicis intelligen-
 tiæ potest decernere consensum &c. II. Deus per scientiam simplicis
 intelligentiæ prouidet auxilium esse sufficiens ad obtinendum consen-
 sum, ergo ad providam collationem auxilii, non requiritur scientia
 media de consensu. Conf. probat. Ad providentiam Dei pertinet
 relinquere hominem in manu consilii sui, secundum illud Eccli. *Re-*
liquit illum in manu consilii sui; atqui ad providentiam Dei sufficit
 per scientiam simplicis intelligentiæ prouidere auxilium esse sufficiens,
 ergo. Adde: quod alias sequeretur, Deum non posse provide
 conferre gratiam efficacem, nisi præconsulta & explorata volunta-
 te nostra, quod adversatur Concilii Arauscani II. canoni IV. defi-
 nientis: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum*
expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per S.
Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri consitetur, resistit
ipsi Spiritui S. per Salomonem dicenti: præparatur voluntas a
Domi no, ergo.

sz. ad I. Dist. M. Tunc gratia efficax ut est medium &c. si 200
 non simul videat oppositum esse possibile & quidem alienæ libertati,
 nempe creatæ C. M. si simul videat oppositum esse creatæ libertati
 possibile N. M. sic cum proportionem distincta m. n. conf. Hoc ipso enim
 quod Deus per scientiam simplicis intelligentiæ supercomprehendat
 libertatem creatam, videt per eandem scientiam non modo consen-
 sum, verum etiam dissensum sub quovis indifferente auxilio esse pos-

fibilem per dicta Num. 197. Quare ut una ex parte consulat libertati creatæ, ex altera autem infallibiliter obtineat consensum liberum, debet per scientiam mediam prævidere, quid libertas creata collato hoc, vel illo auxilio indifferente ageret; & si videt consensum sub aliquo auxilio determinato futurum, potest citra læsionem libertatis, & periculum frustrationis decernere. Ad prob. dist. ant. Deus potest absolute decernere existentiam cujusvis rei possibilis, quæ Deo ipsi est immediate libera c. ant. etiam illius, quam vult creaturæ esse immediate liberam n. ant. & conf. Ad additum dico: quod idem actus voluntatis nequeat esse duobus agentibus liberis *immediate* liber. Cum igitur consensus vel dissensus sub aliquo auxilio indifferente sit creaturæ immediate liber in genere determinativo & electivo, non potest Deo immediate esse liber in hoc genere; quia tamen non obstante scientia media de consensu sub auxilio indifferente futuro, potest creaturæ non conferre auxilium prævisum efficax, vel eam non producere, aut ei tollere omnem libertatem, vel non concurrere cum creatura, actus creaturæ in genere causæ effectivæ est Deo immediate liber, vel potius possibilis, hacque ratione salvatur, quod Deus sua in potestate magis habeat voluntates nostras, quam nos ipsi per Num. 149 & sequ. præcipue in præsentī providentiā, in qua nulla creatura videtur omnibus auxiliis indifferentibus sibi dabilibus consensura, aut dissensura. Interim cum Deus actus nostros salutare nos immediate liberos esse velit, hoc ipso non potest eorum existentiam infallibiliter decernere, nisi prius videat conditionatam determinationem voluntatis nostræ gratia superna adjunctæ ad eos ponendos, secus nostram libertatem læderet, aut certe frustrari posset effectu absolute intento, nempe consensu. Unde, ut dicitur Dissert. III. actus *immediatus* proximus libertatis Divinæ ad decernendum seu prædefiniendum actum creaturæ liberum ut liberum, constituitur per scientiam mediam de futuritione conditionata actus liberi.

201

Hic igitur observ. Deus ante scientiam mediam dependenter a sola scientia simplicis intelligentiæ nequit facere hoc decretum: *Volo absolute & efficaciter, ut Petrus sub aliquo auxilio indifferente eliciat consensum & quidem salva libertate consensus.* Ratio est I. Quia cum secundum dicenda Dissert. nunc memorata, qualibet creatura metaphysice & absolute loquendo, possit dissentire omnibus au-

xiliis indifferentibus sibi dabilibus, posset Petrus metaphysice loquendo dissentire & prævideri dissensurus omnibus auxiliis indifferentibus sibi dabilibus, ac proinde dissentiendo auxiliis omnibus, posset frustrari dictum decretum, seu prædefinitionem Dei absolutam & efficacem, ac adversus voluntatem Dei efficacem prævalere, si videret Petri libertatem illasam vellet; cum igitur decreta Dei efficacia sint essentialiter & metaphysice infrustrabilia, repugnat ut Deus ejusm. prædefinitionem faciat independentem a scientia media. II. Supposito dicto decreto, Petrus nequit ponere consensum liberum quoad *substantiam*, seu ita ut stante eo decreto possit simpliciter omittere consensum, licet possit ponere liberum quoad *modum*, seu ita, ut consensum, quem necessario poneret simpliciter & sub aliquo auxilio, posset ponere sub auxilio indifferente hoc potius, quam alio. Posito enim ante scientiam mediam dicto decreto, utpote inimpedibili a Petro & essentialiter ac absolute connexo cum consensu ponendo sub aliquo auxilio dando, Petrus necessario necessitate antecedente ac inimpedibili poneret consensum quoad substantiam sub aliquo indeterminate auxilio ita, ut sub omnibus collective sibi datis non posset omittere consensum, quamvis libere poneret quoad modum, prout nimirum liberum ei foret, ponere potius sub auxilio v. g. A, quam B, vel C. Unde a fortiori nequit Deus facere hoc decretum: *Volo absolute & efficaciter, ut Petrus ponat consensum sub aliquo auxilio indifferente, si in signo posteriore ad hoc decretum per subsequam scientiam mediam videro aliquod efficax fore; si autem nullum indifferens viderem efficax, volo ut eliciat sub necessitante liberum consensum, dummodo videatur reipsa aliquod indifferens fore efficax & illud conferatur Petro.* Ratio cur ejusm. decretum fieri nequeat, partim ex dictis patet, partim ex Tract. de Deo repeti debet, ubi de prædefinitione independente a scientia media agi solet.

Neque dixeris. Decretum prædefinitivum consensus liberi sub auxilio A indifferenti independens a scientia media, non est necessarium ad existentiam consensus, est principium solum remotum ipsius consensus, non ingreditur actum *immediatum* proximum ad consensum, & relinquit omnia constitutiva illius indifferentia, ergo potest Deus prædefinire dicto modo consensum, haberique auxilium entitative indifferens, prout infallibiliter illativum consensus *liberi* independentem a scientia media.

203

Nam *n.* dist. ant. Decretum prædefinitivum &c. faceret tamen, ut libertas creata nulla ratione cum auxilio absolute collato posset componere omissionem consensus *c.* ant. hoc non faceret *n.* ant. Etsi enim auxilium entitative sumptum foret indifferens, & decretum prædefinitivum consensus esset principium præcise remotum, nec ingrederetur actum *imum* proximum, quia tamen creatura cum auxilio independenter a scientia media collato non posset componere omissionem consensus, læderetur libertas. Quod autem non posset componere omissionem consensus cum auxilio sic collato, patet: non enim pro sensu composito decreti prædefinitivi, quia secus hoc esset frustrabile, vinceretque creatura efficacem Dei voluntatem, quod admitti nequit; non pro sensu diviso, quia hoc decretum utpote antecedens omne exercitium libertatis creatæ etiam conditionatum, impediri non posset a creatura. Ex quo sequitur, quod ad hoc, ut Deus sit proxime potens prædefinire consensum creaturæ liberum, debet prævie cognoscere, quid futurum esset, si hoc vel illud auxilium, in his vel illis circumstantiis ei conferret. Dein falsum est, quod stante prædefinitione independente a scientia media, actus *imus* proximus libertatis creatæ indifferens sit ad consensum & omissionem illius, quia adesset principium antecedens omne exercitium libertatis creatæ essentialiter connexum cum consensu, adeoque inimpedibile a creata libertate, utpote independens a scientia media, sicut de decreto prædeterminante & concomitante diximus, quod pariter AA. dicunt non ingredi actum *imum* proximum, attamen tollit libertatem. Verbo: dictum decretum connectit inimpedibiliter auxilium conferendum cum consensu, & excludit decretum indifferenter applicativum omnipotentiae Dei. Primum constat ex modo dictis, alterum ostenditur inde: quia necessarium est, ut omnipotentia Dei solum ad consensum applicetur, & denegetur omnis concursus ad dissensum, vel omissionem consensus, ne creatura dissentiendo auxilio *falsificet*, frustretur & superet decretum efficax de consensu eliciendo.

204

Ad II. Dist. ant. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ prævidet auxilium esse sufficiens ad obtinendum consensum, ita ut sciat infallibiliter futurum consensum *n.* ant. ita ut duntaxat prævideat possibilem esse æque consensum, ac dissensum vel omissionem consensus *c.* ant. & *n.* conf. Ad probat. Dist. M. Ad providentiam Dei &c.

&c. si hæc præcise respiciat libertatem hominis Trans. M. si hæc respiciat simul requisita ad potentiam proximam conferendi auxilium & obtinendi infallibiliter consensum N. M. Sic distincta m. n. conf. Quamvis enim Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, videat auxilium esse sufficiens, nihilominus non videt sub auxilio indifferente determinate futurum consensum. Hinc etsi spectata præcise libertate creaturæ, sufficeret conferre auxilium complens potentiam libertatis, non sufficit tamen spectata providentia Divina, de cujus essentia est, intendere finem per media proportionata; secus fortuito & cæco modo operaretur. Ad additum dico: Deum non posse conferre efficacem gratiam, nisi præconsulta voluntate nostra, id est: nisi præviso ejus consensu conditionate futuro, ut constat ex dictis. Nec propterea nostram voluntatem expectat Deus, *ut purgari velimus*, quia tunc proprie expectaret voluntatem nostram, si gratiam supernam noller, vel non posset conferre, nisi post actum aliquem prævisum, aut elicitum solis naturæ viribus, gratiæ meritorium, ut volebant Semipelagiani. Consule Num. 125. §. II.

Oppon. contra adam partem assert. I. Gratia efficax potest esse speciale beneficium respectu creaturæ, etsi non involvat decretum specialiter benevolum, ergo. Ant. prob. Ut quis alteri injuriam inferat ex affectu specialiter malevolo non requiritur e. g. ut sit mala & noxia affecto injuria, sed sufficit, quod reipsa sit injuria, & inferens injuriam hoc cognoscat, ergo etiam &c. II. Decretum specialiter beneficium non minus ac decretum physice prædeterminans tollit formalem ac immediatam libertatem creaturæ in statu absoluto, ergo. Ant. prob. Ideo hanc evertit decretum physice prædeterminans, quia est principium antecedens consensum absolutum, simulque essentialiter connexum cum consensu absoluto, sed tale etiam est decretum specialiter beneficium, cum sit decretum collativum auxilii, adeoque antecedens; est præterea efficaciter intentivum consensus, proinde essentialiter connexum cum consensu, ergo. III. Ut salvetur libertas creata in statu absoluto, non sufficit, quod decretum specialiter benevolum possit creatura impedire, sed præterea requiritur, ut cum ipso auxilio per hoc decretum collato possit componere dissensum, sed hoc fieri non potest, ergo. Prob. m. Licet decretum physice prædeterminans partialiter non constitueret actum *imium* proximum, stante tamen ejusm. decreto, creatura nequit au-

auxilium sufficiens constitutum actus *in* proximi componere cum dissenſu, ergo etiam &c. Conf. prob. Ideo primum, quia ipſum auxilium ſufficiens licet de ſe indifferens, per decretum prædeterminans determinate & eſſentialiter connectitur cum conſenſu ſaltem ab extrinſeco, atqui etiam auxilium connectitur cum conſenſu per decretum ſpecialiter beneficium, ergo &c.

206

¶ ad I. Diſt. ant. Gratia efficax poteſt eſſe ſpeciale beneficium ſolum materialiter & eſſective tale c. ant. etiam formaliter & affective tale, de quo hic fermo eſt, n. ant. Nam ad affective ſpeciale beneficium requiritur, ut illud quis conferat animo ſpecialiter benefico, id eſt: ſciens ac volens, intendatque commodum accipientis; ſecus etiam, qui abiecit ſuas opes in via, præſtaret ſpeciale beneficium, ſciens inventori fore utiles, licet nec ex intentione utilitatis illius abjiceret. Ad prob. Trans. ant. n. conf. Ratio diſpar patet e vulgari axiomate: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu*. Nam ut actus evadat moraliter malus v. g. malitia injuriæ, non requiritur, ut ſignate feratur in objectum malum, qua malum eſt, ſeu ex motivo inhonestatis, ſed ſufficit, ut cognoscatur eſſe vetitum, etſi ex motivo alio v. g. puræ delectationis ponatur, ut docetur in Tract. de Actibus humanis. At vero ut actus ſit poſitive honeſtus & bonus moraliter, debet ipſam honeſtatem objectivam pro motivo habere; atque adeo ut actus ſit moraliter bonus bonitate beneficentiæ, ſeu ſpecialis beneficii, fieri debet ex motivo beneficentiæ, videlicet ob utilitatem accipientis beneficium.

207

Ad II. N. ant. ad prob. Diſt. M. & ſimul quia eſt inimpedibile a libertate creata C. M. impedibile N. M. ſic diſtincta m. n. conf. Inter hæc duo decreta non modicum diſcrimen intercedit. Etenim decretum prædeterminans Thomiſtarum, eſt principium immediatum actus & eſſentialiter requiſitum; beneficium eſt principium ſolum remotum, quia eſt cauſa cauſæ, nempe auxilii, & ſolum per accidens præſuppoſitum, cum idem auxilium entitative acceptum conferri poſſet per decretum pure indifferens. Prædeterminans dependet a ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, adeoque perinde ac iſta impediri non poteſt, beneficium vero dependet a ſcientia media de actu ſub eodem auxilio conditionate futuro, perinde igitur ac actus impediri poteſt.

Hic ruruſum obſerv. pro hac aliisque difficultatibus I. Licet decretum beneficium, item prædeſinitio abſoluta & efficax actus ſalu-

taris, tanquam principium remotum, & non necessarium, sed solum per accidens præsuppositum, ordine causalitatis præcedat potentiam creaturæ *ut existentem absolute*, attamen non lædit libertatem in statu absoluto, quia & dictum decretum, & prædefinitio est impedibilis sub eodem actu *imo* proximo per conditionatum exercitium libertatis creatæ, seu per dissensum conditionatum, quod exercitium in recto & entitative non distinguitur ab exercitio absoluto hujusmodi libertatis. Et vero cum potentia proxima voluntatis creatæ in statu absoluto non indigeat decreto benefico, & prædefinitione, minus per hanc & illud constituatur, atque adeo ab hac & illo plene præscindat (uti etiam a scientia media seu de consensu, seu de dissensu) eademque potentia sit indifferens ad actum, vel non actum, potest etiam in hoc statu absoluto omittere consensum, hoc omisso impedire scientiam mediam de consensu, & consequenter impedire prædefinitionem actus, quæ sine hac scientia fieri non potest, ut dictum ad calcem Num. 200. & alibi. Unde clarum est, quod voluntas creata etiam in statu absoluto, & prout jam habens absolute actum *immo* proximum dependenter a decreto benefico & prædefinitione sibi collatum, adhuc possit omittere actum prædefinitum *potentia antecedente* suum exercitium seu determinationem conditionatam ad consensum, & pro *sensu diverso* prædefinitionis & decreti benefici, impediendo nempe per dissensum scientiam mediam de consensu, a qua pendet prædefinitio, atque ita impedita scientia media de consensu, impedire prædefinitionem, & decretum beneficum: neque enim prædefinitus fuisset actus salutaris liber, si præcessisset scientia media de dissensu. Non potest tamen voluntas eundem actum omittere *potentiaco* *sequente* exercitium conditionatum, & pro *sensu composito* prædefinitionis; quia sic deberet posse conjungere consensum cum dissensu, quod fieri non potest. Vide Num. 175. & 178.

Observ. II. Quod prædefinitio actus salutaris, tanquam principium *remotum*, & *non necessarium* ad actum, antecedat actum prædefinitum solum *secundum quid*, non autem *simpliciter*, quia absolute loquendo consequitur actum prædefinitum pro signo scientiæ mediæ logice & conditionate existentem nempe in statu conditionato, licet pro signo status absoluti existentem per *accidens* præcedat. Dum enim actus seu consensus conditionate futurus sit prior scientia media, utpote hujus objectum seu determinativum,

& prædefinitio sit posterior scientia media, cum hæc a scientia media dirigatur, & consensus conditionate futurus sit omnino idem cum consensu absoluto in recto & in re (in casu, quo impleta, seu purificata conditione exiit consensus absolute) sequitur etiam hunc consensum absolutum esse priorem scientia media & prædefinitione, nempe logice & subsistendi consequentia. Atque in hoc fundatur impedibilitas prædefinitionis actus salutaris per voluntatem creatam etiam in statu absoluto, collato auxilio, sub quo prævidebatur actus conditionate futurus; si enim collato auxilio non sit consensus seu actus absolute, non fuit pro signo priore & ab æterno conditionate, & sic non fuit scientia media de consensu; impeditaque prædefinitio, decretum specialiter beneficum.

Ad III. Dist. M. requiritur, ut cum ipso auxilio entitative sumpto possit componere dissensum C. M. cum auxilio ut affecto, seu ut substante decreto specialiter benefico N. M. sic distincta m. n. cons. Ad prob. c. ant. n. cons. Ad hujus prob. Dist. M. quia essentialiter connectitur cum consensu & quidem inimpedibiliter C. M. solum impedibiliter N. M. sic distincta m. n. cons. Ad libertatem sufficit, quod principia proxima entitative sumpta sint componibilia cum dissensu, & remota ac per accidens solum addita, impediri possint eadem potentia proxima, qua ponitur actus; si vero impediri non possent, istorum carentia deberet constituere potentiam proximam ad actum. Nos utrumque salvamus: nam auxilium, quod est principium proximum actus salutaris entitative sumptum, est componibile cum dissensu, & hoc præcise modo acceptum (non vero ut est affectum decreto specialiter benefico) constituit potentiam proximam per Num. 179. quia secundum solam entitatem immediate influit; decretum vero benevolum, quod est principium remotum, est impedibile. At vero gratia physice prædeterminans, natura utique prior consensu salutari, entitative accepta non est componibilis cum dissensu & decretum prædeterminans, uti etiam gratia prædeterminans, est principium immediatum, & quidem necessario essentialiter requisitum, & omnino inimpedibiliter mutuo & determinate connexum cum actu, ut suis locis demonstratum est.

Oppoz. IV. Decretum specialiter benevolum (id ipsum dici potest de prædefinitione) est inimpedibile a voluntate creata, ergo hoc decretum lædit libertatem creatam saltem in statu absoluto.

Ant. prob. *1mo*: quia est soli Deo liberum. *2do*: quia si posset impediri, tunc posset impediri impedita scientia media, a qua dirigitur; hæc autem non potest impediri, nisi per dissensum absolutum, atqui per hunc non potest impediri utpote posteriorem, & qui sicut auxilium ex parte actus *1mi* proximi, ita etiam scientiam mediam, sine qua auxilium provide conferri non potest, supponit. *3tio* quia decretum specialiter beneficium est principium antecedens consensum absolutum, simulque essentialiter connexum cum consensu; item *directe* impediri nequit a voluntate creata, quod tamen requiritur ad salvandam libertatem creatam in statu absoluto. Denique stante hujusm. decreto, voluntas non potest in statu absoluto dissentire, alioquin non posset solum decretum impedire, sed etiam frustrari, ergo.

2d. ad IV. n. assertum. Rationem *1mam* dist. Est soli Deo liberum immediate, & quoad actum *2dum* c. est soli Deo liberum simpliciter etiam quoad actum *1mum* n. Ut Deus provide simul & ex affectu benevolenti gratiam possit conferre, debet per scientiam mediam prævidere, quod creatura dato sibi hoc auxilio potius consentiret, quam non; adeoque actus *1mus* proximus libertatis Divinæ ad faciendum decretum benevolenti, constituitur per scientiam mediam de consensu sub conditione auxilii indifferentis ponendo a creatura, hanc vero scientiam de consensu per liberum dissensum creatura impedire potest, & sic impedire actum *1mum* proximum libertatis Divinæ ad faciendum dictum decretum, & per consequens ipsum etiam decretum. Eodem modo prædefinitio actus impediri potest, nempe *indirecte* & *illative*. Ut vero Deus in actu *2do* re ipsa conferat auxilium ex efficaci intentione boni usus, vel actum salutarem prædefiniat, id liberum est soli Deo.

Ad *2dam* *2d.* n. quod scientia media de consensu non possit impediri per dissensum absolutum, quia ideo solum datur ab æterno scientia media de consensu conditionato, quia revera sub hoc auxilio erit consensus absolutus in tempore, futura scientia media opposita de dissensu, si sub hoc auxilio sit dissensus absolutus ponendus. Unde etiam nullus actus *1mus* proximus constituitur per auxilium prout substans scientiæ mediæ, sed entitative sumptum; nihil igitur obest, quod aliqua scientia media præcedat.

Ad *3tam* dico: decretum benevolenti esse impedibile a voluntate creata; etsi enim sit aliquod principium, nempe remotum &

per accidens antecedens consensum absolutum, simulque cum hoc essentialiter connexum, attamen pendet a scientia media de consensu sub eodem auxilio conditionate futuro, igitur non minus, atque ipsa scientia media, est impedibile a voluntate creata. Falsum autem est, ad salvandam libertatem in actu absoluto requiri, ut principia remota, cujusmodi est decretum benevolum, essentialiter connexa cum consensu, per dissensum absolutum, *formaliter & directe* possint impediri, sed sufficit, quod totus actus *immo* proximus absolute existens sit entitative componibilis cum utroque extremo libertatis, adeoque sit idem cum actu *immo* proximo conditionato, & principia remota per dissensum absolutum *indirecte & illative* sint impedibilia, ut supra dixi. Postremum dist. voluntas non potest in statu absoluto dissentire potentia consequente suam determinationem liberam ad consensum, & pro sensu composito existentiae hujus decreti c. potentia antecedente suam liberam determinationem ad consensum & pro sensu diviso existentiae ejusdem decreti n. Non potest, inquam, voluntas creata dissensum cum hoc decreto conjungere, potest tamen per dissensum idem decretum a se dividere, adeoque solum impedire, non item frustrari, quod requiritur & sufficit ad libertatem in statu absoluto salvandam.

211

Oppon. V. Decretum collativum auxilii, per quod gratia efficax in ratione specialis beneficii partialiter constituitur, habet hunc modum tendendi: *confero Petro auxilium A praevisum efficax, quia efficax, ita ut neque hoc, neque ullum aliud eidem esse collaturus, si praevideretur inefficax*, sed hoc decretum laedit libertatem creatam in statu absoluto, ergo. Prob. m. stante hoc decreto excluditur simpliciter liber dissensus tam pro sensu composito, quam diviso hujus decreti in statu absoluto, sed hoc ipso laedit libertatem, quia ad libertatem creatam requiritur, ut creatura pro suo arbitrio possit ponere consensum, vel dissensum, ergo. M. hujus syllogismi declaratur: in primis pro sensu composito dicti decreti simpliciter excluditur dissensus in statu absoluto, a quo dependenter decreto conferretur gratia essentialiter illativa consensus, ut est evidens; quia alias creatura frustraretur efficacem Dei intentionem, & scientiam falsificaret, utrumque tamen repugnat; dein etiam pro sensu diviso decreti: quia si auxilium *A* praevideretur esse inefficax, Petro nullum prorsus conferretur auxilium, ut patet ex modo tendendi decreti,

ti, qua igitur ratione posset dissentire Petrus auxilio non existenti? VI. Si Deus foret specialiter beneficus propterea, quod conferat auxilium prævisum efficax ex efficaci intentione boni usus, vi hujus benevolentiae sic foret affectus Deus, ut licet omnia auxilia indifferentia viderentur conditionate fore inefficacia, vellet tamen dare auxilium ab intrinseco efficax, sed hoc admitti nequit, quia ejusm. affectus læderet libertatem creatam, ergo M. prob. efficax & absoluta intentio finis, est saltem virtualis electio mediorum, sine quibus obtineri finis minime potest, atqui in affectu specialiter benefico continetur intentio efficax & absoluta finis, nimirum consensus, igitur esset saltem virtualis electio mediorum, sine quibus finis minime obtineri potest, sed si omnia auxilia indifferentia viderentur conditionate fore inefficacia, non essent alia media ad obtinendum consensum, quam auxilia ab intrinseco efficacia, ergo. VII. Non lædit libertatem hoc decretum Divinum: *Si videro Petrum consensurum auxilio indifferenti A, dabo illi hoc auxilium, daturus necessitans, si videro dissensurum*, ergo pariter non lædit libertatem decretum colliativum auxilii sic conceptum: *Do Petro auxilium A, prævisum efficax, secus nec hoc, nec aliud daturus, si præviderem auxilium esse inefficax.* Ant. prob. 1mo: quia actus salutaris sub auxilio A, ita poneretur, ut posset omitti. 2do: totus actus unus proximus esset indifferens. 3tio: auxilium necessitans quod non est, sed tantum esset, non potest tollere libertatem, ergo.

ꝛ. ad V. N. M. nam per ejusm. decretum læderetur libertas 212
creata, ut recte probat positum argumentum. Nec juvat dicere: Licet stante illo decreto Petrus post prævisum conditionatum consensum non sit absolute dissensurus, posset tamen absolute dissentire spectata entitate auxilii constituente actum *unum* proximum. Nam ꝛ. falsum esse, quod posset in statu absoluto dissentire, etsi nunquam dissensurus sit; secus enim posset etiam frustrari, & fallax reddere decretum Dei efficax, etsi nunquam frustraturus sit, quod profus absurdum. Et vero quomodo posset dissentire Petrus in statu absoluto, cum vi prædicti decreti neque auxilium A, neque ullum aliud haberet in statu absoluto, si auxilium A, prævideretur inefficax, seu si prævideretur dissensus Petri cum auxilio conjungendus? impossibile enim est, ut Petrus possit absolute dis-

sentire auxilio non existenti, atqui stante illo decreto, prævisio per scientiam mediam dissensu, omne auxilium inefficax pro statu absoluto simpliciter excluderetur, ergo etiam potentia dissentiendi excluderetur, adeoque nulla foret in statu absoluto pro sensu diviso dicti decreti. Unde decretum, vi cuius Deus esset specialiter beneficus auxilium efficax conferendo, nequit habere prædictum modum tendendi; sed ad summum potest hunc habere: *Do Petro auxilium A, quod video fore efficax, daturus aliud ex innumeris aliis, si istud videretur inefficax; vel: Do Petro auxilium A, prævisum efficax, & prædefinitio consensus, daturus aliud efficax, si hoc foret inefficax, nihil decernendo, quid essem facturus, si omnia auxilia forent inefficax.* Vel: *Do Petro auxilium A, prævisum efficax, daturus etiam istud, quavis videretur inefficax sed omissurus prædefinitioem consensus.* Ratio est: quia quemcumque ex his modum tendendi concesseris dicto decreto, salvatur inprimis ratio specialis beneficii: quia etsi conferret auxilium efficax hoc affectu, quod illud esset collaturus, licet prævideretur inefficax, tamen foret specialiter beneficus h. i. quod in his circumstantiis consequenter ad scientiam mediam de bono usu auxilii, absolute prædefiniat operationem salutarem, & seligat auxilium, sub quo in his circumstantiis infallibiliter illa sequetur. Salvatur etiam libertas creata: quia pro statu absoluto, nec excluderetur simpliciter dissensus, nec *omne* auxilium, cum daretur Petro aliquid auxilium prævisum inefficax vel per istud ipsum decretum (quod tamen non foret specialiter beneficum) vel per aliud indifferens.

Ad VI. N. M. Nam quando Deus absolute efficaciter decernit dare auxilium natura sua indifferens prævisum efficax, in signo priore rationis ad decretum absolutum, videt per scientiam mediam quamlibet creaturam innumeris auxiliis conditionate consensuram, innumeris aliis dissensuram conditionate; si igitur prælucente ea scientia decernit auxilium, cui videt conditionate illam consensuram, quæ, oro, necessitas fingendi in Deo dictum affectum ad conferendum auxilium ex natura sua efficax, vel physice prædeterminans, aut quodcumque aliud necessitans? Sane finem efficaciter intentum obtinet Deus citra memoratum affectum, simulque salvatur specialis illius benevolentia, quod ex prævisis efficacibus auxiliis conferat potius, quam ex prævisis inefficacibus.

Ad VII. N. M. prob. *imam* dist. posset actus salutaris omitti 213
 determinate quoad circumstantiam auxilii A indifferentis c. indeter-
 minate, simpliciter & quoad substantiam n. Verum quidem est,
 quod si Petrus per scientiam mediam videbitur consensurus au-
 xilio A, illud acquireret, eique consentiet *libere* quoad hanc *cir-*
cumstantiam, non tamen libere quoad *substantiam actus*, quem
 nunquam posset simpliciter omittere. Si enim prævideretur dissen-
 surus, obtineret necessitans, sub quo omnino deberet ponere actum
 salutarem, quia allatum decretum sic fingitur tendere: *daturus*
necessitans, si videro d'ssensurum: si igitur apposita conditio puri-
 ficetur, infertur auxilium necessitans.

2dam probat. n. quia illud decretum antevergens Petri exer-
 citium, elidit decretum applicativum omnipotentia indifferentis; item
 ex parte actus *imi* proximi non datur carentia principii antece-
 dentis inimpedibilis & essentialiter connexi tantum cum actu, quod
 est decretum a scientia media independens quoad sui existentiam.

3tiam probationem dist. potest tamen tollere libertatem & re-
 ipsa tollit decretum ipsum, inevitabiliter inferens consensum quo-
 ad substantiam secluso dissensu c. non tollit hoc decretum n. E
 quibus confirmatur, decretum in consecutione allatum lædere liber-
 tatem, cum non minus inferat consensum quoad substantiam ex-
 cluso simpliciter dissensu.

Pro diluendis objectionibus observ. I. Et si Deus non habeat, 214
 nec possit habere hoc decretum collativum auxilii efficaci in presenti
 providentia: *Do creaturæ auxilium efficax, quia efficax, secus neque*
hoc, nec ullum aliud daturus, nihilominus specialem benevolentiam
 creaturæ exhibet, quod viso per scientiam mediam actu salutari
 sub auxilio indifferente, prædefiniat actum, & ad eum obtinendum
 seligat auxilium prævisum efficax, adeoque sciens, ac volens inten-
 dit efficaciter bonum creaturæ, & cum intentione hujus boni con-
 fert auxilium, sub quo illud bonum infallibiliter sequetur, cum ta-
 men posset dare auxilium inefficax, omittere prædefinitionem, &
 permittere omissionem actus; vidit enim per scientiam mediam
 creaturam sub certis auxiliis eundem actum salutarem conditionate
 omitturam.

II. Prædefinitio actus salutaris pendens a scientia media, non
 ideo *præcise* non lædit libertatem creaturæ, quia non ingreditur
 actum

actum *imium* proximum, sed ideo simul, quia est impedibilis per dissensum tum conditionatum, tum absolutum, & quidem ita, ut casu quo impediretur, non h. i. excludatur a statu absoluto principium aliquod potentiae proximae constitutivum. Hinc ab hujusm. praedefinitione non potest duci paritas ad decretum, de quo egi Num. 211. §. V. Illud enim decretum etsi pendere dicatur a scientia media & actum *imium* proximum non constituere, quia tamen per solum dissensum conditionatum impedibile est, & quidem ita, ut casu quo impediretur, h. i. simul excluderetur a statu absoluto principium aliquod potentiae proximae constitutivum (excluderetur enim *omne* auxilium indifferens ad potentiam proximam necessario requisitum) proinde in statu absoluto tollit libertatem, cum nec impediri possit per dissensum absolutum, nec dissensus maneat in potestate creaturae etiam pro sensu diviso decreti; sicut manet pro sensu diviso praedefinitionis; auxilium enim daretur creaturae, etsi foret inefficax.

III. Hoc decretum: *do Petro auxilium efficax A, quia efficax, secus nec hoc, nec aliud daturus*, tametsi supponas concipi post signum scientiae mediae de consensu libero Petri conditionate futuro sub auxilio A, tamen laedit libertatem in statu absoluto, licet ea in & pro statu conditionato maneat. Paritatem cape ab auxilio necessitante, aut physica praedeterminatione ad consensum, quae etsi decerneretur post scientiam mediam consensus sub auxilio indifferente, laederet libertatem in statu absoluto.

IV. Decretum collativum auxilii praevisi efficacis nequit habere hunc modum tendendi: *Do creaturae auxilium, A, praevisum efficax, quia est efficax, non daturus si foret inefficax*. Ratio est I. quia ejusmodi locutio significaret, ideo Deum conferre hoc auxilium, quia praevidit consensum conditionatum, adeoque per consensum conditionatum, offerri Deo rationem motivam, vel meritoriam illud creaturae dandi, quod est Semipelagianum. Dicunt quidem utentes hac loquendi formula; se per particulam *quia* nolle significare rationem motivam, vel meritoriam, sed praecise conditionem. Si ita? tollant illam causalem, ne Semipelagianis favere videantur, dicendo: Deus dat auxilium praevisum efficax. II. quia videtur facere hunc sensum: *nec auxilium A, nec ullum aliud daturus, si omnia alia fo-*

rent

rent inefficacia; proinde a statu absoluto simpliciter & inimpedibiliter excluderetur dissensus per decretum unice collativum auxilii prævisi efficacis, ut argumentum Num. 211. positum demonstrat. Præterea nequit hunc postremum sensum habere: nam Deus in præsentia providentia neminem mortalium, quamdiu est in statu viæ, destituit auxiliis sufficientibus ad salutem necessariis, unde conferendo auxilium efficax, non confert affectu denegandi omne aliud, si unum videretur inefficax, quia denegando omne auxilium tolleretur potentiam creaturæ salutem obtinendi & præcepta observandi. Denique non videtur congruere Deo etiam iste modus tendendi conditionatus: *De creaturæ auxilium A prævisum efficax, non daturus istud, sed aliud, si auxilium A videretur inefficax.* Ratio est: quia cum absoluta Dei decreta a scientia media dependant, qua Deus infallibiliter videt consensum conditionatum sub hoc & innumeris aliis auxiliis, non videtur congruum esse Deo, ut in signo decreti absoluti, illum conditionatum modum tendendi habeat. Interim a pluribus TT. admittitur: Deum posse habere hanc scientiam mediam reflexam: *Si viderem Petrum dissenturum auxilio A, hoc non darem illi, sed darem aliud, sub quo viderem consensurum;* ex supposito quod Deus per scientiam mediam directam, videat Petrum consensurum conditionate auxilio A. Verum has difficultates minutatim excutere, Tractatus de Deo sibi vendicat.

DISSERTATIO TERTIA.

D E

DISTRIBUTIONE ACTUALIS GRATIÆ.

Præsentem Dissertationem definiunt sequentia Quæsitæ.
 I. Utrum omnibus iustis detur gratia sufficiens ad observationem præceptorum? II. An conferatur fidelibus peccatoribus, etiam obduratis, gratia sufficiens ad conversionem? III. Utrum Deus omnibus infidelibus, etiam iis, qui laborant infidelitate negativa, det gratiam sufficientem ad fidem & salutem obtinendam? IV. Utrum omnibus

quoque parvulis provisum sit de sufficiente remedio ad salutem? V. An sit possibilis creatura, quæ prævideatur omnibus auxiliis indifferentibus consensura, vel dissensura? VI. Deciditur quæstio de autoritate S. Augustini in materia de gratia.

CAPUT PRIMUM.

Utrum omnibus justis detur gratia sufficiens ad observationem præceptorum?

215



Ræter gratiam efficacem dari sufficientem gratiam etiam in statu naturæ lapsæ, tanquam dogma fidei, priore Dissert. exposui adversus Lutherum, Calvinum, & Jansenium. Eo dogmate supposito, hic inquiritur: utrum justis conferatur gratia sufficiens, quæ videlicet *relative* ad præsentem eorum vires, & ad actualem illorum concupiscentiam, sufficientes ipsis conferat vires ad tentationes superandas & præceptum observandum, etiam quando istud transgrediuntur. Negat hoc Jansenius *Tom. III. Lib. III. de grat. Salvat. c. XIII.* ubi præmissa quadam S. Augustini doctrina, hæc commemorat: *Ex hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur & clarescunt. Primum quidem: esse quædam homini præcepta secundum statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia. Secundum: non adesse semper gratiam, qua possimus, hoc est: qua illa eadem præcepta implere sufficimus. Tertium: hanc impotentiam reperiri non solum in obcæcatis & obduratis & infidelibus, de quibus nunquam Augustinus, vel Ecclesia, sed solum Scholastici nonnulli ex humanis rationibus dubitarunt, sed etiam fidelibus & justis. Quartum: hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. Et subinde addit: Nihil in S. Augustini doctrina certius, ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus excæcatis & obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus & committibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia;*

lia; deesse quoque gratiam, qua possibilea fiant; hoc enim S. Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra, quam possunt sustinere.

Ex hac doctrina Jansenii manifestum fit, etiam justos, qui præcepta Dei transgrediuntur, carere potentia, seu gratia sufficiente ad ea observanda, secundum ipsius principium. Docet quippe delectationem *vittricem* esse id, quod voluntatem reddit potentem sive ad bonum, sive ad malum, ita ut si delectatio cœlestis ad bonum prævaleat, desit in voluntate potentia ad male operandum; contra vero: ubi delectatio terrena ad malum sit major, desit potentia ad recte operandum, atque adeo, qui ob delectationem erga malum *vittricem* præcepta violat, caret potentia ad eorum observationem. Unde cum parva gratia, seu gradibus inferiore, ut vult Jansenius, justis secundum præsentem, quas habent vires, hoc est relative ad præsentem eorum vires, quædam præcepta fiunt observatu impossibilia: *Vigente enim*, inquit idem *Lib. IV. de grat. Salvat. c. IX. delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis & honestatis consideratio prævaleat.* Hos errores e lutulentis ac damnatis fontibus Lutheri, Calvini, Melancthonis, Chemnitii hausisse Iprenses, noster Ripalda *Tom. III. Disp. XXIII. sect. II.* ostendit.

A S S E R T I O.

Omnibus justis confertur gratia vere ac proprie sufficiens ad observanda præcepta Divina, adeoque nulla præcepta sunt justis impossibilia.

I. **H**Æc assertio continet doctrinam a Scripturis, CC. & PP. traditam. Inprimis 1. ad Corinth. 10. v. 13. legimus: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed jacet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* 1. Joann. 5. v. 3. *Mandata ejus (Dei) gravia non sunt.* Matth. 11. v. 30. *Fatum meum suave est & onus meum leve.* Quæ verba pertinent saltem ad justos, & sat aperte indicant, iis dari gratiam proxime, vel remote sufficientem, quacum possint, si velint, potentia etiam morali vincere tentationem, & observare

præceptum, dum urget. Et vero gravissimum esset jugum Dei, ejusque mandata, si eorum observatio nec in justorum potestate foret, nec vires, nec gratia sufficiens iis adesset, quibus relative ad præsentēs circumstantias, implendo mandata peccatum vitare possent. Adde: objurgationes, quæ non uno loco in sacris literis occurrunt adversus legis transgressores, fore ludicras, non secus ac objurgationem cæci quod non videat, cum potestate videndi sit destitutus.

II. Concilium Arausicanum II. can. XXV. definivit: *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Vide Num. 108. Et Trident. sess. VI. c. XI. *Nemo temeraria illa & a Patribus prohibita voce uti (debet) Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Hisce verbis Tridentinum docet: nulla Dei præcepta, licet iis vires naturæ sint impares, impossibilia esse hominibus justis, quia videlicet ad ea implenda, dum urget eorum obligatio, habent actua-lem gratiam proximè sufficientem, vel si hanc non habent, quod quandoque fieri potest, habent saltem remote sufficientem, quæcum implorare, ac orare possunt Divinam misericordiam, orandoque obtinere proximè & immediate sufficientem, quæ proinde, nisi sua culpa, non destituentur. Hic adverte: Jansenium c. XIII. *Lib. III. de grat. Salvat.* mala fide suppressisse hæc Concilii verba: *& adjuvat, ut possis*, quæ premittit se intelligebat; & simul interpolavit ipsum textum, dum ait: *Tridentinum de justificatis loquebatur, ut ostenderet, Dei præcepta justificato ad observandum non esse impossibilia, eo quod jubendo Deus monet petere, quod non possis, & si exaudiat, adjuvet, ut possis.* Istud: *si exaudiat*, fraudulenter adjecit Iprensis, veluti ad textum, vel ad sensum Concilii pertineret. Denique can. XVIII. ejusdem sess. sic pronunciat Synodus: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

III. Conciliis addere placet Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones, quibus propositio I. Jansenii: *Aliqua Dei præcepta &c.* damnatur 1mo: ut *temeraria*; quia contraria communi Catholicorum sensui. 2do: ut *impia, blasphema*; quia derogat Dei justitiæ, & fidelitati in promissis. 3tio: ut *heretica*; quia adversatur verbo Dei, & definitioni Ecclesiæ. Sensus porro I. propositionis in principiis Jansenii est iste: impossibilia esse mandata Dei justis gratia efficaci destitutis nempe impossibilia impossibilitate relativa ad præsentis, quas ex parva seu inferiore actuali gratia vires habent, igitur sensu contrario judicat Ecclesia, justis illis mandata Dei possibilia, possibilitate relativa ad præsentis eorum vires, quibus possint vel mediate, vel immediate suam actualem vincere concupiscentiam, ac mandata observare.

IV. Ex PP. unum Augustinum adduxisse suffecerit; cujus ad modum luculenta sunt hac super veritate testimonia, in quibus generatim docet, nemini impossibilia observatu esse Dei mandata; nemini, multo minus justis, deesse gratiam saltem orationis, qua possit uberius Dei auxilium impetrare. Sic *Lib. II. de peccat. merit. & remiss.* ait: *His, atque hujusm. aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, non Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse; ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus a Deo.* *Lib. de nat. & grat. c. XLIII.* Non igitur, inquit, Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Et c. *LXIX.* Eo ipso, quo firmissime creditur Deum justam & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. *Lib. de grat. liber. arbit. c. XVI.* ait: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: non juberet Deus, quod sciret non posse ab homini fieri. Quis hoc nesciat? sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus; atqui in sententia Jansenii juberet Deus, quod sciret non posse fieri ab homine v. g. justo. Qua enim ratione posset justus implere præceptum supernaturale, dum peccat? viribus duntaxat naturæ? at illud dicere, est Pelagianum. Viribus gratiæ? at omni gratia vere sufficiente destitutum affirmat Jansenius. Recte igitur Author *Lib. de**

fide contra Manichæos c. X. sive Augustinus, sive Evodius, sive quis alius: *Quis non clamet, stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere; & iniquum esse, cum damnare, cui non fuit potestas, jussa complere? Et has injustitias, & iniquitates, miseri non intelligunt, se Deo adscribere.* Fere exciderat illustre Augustini testimonium ex *Tract. XXVI. in Joan. Semel accipe & intellige: nondum traheris? ora, ut traharis.* Ex his patet, Jansenium graviter lapsum, dum ex aliis textibus S. Augustini perperam intellectis, suam primam proposit. exculpere contendit, ut noster P. Annatus, & Cl. Tournelyus erudire patefaciunt.

Respondetur Jansenio, ejusque affectis.

220 *O*ppon. I. Deus potest præcipere & præcipit impossibilia justo, etiam si desint vires, & gratia ad præcepta implenda, nam justus potest ea implere *remote*, nempe orando ut gratia uberius sibi conferatur. II. Etsi gratia ad orandum pro uberiore auxilio denegatur aliquando a Deo ob peccata præterita, saltem ob peccatum in Adamo contractum, quia tamen homo ob hæc peccata, redditur positive indignus hujusm. gratia, defectus gratiæ ad orandum & observandum præceptum necessariæ est imputabilis ei, unde etiam transgressio præcepti illi imputabilis est, atque adeo damnabiliter peccat in eo, quod necessario facit. Addunt Calvinus, Jansenius cum suis: quamvis homo defacto destituatur gratia ad orandum & implendum præceptum, nihilominus non desinit esse culpabilis propterea, quod impotentia ad orandum & observanda præcepta sit poena peccati originalis, & homini lapsio voluntaria in *causa*, videlicet in peccato Adami Capitis moralis. III. Tridentinum laudatum sat clare innuit: justos in iis circumstantiis aliquando versari, in quibus non possunt præceptum Dei observare; ait enim: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis*, ergo.

221 *Re.* ad I. n. assertum; ad rationem adjectam dico: quod in sententia Jansenii posse præcepta Dei implere *remote*, non sit posse proxime ponere orationem, ad quam conferatur gratia ad implenda præcepta, cum hæc sit doctrina Tridentini, ut liquet e dictis Num.

Num. 217. §. II. sed in sententia Jansenii, non secus ac in sententia Calvinii, posse remote, est profus idem ac posse conditio-
nate, in quantum si daretur gratia ad orandum, & Deus *exaudi-
ret* orationem, darentur voluntati vires ad implenda præcepta;
cum tamen *absolute* & in his circumstantiis majoris concupiscen-
tiæ voluntas neque habeat vires ad implenda præcepta, neque vi-
res ad orandum, atque adeo in Jansenii sententia, ita justus dicitur
posse implere remote præcepta, sicut cæcus dicitur posse re-
mote videre, in quantum si haberet potentiam visivam, posset le-
gere, cum tamen istud non sit in sua potestate. Quare sicut cæ-
cus injuste plecteretur, & immerito objurgaretur propterea, quod
non legeret, prout ei præcipitur, ita pariter in sententia Jansenii
injuste plecteretur, & immerito objurgaretur a Deo justus, qui
nec viribus, nec gratia pollet in his circumstantiis ad observanda
præcepta, nec ad impetrandam uberiores gratiam per orationem.

Ad II. dico: justificatum non posse dici positive indignum
gratia ob peccata præterita, cum in eo accepta justificatione nihil
damnationis maneat, ut loquitur Tridentinum. Dein quis audeat
dicere, Deum ob præterita peccata denegare justis auxilia gratiæ
ad orandum & ad præcepta observanda, adeoque ad salutem ne-
cessaria? illud quidem verum: Deum ob commissas culpas sæpe
negare justis congruas, efficaces ac speciales gratias, quas liberali-
ter collaturus esset, si culpæ non præcessissent; nunquam tamen
negare gratias ad perseverandum in justitia necessarias. Ad id,
quod Jansenius addit cum suis, & deo: hanc propositionem ordine
primam: *In statu nature lapsæ ad peccatum formale & demeri-
tum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cau-
sa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis*, ab Ale-
xandro VIII. damnatam esse. Consule Dominicum Vivam nomi-
natam propositionem impugnantem in *Trutina Theol. damnat. The-
sauri Part. I.* Et patet illius absurditas in exemplo: finge, quod
Rex Principem aliquem bonis omnibus exuerit ob crimen perduc-
tionis, & subinde eidem præcipiat, ut annis singulis centum au-
reorum millia dependat, minando ei mortem, si non obtemperet,
quamvis sit impotens id præstandi. Quis non argueret hunc Re-
gem Tyrannidis vel potius insanix? etsi enim culpa perducionis
factum sit? ut nequeat nunc dictos aureos numerare, quos cetero

roquin potuisset ; at posita actuali impotentia , non potest in his circumstantiis obligari ad id , quod exhiberi non potest in his circumstantiis.

Ad III. dist. assertum : Tridentinum innuit , justos in iis aliquando versari circumstantiis , in quibus non possunt proxime & immediate observare Dei præceptum c. remote & mediate , impetrando videlicet uberiores gratiam n. Vide , quæ supra diximus.

222 *Obpon.* IV. Justi dum violant præceptum Dei , non habent efficacem gratiam , atqui sola gratia efficax est vere sufficiens , & sine ea nihil boni fieri potest , ut ait Antonius Arnaldus nobilis Jansenii assecla , laudans in sua *Dissert. de grat. efficaci art. I III.* quosdam veteres Thomistas idipsum asserentes , ergo non omnibus justis confertur gratia sufficiens , etiam eo temporis , quo urget præceptum & pulsat tentatio. M. patet : quia gratia efficax infallibiliter conjungitur cum bono usu ; m. prob. ex *Tridem. sess. VI. can. XXII.* dicente : *Si quis dixerit , justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse , vel cum eo non posse , anathema sit* , ergo solum speciale auxilium est sufficiens , ut justificatus possit perseverare in accepta justitia , sed solum speciale auxilium est gratia efficax , quæ tamen non omnibus justis confertur secus non foret speciale auxilium , ergo. V. S. Petrus justus erat eo tempore , quo Christum negavit , atqui ei vel omnino defuit gratia , vel saltem non fuit sufficiens relative ad vincendam tentationem & ad implendum præceptum de Domino tunc confitendo , ergo. M. prob. ex illo *Joan. 13. v. 10. Vos mund estis , sed non omnes* , ubi Christus Judam excipit traditorem ; m. prob. ex SS. Patribus : Chrysostomus *hom. LXXVII. in Joan.* ait : *Cum assertioni suæ fervore quodam non staret Petrus , non quidem (Christus) impulit ad negandum , sed desertum reliquit , ut suam ipse intelligeret imbecillitatem - - - Neque enim frigiditate , sed supremi auxilii derelictu contrigit* , nempe ut Christum negaret. Augustinus *sem. CXXIV.* de tempore : *Quid est homo sine gratia Dei , nisi quod fuit Petrus , cum negaret Christum ? - - - Ideo B. Petrum Dominus paululum subdeseruit : ut in illo totum hominum genus posset agnoscere , nihil se sine gratia prævalere.* Hoc argumentum justis omnibus applicari potest , dum transgrediuntur Dei præceptum.

223
 22. ad IV. C. M. n. m. nam falsum est, solam gratiam efficacem esse sufficientem, & sine efficaci nihil boni fieri posse. In postremam propositionem censuram tulit Facultas Parisiensis, & Clemens XI. Summus Pontif. eam in indicem referri iussit. Thomistæ Veteres audiendi non sunt: nempe *securi loquebantur*, ut ait in simili causa Augustinus, *quia nullus aderat hostis*. Post ortam hæresim Lutheri, Calvini & Jansenii, longe aliter sentiunt Recentiores de gratia sufficiente, adeoque frustra se tuentur Janseniani ementito nomine Thomistarum. ac usurpatis eorum locutionibus, ut monui Num. 106. Ad prob. m. c. ant. dist. conf. solum speciale auxilium est sufficiens, ut justificatus possit non tantum potentia physica, sed etiam morali perseverare c. conf. ut possit tantum potentia physica n. conf. Tridentinum in allato textu loquitur de potentia morali. Vide Num. 85. & 92. Nam iustus cum ordinariis sufficientibus auxiliis potest perseverare potentia antecedente suam determinationem conditionatam, & quod non perseveret, sua duntaxat culpa non perseverat; sua culpa enim inducit scientiam mediam de dissensu, quocum dein non potest componere consensum, impotentia nimirum consequente liberum voluntatis suæ dissensum. Cæterum speciale auxilium non est præcise interior gratia illuminationis & inspirationis, sed est omnis extraordinarius favor, quem Deus iusto largiri non tenetur ratione solius gratiæ sanctificantis, potestque consistere etiam in gratia exteriori, qua singulari modo protegit Deus iustum, avertendo occasiones peccandi &c.

Ad V. Trans. vel N. M. nam SS. Chrysostomus & Augustinus volunt, Petrum *externæ* Christum negantem, jam antea iustitiam amisisse *interno superbia & præsumptionis peccato*. Unde si neges cum his PP. S. Petrum eo temporis iustum fuisse, argumentum ab eo peti tum ad præsentem controversiam non pertinet. Interim Trans. M. dist. m. defuit S. Petro gratia efficax c. m. sufficiens subdist. per quam proxime & immediate posset vincere tentationem & Christum confiteri trans. m. per quam id posset remote & mediate, mediante scilicet oratione, cujus proximam habebat potentiam, ad uberius impetrandum auxilium Dei n. m. & conf. Ad Patres ajo: eos nonnunquam dicere, hominem a Deo desertum esse, carere gratia ad observandum præceptum necessaria, & ita

præceptum observare non posse, quando non habet gratiam proxime sufficientem, licet remote sufficientem habeat, nempe gratiam orationis, qua uberius sibi auxilium impetrare potest; non tamen impetrat, quia ista orandi gratia uti negligit. Hanc porro orandi gratiam justis semper adesse, Augustinus pluribus locis agnovit.

224 Neque dixeris: S. Augustinus *Lib. de dono persever. c. IX.* quærenti, cur ex duobus justis uni detur perseverantia, & alteri non detur? præcisè respondet recurrendo ad *inscrutabilia Dei judicia*, sed si justis omnibus confertur gratia sufficiens ad perseverandum in statu justitiæ, frustra eo recurritur: quippe quærenti: cur unus perseveret, non item alter? responderi poterit: quia unus utitur gratia, alter negligit.

Nam dico: ita quidem posse responderi, cum reipsa ex justis illi non perseverent, qui negligunt uti gratia, & illi omnes perseverent, qui recte utuntur gratia: nihilominus cur Deus uni usque ad finem vitæ conferat auxilia etiam specialia prævisa efficacia & congruâ, alteri non conferat, atque adeo cur uni det, alteri non det, uni justo mors in statu gratiæ sanctificantis procuretur, non item alteri, in eo utique recurrendum est ad inscrutabilia Dei judicia: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* ad Rom. II. v. 34. Nempe suorum donorum absolutus Dominus est Deus, & idcirco cui perseverantiam dat, ex pura misericordia dat, & potuit utrique justo dare perseverantiam, potuit neutri citra injustitiam.

CAPUT SECUNDUM.

An conferatur fidelibus peccatoribus, etiam obduratis, gratia sufficiens ad conversionem?

225 I. **D**Eum omnium omnino hominum salutem sincere & serio velle, patet ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. scribente: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes - - pro omnibus hominibus - - hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum he-*

mo Christus *JESUS*, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Hæc Dei generalis voluntas est voluntas *beneplicii*, & decretum actuale salvandi omnes. Hoc tamen decretum, si efficax esse admittas, non est *absolutum*; alias nemo hominum damnaretur; sed est ex parte objecti *conditionatum*, si nimirum homines ex parte sua ad salutem cooperentur, & in gratia sanctificante decedant, quam conditionem, cum multi sua culpa & vitio non impleant, idcirco multi sua salute excidunt. Ex hoc decreto, h. i. quod efficaciter, licet conditionate, intendat Deus finem salutis omnium hominum, necessario infertur aliud decretum, absolutum & efficax, quo Deus hominibus conferat media sufficientia & necessaria ad implendam eam conditionem, sub qua vult salutem omnium hominum; qui enim vult finem, debet conferre media, quæ ad eum obtinendum necessaria sunt, & ab alio, quam ab ipso, nequeunt haberi, quemadmodum dixi Num. 64.

II. Christum non solum pro prædestinatis & electis, sed pro omnibus omnino hominibus mortem obiisse, pariter patet tum ex verbis laudatis S. Pauli, tum c. 4. v. 10. scribentis: *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium, maxime fidelium*, quæ restrictio manifeste indicat, Christum esse etiam Salvatorem infidelium, quantum est ex parte sua, tamen si fideles magis participant redemptionis fructum, ut copiosius explanavi in *Tract. de Verbi Div. mysterio Dissert. IV. cap. III.* Idem definiverunt Innocent. X. & Alexand. VIII. damnata proposuit. V. Jansenii: *Semi-pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Vide Num. 34. Et vero graviter lapsus est Jansenius, quod censuerit, omnem Christi voluntatem fuisse efficacem, omnem orationem finem suum a Christo intentum consecutam, ex quo erroneo fundamento deduxit, Christum mortem suam obtulisse æterno Patri pro salute fidelium etiam eorum, qui *reprobi* sunt, præcise ut iis gratias quasdam temporarias promereretur, quarum auxilio crederent, & in iustitia aliquo tempore perseverarent, quamvis non sit mortuus pro eorum æterna salute, vel finali perseverantia, adeoque nec dari omnibus in flatu naturæ lapsæ auxilium simpliciter sufficiens ad æternam salutem. Gonetus *Tom. II. Disp. V. de reprob. art. V.* cum pluribus Thomistis docet: Deum omnibus quidem adultis etiam re-

probis, excæcatis & obduratis peccatoribus præparare sufficientia media, seu auxilia ad salutem, in quantum Christum misit, instituit Sacramenta, legem evangelicam prædicari voluit; at non omnibus reipsa ea concedere, & applicare, verum nonnullos actuali applicatione & receptione privare, idque in pœnam peccatorum commissorum, adeoque omni gratia sufficiente istos carere, etiam dum urget tentatio, vel instat præceptum conversionis, aut aliud. Lovaniensis Facultas censura notavit anno MDLXXXVII. dum scientiam mediam vehementissime Banneziani impugnarent, PP. Lessii & Hamelii XIV. assertionem: *Indurati & excæcati habent sufficiens auxilium ex parte Dei, ut convertantur.* Hanc doctrinam eadem Facultas subinde sanam judicavit, teste Casparo Juenino *Instit. Theol. Part. VI. Dissert. I.* addente: *Qui jurant in verba Ludovici Molinæ, contendunt, nullum, quantumvis obduratum & excæcatum, gratia sufficiente destitui, cum urget tentatio, aut instat præceptum aliquod, sive sit juris naturalis, sive positivi.* Ubi adverto: nos minime jurare in verba Molinæ, immo non paucos ex nostris recedere a certis capitibus illius doctrinæ, si demas scientiam mediam, quam lubentes sequimur, nullo sacramento adacti. His delibatis sic

A S S E R T I O.

Fidelibus peccatoribus, etiam obduratis, confertur a Deo saltem remote sufficiens gratia, tum ad conversionem & vitanda ulteriora peccata, tum ad præcepta Divina observanda.

227 **Q**uod Deus fidelibus peccatoribus suas gratias largiatur ad conversionem, ex iis Scripturarum locis discimus, quæ peccatores ad pœnitentiam agendam invitant, hortanturque identidem. Apud Ezech. 33. v. 11. non vulgaris est locus: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua & vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis; & apud D. Petrum Apost. in 2. epist. c. 3. v. 9. Patienter agit (Deus) propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Quæ profecto intelligi debent saltem de peccatoribus nondum excæcatis & obduratis; quos proinde Deus gra-

gratia ad conversionem necessaria ac idonea non privat, cum nolit eos perire, sed potius sincere velit ipsorum poenitentiam & idcirco patienter agat cum illis. Ut autem hæc Dei voluntas non sit indigna Deo, quæ ita vellet poenitentiam a peccatore, sicut qui vellet patrationem miraculi ab homine relicto in solis naturæ viribus, sequitur, quod omnibus peccatoribus saltem non obduratis conferat auxilium ad conversionem. S. Augustinus, quem AA. potissimum Jansenistæ, suum esse falso existimant, generatim nostram assertionem firmat *Conc. II. in Ps. LVIII.* sub finem: *si nolis, inquit, curari vulnus tuum, admonet, ut cureris; & aversum revocat, & refugientem quodam modo ad se redire compellit, & attrahit. In omnibus implet, quod dictum est: Misericordia ejus præveniet me.*

De obduratis & excæcatis peccatoribus perinde testimonia 228
Scripturarum habemus. Actor. c. 7. v. 51. Stephanus Judæos obduratos his verbis castigat: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus! vos semper Spiritui sancto resistitis;* igitur tametsi obdurati, excæcati que, per interiorem Spiritus S. gratiam ad poenitentiam excitabantur; alias falsum foret, eos Spiritui S. semper resistere; atque ita excitabantur, ut sua duntaxat culpa poenitentiam, & conversionem negligerent, alioqui Stephanus perperam eos castigasset. Apostolus ad Rom. 2. ita alloquitur obduratum: *An divitias bonitatis ejus (Dei) & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impiam cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii.* Quæ verba clare indicant, Deum vocare obduratos ad poenitentiam utique suis gratiis interioribus &c. Augustinus enarrat. in Psal. 6. in illa Apostoli verba ad Rom. 1. *Dedit illos in reprobum sensum hæc habet; Ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii (seu damnationem aternam) pertinere intelliguntur; igitur excæcati, & obdurati ab omni Dei luce hac in vita non sunt seclusi.*

Ad cavenda peccata, observandaque Dei præcepta, quod pariter suas gratias largiatur benignissimus Deus, ea omnia testimonia Scri-

pturarum, CC. & PP. stabiliunt, quibus generatim dicitur, Deum impossibilia non jubere &c. ejusmodi etiam allata sunt Capite superiore. Hic unum Augustinum addo, qui *Lib. de nat. & grat. c. LXVII.* ait: *Neminem peccare in eo, quod nullo modo caveri potest. Peccatur autem, caveri igitur potest; sed opitulante illo, qui non potest falli.*

Ex his manifeste sequitur: Deum omnibus adultis ratione utentibus (etiam infidelibus, ut proximo capite dicitur) distribuere auxilia simpliciter sufficientia ad salutem, secus non vellet sincera voluntate omnes salvos fieri: negando etenim auxilium omnino necessarium ad salutem obtinendam, impediret efficaciter, quantum est ex parte sua, consecutionem finis, & vellet impotentem ut impotentem obtinere salutem, quod Deo est prorsus indignum. Certe medicus etsi praearet medicamenta, si tamen efficaciter impediatur infirmo applicationem omnis medicamenti, non dicitur intendere, quantum est ex parte sua, sincera & seria voluntate valetudinem.

229 Dixi in assertione: *saltem remote sufficiens*: nam auxilium sufficiens ad quempiam actum potest esse dupliciter sufficiens v. g. ad conversionem. *Imo: proxime & immediate*, si nimirum compleat, ac constituat potentiam proximam voluntatis ad conversionem, vi cujus possit immediate converti sine ulteriore auxilio. *2do: remote & mediate*, si nempe auxilium non compleat potentiam proximam ad conversionem, sed solum ad alium actum antecedentem, v. g. orationem, eleemosynam &c. quo actu posito, Deus conferet aliud auxilium immediate sufficiens, & completivum potentiae proximae ad ipsam conversionem. Et hoc auxilium mediate solum sufficiens potest esse vel magis, vel minus remotum, prout scilicet inter illud & auxilium proxime sufficiens ad conversionem, intercedunt auxilia plura, vel pauciora, vel nullum. Haec doctrina fundatur in Tridentino sess. VI. c. VI. ubi describit actuum seriem, quibus adultus infidelis (idem cum proportionem de peccatore fidei dicendum) successive & gradatim ad justificationem disponitur, puta fidem, timorem, spem, dilectionem, charitatem inchoatam, poenitentiam, vel baptismum. Cum igitur saepe accidat, ut homo non utatur auxilio remote sufficiente & disponente ad conversionem, ad poenitentiam &c. saepe etiam accide-

re oportet, ut non habeat auxilium proxime sufficiens ad conversionem. Apposite S. Augustinus *Lib. I. ad Simplic. quæst. II.* ait: *Incipit homo percipere gratiam Dei, ex quo incipit Deo credere. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes, non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam.*

Respondetur Adversariis.

Oppan. I. Deus Judæis legem imposuit, cujus observatio ad salutem erat iis necessaria, & tamen iisdem non contulit gratiam ad illius observationem sufficientem, ergo Deus non dat omnibus adultis fidelibus v. g. peccatoribus auxilium sufficiens &c. Ant. probant Jansenistæ ex Augustino *Lib. de Spirit. & lit. c. IX.* dicente: *Lex data est, ut gratia quæreretur; gratia data est, ut lex impleatur.* Et in *exposit. proposit. epist. ad Rom. Sub lege, inquit, pugnamus, sed vincimur, & quia nondum est gratia, superamur,* ergo. II. Fideles peccatores destituti omni sufficiente gratia ad observandum Dei præceptum, transgrediendo præceptum vere peccant, peccatumque ipsis imputatur, etsi illud vitare non potuerint, ergo. Ant. patet ex Augustino *Lib. I. retract. c. XV.* *Qui cogenti cupiditati, ait S. Pater, bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* III. Idem S. Doctor epist. c. VII. ad Vitalem scribit: *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari. Scimus eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. Scimus eis, quibus non datur, justo Dei judicio non dari.* Et S. Fulgentius *Lib. I. de veritate Prædest. c. XIV.* ait: *In cuius gratiæ largitate, quidam non leviter errant, existimantes eam omnibus æqualiter dari; igitur non omnibus peccatoribus confertur gratia sufficiens.*

¶ ad I. n. ant. quod damnatum in propositionibus VI. & VII. Quesnellianis, ut legere licet apud Dominicum Vivam. Ad ejus probat. ajo: Jansenianos admodum impudentes esse, quod autoritate tanti Doctoris abutantur, qui Catholicam oppositam sententiam disertissime docuit *Serm. CXCI. de tempore: Execramur, inquit, blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini*

a Deo esse præceptum, & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse servari. Vide plura Num. 219. Dein Augustinus nunquam negavit, Judæis datum fuisse auxilium aliquod gratiæ sufficiens, quo poterant potentia saltem physica legem implere, alias eam non implendo non peccassent, quia non libere, sed necessario violassent illam. Hinc in adductis textibus solum indicat, Judæis plerumque multo minorem gratiam, sufficientem tamen, collatam fuisse, quam Christianis, ut adeo illis admodum difficile, & sic moraliter impossibile fuerit legem implere. Denique cum possent Judæi quærere atque petere gratiam a Deo, datur illis sufficiens gratia ad orandum.

Ad II. n. ant. ad textum Augustini dico cum Simonneto *Troct. VI. de grat. Disp. IV. art. IX.* Eum, qui cogenti, seu prædominanti cupiditati resistere non potest, & propterea violat præceptum Dei, præcise carere auxilio proxime sufficiente ad observandum præceptum, atque adeo transgrediendo præceptum omnino peccare, cum instructus sit auxilio remote sufficiente, videlicet orationis gratia, quacum impetrare potest uberius auxilium, quo dominum cupiditatis excutiat. Unde impotentia, utique moralis, cui subjacet, eum excusare nequit, quia sub ea libere manet, nolendo orare pro gratia, qua semet eximat; nec est antecedens, & involuntaria simpliciter hæc impotentia resistendi, verum consequens, & saltem indirecte volita, cujusm. impotentia neminem excusat.

Ad III. dico: S. Augustinum loqui de gratia fidei perfectæ ac justificationis, non vero de sufficiente gratia, cum idem asserat, ne excæcatorum quidem omni penitus auxilio destitui, ut patet ex Num. 228. S. Fulgentius recte negat cum aliis PP. dari omnibus gratias in sensu Semipelagianorum, nempe vel ex meritis pure naturalibus, vel dari *æqualiter*; quibusdam enim dantur gratiæ congruæ, & efficaces, quibusdam proxime sufficientes, aliis remote sufficientes. Hic adverte: Semipelagianos errasse in eo, quod docuerint, electos & prædestinatos non esse majoribus gratiarum donis affectos, ac reprobos; item: Deum velle *æqualiter*, hoc est (ut interpretatur D. Prosper) sine *delectu* & *indifferenter* universos homines salvos fieri, atque Christum eodem modo pro singulis hominibus sanguinem profudisse.

Oppon. IV. Peccatores obdurati & excæcati, quamdiu sunt in hoc deplorando statu, carent omni omnino gratia ad conversionem sufficiente, igitur qui tota vita in statu obdurationis manent, tota vita carent gratia sufficiente. Ant. declaratur: Joann. 12. v. 39. & 40. de obduratis Judæis habetur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde & convertantur & salvem eos.* Idem dicitur de quibusvis obduratis peccatoribus ad Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cælestis - - - & prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam.* De Pharaone Exod. 9. v. 12. legitur: *Induravit Dominus cor Pharaonis;* de quo item Augustinus *Exposit. proposit. epist. ad Rom. ait: Quod ergo tunc Pharaon non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat - - - Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduretur priori infidelitate, & ad Rom. 9. v. 17. Cujus vult miseretur (Deus) & quem vult, indurat.* De Esau ad Hebr. 12. v. 17. *Non enim invenit penitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam;* & de Antiocho 2. Machab. 9. v. 13. *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus;* ex quibus sequi videtur, induratis subtrahi omne auxilium interioris gratiæ. V. Deus quosdam homines confirmat in gratia, ut eam amittere non possint; ergo etiam quosdam ita obdurat, ut converti non possint, proinde omni gratia sufficiente careant.

R. ad IV. n. ant. ad textus seu Scripturarum, seu PP. generalitatem ajo: eos intelligendos esse vel de subtractione gratiæ congruæ, & efficaci, vel uberioris, non autem sufficientis; vel de impossibilitate consequente liberum voluntatis creatæ exercitium, vel morali & secundum quid, seu de magna difficultate convertendi &c. ut patet ex rationibus assertionis. Ad unum textum dico: Judæos induratos caruisse auxilio efficaci & in pœnam etiam sufficiente ad proxime credendum in Christum verum Messiam, non tamen carebant auxilio sufficiente ad deponendum odium, quo flagrabant in eum, & ad impetrandum a Deo auxilium ad removendam cordis cæcitatem: unde remote saltem poterant cre-

dere; quo auxilio si recte uli fuissent, accepissent quoque auxilium ad proxime credendum. Item verba: *non poterant credere*, non significant impotentiam antecedentem, sed consequentem ortam ex suppositione alicujus, quod erat in ipsorum potestate, nempe obstinationis ipsis liberæ & prædictionis Isaïæ de ea factæ, ideoque pro sensu composito cæcitatæ credere non poterant, eam tamen deponere, & prædictionem impedire poterant. Suffragatur August. *Tract. LIII. in Joan.* commentans: *Quare non poterant credere, si a me queratur, cito respondeo: quia volebant.*

Ad 2dum ajo: ibi sermonem esse de impossibilitate morali. Pariter etiam dum quædam peccata dicuntur *irremissibilia* in statu viæ, intelligi non debet, quasi Deus ad pœnitentiam eorum remissivam non largiatur sufficientem gratiam, sed quia dat solum sufficientem ita remissam, ut difficile sit agere pœnitentiam. Aliud est, si sermo sit de peccatis *finalibus*, quibuscum homo moritur; hæc enim remitti non possunt per pœnitentiam, quia in altera vita non datur locus & tempus agendæ salutaris pœnitentiæ.

Ad 3tium de obduratione Pharaonis dico: Deum neminem obdurare per subtractionem omnis omnino gratiæ sufficientis, sed solum per negationem gratiarum uberiorum, vel etiam prævisarum efficacium, quibus scilicet illustrarentur & moverentur efficaciter ad bonum, aliquos indurat; nempe Deus indurat non quidem *impertiendo malitiam*, sed negative tantum *non impertiendo misericordiam* ut ait Augustinus, hoc est: non reddit peccatorem impotentem ad conversionem negando ei omnem gratiam, verum non eo modo eum vocando, quo prævidit ei congruere &c. Item indurat, quatenus in pœnam præteritarum culparum permittit ejusm. occasiones peccandi occurrere, ut moraliter non possit non peccare, etsi possit physice non peccare, quod sufficit ad libertatem. Certe ipse Pharaon fatetur se peccasse Exod. 9. v. 27. *Misit Pharaon & vocavit Moysen & Aaron dicens ad eos: peccavi etiam nunc, Dominus justus, ego & populus meus impii.* Sensus porro textus Augustini est: quod Pharaon non peccavit præcise non obtemperando ex suppositione infidelitatis, qua fidem negavit Deo & Moyse, quia pro sensu composito infidelitatis, obedientia erat ipsi etiam physice impossibilis; nihilominus quia potuit & tenebatur hanc infidelitatem deponere, ex qua providentia inobe-

obedientia, infidelitas illi erat *imputabilis* in se, inobedientia vero erat imputabilis in causa, nempe in ipsa infidelitate tum presente, tum etiam præterita, in quantum Deus ob præcedentem infidelitatem non contulit ei ad obtemperandum efficacia auxilia. Interim habuit Phærao auxilium saltem physice sufficiens ad vitandam infidelitatem & inobedientiam.

Ad 4^{um} R. Esau & Antiochum sufficiens habuisse auxilium ad salubrem pœnitentiam agendam, sed utrumque vitioso & culpabili motivo & fine ad Deum recurrissè, nempe Esau deslebat ablata sibi primogenita, non peccata, quibus Deum offènderat; Antiochus gravi vulnere percussus, orabat, ut dolori solatium, non ut peccatis medelam obtineret.

Ad V. dist. ant. ut peccare non possint potentia antecedente n. ant. potentia consequente, in quantum istis conferuntur semper auxilia prævisa efficacia c. ant. dist. conf. ut converti non possint potentia antecedente determinationem liberam ad peccatum n. conf. potentia consequente c. conf. Licet enim Deus obduratis non det gratiam efficacem, quacum reipsa convertantur, dat nihilominus inefficacem, attamen sufficientem, quacum possent proxime, vel saltem remote converti. Quare falsum est etiam, quod excæcati non sentiant stimulos conscientia, dum peccant; advertunt enim, se agere contra dictamen conscientia, & habent sufficientem potentiam peccata vitandi, sine qua non committerent formale peccatum.

Ut diluas reliqua, observ. I. Quemadmodum Deus non semper adultis confert gratiam proxime sufficientem, ita nec *quovis* momento etiam remote sufficientem. Licet enim Deus vi decreti, quo vult salvare omnes, debeat omnibus dare sufficientes gratias, non tamen debet dare efficaces præ inefficacibus, intensas præ minus intensis, proximas præ remotis, atque adeo nec debet dare omni tempore; tamen enim non det omni tempore, adhuc potest sufficientes dare ad salutem, ad quod solum ratione dicti decreti obligatur. Immo nec semper capax est homo gratia Divina, ut ebrius, demens &c. Dat igitur semper Deus gratiam I. Dum urget præceptum affirmativum, quod citra gratiam observari nequit. II. Singulis momentis cuique dat gratiam ad præcepta negativa observanda, quæ obligant semper pro semper.

III In iis circumstantiis, in quibus homo *externè* ad actum salutarem excitatur e. g. per sacram exhortationem, per repentinam amici mortem &c. IV. Extra has quoque circumstantias pro suo arbitrio, & illud præprimis non admittit, ut fidelibus rectè agere volentibus, operatio defectu supernæ gratiæ, non evadat supernaturalis. Dicitur enim Psal. CXLIV. *Das escam illorum in tempore opportuno*, & Psal IX. *Adjutor in opportunitatibus*. Unde illud Concilii Senonensis Decret. XV. *Nec momentum quidem præterit, quo Deus non stet ad ostium & pulset*, & alia similia cum quadam moderatione intelligenda sunt, nimirum quod Deus tempore & loco opportuno suas gratias largiatur.

II. S. Augustinus in Psal. CXLVII. dum ait: *Ecce deserit peccatorem Deus, ecce non vocat, non aperit sensum, non infundit gratiam*, dicere intendit, vel quod Deus peccatoribus excæcatis non conferat gratiam efficacem, vel quod iis neget proxime sufficientem ad pœnitentiam, vel quod interdum neget omnem gratiam etiam remote sufficientem. Hoc non obstante verissimum manet Patrum assertum: nempe quamdiu status viæ perseverat, locum pœnitentiæ iis concedi, & auxilium tempore opportuno & loco ad eam agendam haud negari. Et quamvis nonnulli in ipso delicto moriantur, vel patrato peccato in amentiam incidant, non tamen propterea sequitur ejusm. peccatoribus auxilium defuisse tempore opportuno, sed solum non *omni momento* adfuisse. Cæterum probabile est secundum aliquos: Deum ultimo momento usus rationis omnibus dare auxilium præveniens, sicut probabile est, primo momento usus rationis conferre auxilium præveniens; quia in utroque hoc momento urget per se obligatio convertendi se ad Deum per actum dilectionis.

III. Dum Deus quibusdam peccatoribus in pœnam præcedentium culparum denegat auxilium finale prævisum efficac, conferendo iis auxilium quidem sufficiens ad pœnitentiam finalem, at tamen prævisum inefficax, non denegat in pœnam proprie talem auxilium efficac. Namque Deus auxilium sufficiens quamvis inefficax confert ex hoc affectu serio, ut creatura per illud evitet peccatum subsequens, præsertim finale, adeoque æternam damnationem. Unde solum eatenus permissio subsequentis peccati potest dici pœna, quatenus per præterita peccata ponitur impedimentum

aliquid Divinæ munificentia, qua Deus uberiora, & efficacia contulisset, si creatura præcedentibus cooperata fuisset. Neque enim tenetur dare auxilium prævisum efficax, sed illud secluso etiam omni peccato potest denegare, ut patet in lapsu Angelorum, & primorum parentum. Porro etsi Deus possit *positive* velle mala pœnæ, quæ & quatenus non sunt peccata, nequit tamen velle ea, quæ simul & indivisibiliter sunt peccata: nam peccata consecutura in pœnam priorum solum *permittit* Deus.

C A P U T T E R T I U M.

Utrum Deus omnibus infidelibus, etiam iis, qui laborant infidelitate negativa det gratiam sufficientem ad salutem obtinendam?

AB Alexandro VIII. anno MDCXC. die XX. Decembr. propositionem ordine V. proscriptam: *Pagani, Judæi, Hæretici, alique hujus generis, nullum omnino a Jesu Christo accipiunt influxum, adeoque hinc recte inferes: in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficiente, ac Christi sanguini, ejusque amori & Divinæ bonitati injuriosam, Quænellus aliis propositionibus relatis Num. 58. fulcire contendit, præeunte Jansenio Lib. III. de grat. Christi Salvat. c. XI. ubi hunc in modum loquitur: Infideles carent gratia sufficiente ad salutem, tam proxima, quam remota, & omnibus principiis ejus, quod asserere non dubitat de infidelibus tum *positive*, tum *negative* talibus. Sunt vero *positive* infideles, qui annunciato sibi evangelio non crediderunt, adeoque evangelii prædicationem concomitantibus gratiis restiterunt, quorum proinde culpa est, quod infidelitate laborent. Infideles *negative* dicuntur ii, qui de evangelio nihil audiverunt: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* - - - Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, ait Apostolus ad Rom. 10. Eiusm. infidelibus, quibus evangelium non fuit annunciatum, infidelitas nempe *negativa*, non est peccaminosa, sed potius quædam pœna peccati. De his movetur hoc loco quæstio: utrum Deus oportuno loco & tempore conferat istis sufficientes gratias interiores, quibus majora in dies*

235

gratiæ auxilia impetrare, iisque mediantibus fidem obtinere, atque adeo sensim, & certis quibusdam gradibus ad salutem pervenire possint? Gonetus *Tom. II. Disp. V. de reprob. art. V. §. IV.* cum Juenino, Bertio, & aliis, negat istis infidelibus & fidelibus obduratis dari sufficientes gratias ad salutem, laudans nonnullos TT. pro hac opinione, quos tamen minus apte interpretatur, ut demonstrat P. Ruizius *Disp. XLI. de prædestinat.* Adversus hos & priores sit

A S S E R T I O.

Infidelibus omnibus, etiam iis, qui laborant infidelitate negativa, datur gratia sufficiens ad fidem & salutem.

236 **M**omenta superiore Cap. allata, hanc quoque assertionem roborant; imprimis dictum illud Apostoli: *Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, cum igitur hæc Dei voluntas sit seria, vi cujus media ad finis intenti consecutionem idonea adhibentur, infideles non potest destituere omni gratia saltem remote sufficiente ad salutem. Singularia præter ea sunt I. Sapient. 11. dicitur: *Misereris omnium, quia omnia potes, dissimulans peccata hominum propter penitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ jecisti. - - - Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Qua vero ratione miseretur Deus omnium & parcit omnibus, si non confert omnibus gratiam, qua fidem ad salutem omnino necessariam consequi possent?

II. S. Ambrosius in *Psal. CXVIII. conc. VII.* sic habet: *super omnes sol oriri jubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est, prærogativam suam servat, communis a se gratiam lucis excludit, videlicet, ut advertit Simonnetus, vel gratiam ad credendum in Christi-*

Christum proxime sufficientem, vel saltem aliam remotiorem, quam proxime sufficientem impetrare posset, repudiando. S. Prosper *Lib. II. de vocat. gentium, c. XVII.* *Nunc in extremis, inquit, mundi partibus sunt aliqua nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, --- quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur.* Et c. XXVI. commemoratis diversis modis, quibus Deus homines ad se vocat, ita prosequitur: *Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur, & quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia; quod autem a multis suscipitur, & gratiæ est Divinæ, & voluntatis humanæ.* Consentiunt plurimi PP. Nazianzenus, Athanasius, Chrysostomus &c.

III. Christus pro omnibus omnino hominibus, adcoque etiam infidelibus, qui de evangelio nihil audiverunt, neque unquam audituri sunt, mortem subivit per dicta Num. 225. igitur Deus sincere & serio vult salutem etiam istorum infidelium, atque adeo vult dare & reipsa dat media ad salutem idonea ad finem intentum, ut toties dictum. Itaque etiam infideles isti pro loco & tempore opportuno accipiunt media ad salutem idonea ex meritis Christi (alias quid ipsis conferret mors Christi? & quo pacto dicerentur redempti?) in quantum si recte iis uterentur, adjuvarentur a Deo ulterioribus, & tandem mysteriis fidei plene imbuerentur per homines, vel si necessarium foret, per Angelos.

Satisfit Objectionibus.

Oppon. I. Actor. 14. v. 15. habetur: *Qui (Deus) in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Et 16. v. 6. & 7. de Paulo Apostolo & Timotheo refertur: *Transseuntes Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti sunt a Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu; igitur noluit his gentibus annunciari evangelium, adeoque nec media, seu gratiam sufficientem contulit ad fidem Christi & salutem obtinendam.* Item: Apostolus hæc scribit ad Ephesios c. 2. v. 12. quos Deus ab impietate ad fidem vocavit: *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversione Israel, & hospites testamentorum, promissionis*
spem

*spem non habentes & sine Deo in hoc mundo; & c. 5. v. 8. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; igitur sicut Ephefi nondum audito evangelio erant in tenebris, id est: non acceperunt gratiam sufficientem, quæ illuminat, ita loquendum de omnibus negative infidelibus. II. Infideles ritu ferarum viventes, nullum acceperunt auxilium sufficiens ad credendum in Christum, ergo multis non erat concessa gratia ad fidem; quia in moderna providentia nemo adultorum consequi potest salutem, sine fide explicita in Christum. Ant. ostenditur ex Apostolo ad Rom. 10. dicente: *Fides ex auditu - - - quomodo autem audient sine prædicatione?* atqui dicti infideles nullum prædicatorem habuere, ergo. III. Quibus non est annunciatum evangelium, laborant ignorantia fidei invincibili, seu infidelitate negativa, quæ ad culpam non imputatur; atqui si haberent gratiam sufficientem ad fidem, hæc negatio fidei ad culpam imputaretur, ergo. IV. Si infideles ante evangelii prædicationem, possunt habere cognitionem Dei salutarem, & ope hujus cognitionis, ac ulteriore Dei auxilio adjuti, aliqua pietatis opera exercere v. g. eleemosynas facere; possent etiam Deum super omnia diligere, & sic justificationem obtinere, antequam habeant fidem Christianam, sed hoc nequit admitti, quia secundum Tridentinum sess. VI. c. VIII. *Christiana fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*, ergo.*

238

RE. ad I. Deus dicitur in præteritis nationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas hoc sensu: quod Deus gentiles non fuerit profecutus specialibus illis beneficiis, quibus Judæos, seu Abrahami posteros, ad quos sapius mittebat Prophetas, aliosque Sanctos, non vero, quod nullas impertitus sit illis gratias sufficientes, quibus salutem assequi possent. *Non enim semet ipsum (Deus) sine testimonio reliquit*, ut eodem cap. v. 16. legimus, *benefaciens de celo; dans pluvias & tempora fructifera, impletis cibo & lætitia corda nostra*. Unde Deum quærere & invenire potuere. Idcirco Apostolus ad Rom. 1. ait: *Gentiles illos inexcusabiles fuisse, qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt*. Et Augustinus *Lib. X. Confess. c. VI. Cælum & terra, inquit, & omnia,*

omnia, quæ in eis sunt, undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.

Ad textum ajo: ex eo solum deduci, tunc temporis Asianos caruisse gratia proxime sufficiente ad amplectendam Christi fidem; attamen non caruisse remote sufficiente, quia e. g. excitabantur ad Deum cognoscendum, orandumque, & qua recte utendo, reliqua ad credendum in Christum proxime requisita potuerunt obtinere. Præterea illa prohibito non erat absoluta pro omni tempore, cum deinde apud eos opera S. Pauli lex Evangelica divulgata fuerit; immo, ut arbitrantur nonnulli, jam antea per S. Petrum Asianis annunciata erat.

Ad tertium *ex-deo*: hærentes in tenebris infidelitatis, qui nempe omni noticia Christi Servatoris nostri destituuntur, qui idololatriæ sunt dediti, & promissiones a Deo factas de vita æterna &c. ignorant, habere gratias remote sufficientes tempore oportuno & loco, ad acquirendam salutarem Dei cognitionem, & ad Deum sic cognitum invocandum. Quod si facerent, prædicatio quoque evangelii illis procuraretur, dareturque auxilium proxime sufficiens. Certe illud Joan. I. *Erat lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Chrysostomus, Clemens Alexandrinus, & alii interpretantur de illustratione supernaturali omnes illustrante, quantum est ex parte lucis, ad eum modum, quo, ut ait D. Angelicus, sol omnes illuminat, nisi quis velit oculos claudere. Addit Chrysof. *Qui autem ejus munere* (hoc est: gratia illuminante omnibus a Deo, volente omnes salvos fieri, collata) *frui negligunt, hanc suam cecitatem sibi ipsis imputare debere; cum enim detur omnibus, omnibus pateat, & a nemine prohibeatur, perdit quidam & nequam homines propria duntaxat malitia ingredi recusant.*

Ad II. dist. ant. nullum acceperunt proxime sufficiens auxilium ad credendum in Christum c. ant. remote & mediate sufficiens n. ant. & conf. sub eadem distinctione. Etsi enim isti infideles non potuerint proxime credere mysteria fidei, nempe incarnationis & S. Trinitatis (quorum explicita fides probabilius necessaria est necessitate medii ad salutem, post promulgatum evangelium, ut docui in *Tract. de fide, spe, & charitate* Num. 120.) eo quod hæc non sint ipsis annunciata, & Deus occasione annuncia-

tionis hujusm. mysteriorum interiore superna gratia ad fidem amplectendam excitet, ac moveat audientes, nihilominus non debeat istis auxilium remote sufficiens ad istorum mysteriorum fidem. Namque potest per ipsas creaturas cognitione naturali pervenire in notitiam unius Dei summi boni, statimque ac Deum cognoscit naturali lumine, illustratur a Deo lumine superno, ut possit Deum remuneratorem cognoscere, & credere fide Divina, adjuturque hac fide inchoata, & aliis gratiis ad Deum colendum, ac invocandum, atque varios honestos supernaturalis ordinis actus exercendos; quibus gratiis si recte uteretur, procuraretur ei seu ordinario, seu extraordinario modo annunciatio evangelii, dareturque gratia sufficiens ad perfectam & strictam fidem dictorum mysteriorum, ut dictum de Cornelio Centurione. Vide Num. 90. Gabriel Vasquezus *Part. I. Disp. XCVII. c. V.* positæ difficultati hoc modo satisfacit: poterat, inquit, Deus etiam sine miraculo omnibus adultis providere de prædicatore, a quo edocerentur necessaria ad fidem & salutem, in quantum si prævidisset ab æterno Gentilem cooperaturum esse communibus gratiis supernis, orando Deum pro sua salutē, ita res creatas disposuisset, ut sine miraculo prædicator esset adfuturus.

Ad III. C. M. n. m. Cum enim illæ gratiæ, quas istis infidelibus Deus largitur ad cognitionem supernaturalem Dei remuneratoris bonorum, & vindicis malorum, ita sint remote sufficientes ad fidem Christianam, ut vi earundem ne quidem *suspiciari* possint dari aliquod evangelium, aut leges positivas Divinas, ideo istorum ignorantia, adeoque infidelitas negativa nec in se, nec in causa propria voluntate volita, est ipsis libera & voluntaria, cum voluntarium esse non possit, quod nullo modo est cognitum. Hinc jure damnatur propositio LXXXVIII. Bajana: *Infidelitas pure negativa, in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Ad IV. N. M. nam in moderna providentia fides Christiana est conditio, sine qua Deus neminem decrevit adjuvare tantum, quantum *oportet*, ut beneficium justificationis consequatur. Liquet id ex epist. ad Hebr. II. v. 6. *Sine fide*, qua scilicet res a Deo revelatæ creduntur super omnia propter autoritatem Dei revelantis, *impossibile est placere Deo. Credere enim fide Christiana oportet accedentem ad Deum*, ut nempe cum eo conjungatur per

gratiam justificantem, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Vide Simonnetum *Tract. VI. de grat. Disp. IV. art. VIII.*

CAPUT QUARTUM.

Utrum omnibus quoque parvulis provisum sit de sufficiente remedio ad salutem?

NON quæritur hoc loco: an Deus infantibus conferat gratias sufficientes sitas in illustrationibus & inspirationibus supernis, harum etenim incapaces sunt, non tamen gratiæ sanctificantis, qua veluti nuptiali veste ornati ad cœnam nuptiarum Agni admitti queunt; sed quæritur: an omnibus infantibus etiam in utero matris decedentibus providerit de remedio saltem remote sufficiente ad salutem, e. g. de baptismo in lege gratiæ, in lege autem naturæ, vel veteri, de remedio illius Ecclesiæ statui conveniente, non solum istud instituendo & præparando, verum etiam volendo serio, ut conferatur, appliceturque. Certum videtur etiam, quod iis infantibus de hujusmodi remedio providerit, quibus baptismus, adultorum præcise culpa non applicatur, aut applicari non potest: uti accidit, cum parvulus parentum culpa in utero materno præfocatur, vel in lucem editus absque baptismo moritur, eorum, quibus obligatio incumbit eum procurandi, socordia & negligentia. Quare de iis duntaxat quæstio agitatur, qui vel in utero materno vi sola naturæ extinguuntur, vel jam nati, defectu aquæ, aut alia quacunque de causa (citra ullam culpam saltem actualem) nulla humana industria baptismus conferri potest. Thomas de Lemos candidè fatetur in sua *Panoplia Lib. IV. part. II. Tract. III. c. XV.* non reperiri antiquum Thomistam, qui asserat, iis sufficiens auxilium applicari. Et *Juenninus Inst. Theol. Part. VI. Dissert. I. de grat. c. V. art. I.* ait: *Sementia Thomistarum omnium contendit, multos parvulos illud medium nec proxime, nec remote recipere. His Gabr. Vasquezius, non ultimus e So. Jesu Scholasticus subscripsit in I. Part. S. Thomæ Disp. XCVI.* (quem tamen clarissimi Theologi, nostris adversariis eripere conantur ex iis, quæ scribit cap. III. nominatæ

Disput.) At communissima nostrorum docet: parvulos omnes recipere saltem remote, videlicet in parentibus, medium sufficiens ad justificationem, ac proinde ad salutem.

A S S E R T I O.

Deus omnibus etiam parvulis providit remedium saltem remote sufficiens ad salutem.

241 *Probat.* assert. I. Ex sententiis Num. 225. & seq. adductis, clarissime patet: Deum generali sua seria voluntate velle omnes omnino homines salvos fieri, & Christum mortuum esse pro omnibus, atqui parvuli sunt homines, nec possunt ullo fundamento ob peccatum originale eximi ab illa voluntate salvandi omnes; sic enim Augustinus *Lib. IV. contra Julianum c. VIII.* loquitur: *Nunquid parvuli, homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est: vult omnes homines salvos fieri?* igitur Deus vult etiam istos salvos fieri, non tantum *antecedenter*, verum etiam consequenter ad contractam originalem culpam, atqui nisi iisdem a Deo, & ex meritis Christi provisum foret de remedio sufficiente ad salutem, id non posset sustineri, essetque illa voluntas Dei respectu parvulorum otiosa ac inutilis, nec aliter intendisset eorum salutem, quam malorum Angelorum, quibus spatium pœnitendi non concessit, nec quidpiam commodi mors Christi iis attulisset, ergo. Unde parvulis istis non modo contulit Deus in Adamo sufficiens auxilium, ne laberentur in originale peccatum, sed etiam post lapsum providit iis de remedio ad resurgendum; hoc est: præparavit media salutis necessaria, ac de illis applicandis sufficienter, quantum est ex parte sua, providit.

Neque dixeris: Apostolum I. ad Timoth. 2. dicentem: *Deus omnes homines vult salvos fieri*, illico subijcere: *Et ad agnitionem veritatis venire*; ergo sicut Deus non obstante illa sua voluntate quosdam parvulos non vult ad agnitionem veritatis evangelicæ venire, ita pariter non vult salvos fieri. Namq. I. Ita separabilia esse; nam utique Deus parvulos, qui sacro latice accepto moriuntur, & salutem obtinent, vult salvos fieri, & tamen non vult ad agnitionem veritatis Evangelicæ venire, cum iis vitam non indulgeat longiorem,

rem, in qua venire possint. II. Dici posse, Deum velle, ut omnes parvuli perveniant, ad agnitionem veritatis *habitualem* per habitum fidei in hac vita, qui cum gratia baptismi iis confertur, & in altera ad *formalem* agnitionem per visionem beatificam, non autem velle, ut omnes parvuli ad agnitionem veritatis *formalem* in hac vita perveniant; cum non omnes velit adulescere.

II. S. Prosper *Lib. II. de vocat. gent. c. XX.* ubi contra voluntatem Dei salvandi omnes, opponit sibi exemplum infantium sine baptismo decedentium *c. XXIII.* hunc in modum respondet: *Non irreligiose, inquit, arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper est impensa nationibus: qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnia namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantia sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, nisi per alios consuli potest, & consequens est, illos adeorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu.* Bertius oppositæ sententiæ Patronus *Tom. III. de Theol. Discipl. Lib. XVIII. c. VIII.* negat libros de vocatione gentium esse Prosperi; verum id asserit duntaxat, non probat.

Solvuntur Objectiones.

Oppon. I. In lege gratiæ ad salutem parvulorum est unicum re- 242
medium baptismus, atqui non omnibus providetur de baptismo, ergo. Probat. m. 1mo: Baptismi applicatio, sive collatio non dependet a parvuli voluntate; nec a voluntate parentum in certis circumstantiis, ut ostenditur ex S. Augustino *Lib. de dono perseverant. c. XII.* dicente: *Plerumque festinantibus Parentibus & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur, igitur Deo nolente non confertur baptismus.* 2do: Sæpe fit, ut matres uterum gerentes fulmine tangantur, vel sub ipsa oratione, templi fornice opprimantur cum ipsis parvulis, cum igitur Deus instituerit hunc causarum 2darum ordinem, explicari nequit, quomodo horum parvulorum salutem velit, eisque de remedio salutis providerit. *Quid dicam, ait August. epist. CXCIV. de inopinatis & repentinis in-*

numeralibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præveniuntur, & baptismo præripiuntur infantes, cum e contrario sacrilegorum & inimicorum Christi, aliquo modo in Christianorum manus venientes, ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrant? 370: In hac sententia perperam obtenditur culpa parentum, vel avorum &c. quali istorum culpa ejusmodi parvuli sine baptismo morerentur; nam ut canit D. Prosper *carmine de ingratis: Nec meritis istud poteris aptare parentum, cum videas multos sanctis genitoribus ortos, nullo salvari studio potuisse suorum.* 470. S. August. *Lib. de dono persever. c. XII.* cur unus parvulus abluatur sacris undis, non item alter, ad inscrutabilia Dei judicia recurrit. 570: Deus I. Reg. c. 15. v. 3. præcepit Sauli: *Nunc ergo vade, & percutite Amalec - - - interfice a viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem,* ergo saltem isti parvuli intra vel extra uterum occisi, non habuere sufficiens remedium ad salutem.

243 Ante responsonem observa I. cum parvuli ipsi secundum D. Prosperum Num. 241. §. 11. laudatum suam salutem curare non possint, eorum parentis non solum immediati, sed & mediati ut avi, atavi &c. sicut propriæ, ita etiam eorum salutis curam habere debent. II. Sicut Deus salutem adultorum omnium vult, *si ipsi velint*, id est: si gratiæ Divinæ, quam illis non negat, cooperati fuerint, & finaliter perseveraverint, ita etiam vult omnium parvulorum salutem, *si baptizati in gratia decesserint.* Et quia Deus sub ista conditione vult eorum salutem, ad ejus conditionis purificationem præparat his parvulis sufficiens aliquod remedium saltem remotum, quod ipsis quidem non applicatur, sed eorum parentibus &c. per quos nisi steterit, applicatur ipsis parvulis medium proximum salutis, nempe baptisimus. III. Hæc Dei voluntas salvandi omnes parvulos est serîa & antecedens saltem remote providendi de baptismo, cum applicandi, in quantum seriem causarum *adarum* naturalium alligavit certæ gratiæ parentibus &c. eorum conferendæ, ita ut si illi hac gratia recte uterentur, velit causas *2das* eo modo disponere, qui necessarius est ad hoc, ut parvuli baptismum accipiant, etsi post prævisum parentum dissensum &c. causas *2das* aliter disponat, & mori parvulos absque baptismo sinat. Hinc nihilominus cursum causarum non instituit Deus di-

recte & absolute, ut impeditio baptismi sequatur, verum ex aliis altissimis suis finibus. Quare quod parvulorum multi sacro fonte non abluantur, non Deo, verum eorum parentibus immediatis, aut mediatis tribuendum est, quia etsi Deus sit author illius naturæ ordinis & cursus, secundum quem mater pragnans cum prole interimitur, attamen cursus ille naturæ fuit impedibilis per consensum ad oblatam parenti gratiam.

¶. jam ad I. C. M. dist. m. non omnibus providetur proxime de baptismo c. m. remote n. s. & conf. Ad *immum* dico: baptismi collationem non pendere quidem a voluntate parvuli ob defectum usus rationis, attamen pendet a voluntate parentum immediatorum vel mediatorum, ut paulo ante explicui. Admissio dein Augustini textu dist. conf. non confertur baptismus Deo *nolente* notatione consequente ad impedimentum positum a parentibus parvuli c. conf. antecedente n. conf. Nam Deus vult voluntate antecedente salutem omnium parvulorum, licet non velit voluntate consequente ad impedimentum, nempe dissensum gratiæ, positum a parentibus, adeoque voluntate consequente permittit, & vult parvuli mortem ante baptismum & damnationem incurrendam ob peccatum originale. Dixi: *ob peccatum originale*: Deus enim nolens applicari baptismum, id non facit in poenam operis alicujus culpabiliter admissi a parentibus, sed ideo solum, quia infanti indigno, utpote originali culpa infecto, non voluit absolute applicari baptismi gratiam, sed duntaxat sub conditione, si parentes cooperati fuerint his gratiis, si posuerint tale opus &c. Nam sicut Deus adultorum salutem propriis orationibus &c. alligavit, ita parvulorum alligavit orationibus, aliisque pietatis operibus parentum, vel Majorum. Nec obest, quod conditio, a qua pendet baptismus parvuli, ignoretur a parentibus; nam etiam adulti abutentes primis gratiis ignorant uberiores inde pendere, quibus salutem consequerentur.

¶. Ad *idum* ajo: etsi proxime & immediate defectus baptismi tribuatur fulmini &c. attamen remote & mediate tribuitur parentibus; etsi enim ejusm. periculum mater prævire non potuerit, si tamen prius ipsa, vel alii recte usi fuissent gratiis datis v. g. ad orandum pro suis posteris &c. nec alias culpas commisissent, Deus contulisset gratiam, illud periculum evadendi & alium ordinem cau-

causarum naturalium instituisse: *facienti enim quod est in se, Deus non denegat gratiam*; hinc etiam dicit: *petite, & accipietis*.

Ad 3^{ium} R. S. Prosperum hoc loco velle, quod defectus baptismi in præsentem culpam parentum refundi nequeat, sed in præteritam, ut manifestum fit e verbis ipsius Num. 241. allatis: *qua utique (gratia) si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*, videlicet ad baptismum suscipiendum. Immo docent nonnulli TT. parvulos posse mori nondum suscepto baptismo citra culpam parentum, si parentes, vel Majores eorum per gratiam excitati ad orandum &c. non advertant se ad id obligari.

Ad 4^{tum} dico: merito recurrendum ad inscrutabilia Dei judicia: nam quod Deus hunc parvulum ex parentibus iis nasci voluerit, quos prævidit illis auxiliis, quibus parvuli salutem alligavit, recte usuros, non item alterum, quis certam rationem reddat? quis ejus consiliarius fuit? sane nihil hic aliud, quam altitudo judiciorum. Ex hoc tamen solum inferitur, quod non detur auxilium efficax, cui nempe parentes cooperaturi sint, & consequenter eorum infantes ad baptismum perventuri.

Ad 5^{tum} R. etiam his parvulis provisum fuisse de remedio sufficiente in Majoribus, conferendo istis gratiam saltem remote sufficientem ad salutem, cui si cooperati fuissent, & ipsi proxime salvi fieri, & prolibus suis remedium salutis applicare potuissent; quia vero prævidit Deus absolute, eos non cooperaturos, voluntate consequente hunc defectum, voluit eadem infantum ante, quam applicaretur remedium.

245 *Quær.* Utrum Deus omnes & singulos homines salvos fieri voluerit solum in priori signo ad peccatum Adæ, in quantum ei ut Capiti morali contulit justitiam, per quam omnes salutem consequi possent; an vero etiam post Adæ peccatum, ita ut singulis hominibus in posteriori signo ad prævisionem peccati Adæ, conferat vel proxime, vel remote auxilia sufficientia ad salutem? R. Deum etiam voluisse in signo posteriori ad peccatum Adæ singulos homines salvos fieri, conferendo eis media, quibus possent a culpa liberari & salutem consequi. Hanc sententiam communiter docent SS. PP. apud Soaresium *Lib. IV. de prædest. c. I.* Istud elucet ex illo Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Deus omnes homines vult salvos fieri,*

fieri, ubi aperte loquitur de hominibus jam lapsis, pro quibus orare præcipit & pro quibus Christus semetipsum in redemptionem dedit.

Utrum vero de fide sit, omnes & singulos homines auxilium gratiæ præparatum accipere proxime, vel saltem remote sufficiens? nondum videtur esse decisum. Cl. Tournelyus, qui nostris assertionibus hac Dissertatione propositis suffragatur, de ista quæstione *Tom. III. de grat. Christi pag. 634.* hunc in modum loquitur: *Unum diligenter observate, de mera Scholæ quæstione hic, non de fide moveri quæstionem. Hoc enim unum hic fides statuit, justis non deesse gratiam, qua possibilia ipsis sint Dei mandata. De solis justis loquitur Concil. Trid. sess. VI. c. XI. & can. XVIII. De solis etiam justis actum est in prima ex V. famosis Fausenii propositionibus. Quanquam igitur verissimum illud ac certissimum habeamus, nemini mortalium Dei mandata ad observandum plane impossibilia esse, atque omnibus aliquam gratiæ mensuram cum in finem liberaliter a Deo distribui, fides tamen de solis justis pronuntiavit.*

CAPUT QUINTUM.

An sit possibilis creatura, quæ prævideatur omnibus auxiliis indifferenter sibi dabilibus consensura, vel diffensura?

HÆc quæstio in nostris Scholis potissimum tractari solet, ut argumentum solvatur, quod quidem in moderna providentia locum non habet, occasione tamen *Congreg. de auxiliis Divinis* ab Adversariis scientiæ mediæ, contra efficaciam gratiæ propositum fuit, existimantibus eo uno, veluti fortissimo ariete, systema nostrum subruendum. Est vero istud: ex nostra sententia de efficacia gratiæ sequitur, posse contingere, ut Deus aliquem hominem, etsi vellet convertere per suum auxilium, adeoque etiam prædestinare ad gloriam ut coronam, non posset; istud vero sacris literis & PP. adversatur, ut infra videbimus cum probatione Majoris propositionis. Huic argumento majori strepitu, quam pondere agitato, plura addidere iidem AA. Quid reponendum ad ea, patebit e dicendis.

ASSERTIO PRIMA.

Nullus est homo creatus, aut in præsciti rerum ordine creandus, qui reipsa dissentiret, & dissensurus prævideatur omnibus auxiliis de se indifferentibus, sibi dabilibus ad consensum, si ei darentur; immo moraliter impossibile est, ut creatura libera omnibus dictis auxiliis dissentiat, & videatur sub conditione, si ei darentur, dissensura, adeoque moraliter necessarium est, ut qualibet sub aliquibus consentiat.

- 247 **P**rimum assert. membrum paucis demonstratur: Deus in præsentia providentia potest quemlibet hominem convertere, & ad consensum salutarem flectere & reipsa permovere, igitur cum isthoc non præstet per auxilia necessitantia (teste enim Eccli. 15. v. 14. *Reliquit illum (hominem) in manu consilii sui*; & D. Hieronymo *Lib. II. contra Jovin. Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur*) potest id præstare per indifferentia, sub h. i. videt quemlibet hominem creatum & creandum sub aliquo auxilio indifferente consensurum, alioquin per auxilia indifferentia non posset illum (intellige potentia & efficaciter) convertere, ut patet, ergo. Ant. declaratur ex Scripturis: Proverb. 21. v. 1. habetur. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Matth. 3. v. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis (hoc est: induratis peccatoribus) suscitare filios Abrahamæ.* Ad Rom. 9. v. 18. *Cajus vult, miseretur, & quem vult, indurat.* S. August. *Lib. de corrept. & grat. c. XIV. Volenti (Deo) salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium.* Et in enchiridio c. *XCVIII. Quis tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit, non posse ad bonum convertere (similes textus complures legere licet ad Num. 119.)* ergo in hac providentia potest Deus quemvis per auxilia indifferentia convertere proxime & efficaciter, atqui istud non posset, si quis hominum per scientiam mediam prævideretur omnibus his auxiliis, in quibuscunque loci, temporis, aliisque circumstantiis dabilibus dissenfurus, ergo.

Alterum assert. membrum nititur rationibus TT. I. Quælibet 248
 creatura secundum se mutationi & inconstantia obnoxia est; inter
 auxilia vero Divina dantur alia aliis intensiora, & quamvis repu-
 diabilia, modo tamen diversissimo intellectum ac voluntatem affi-
 cientia, ut testatur *Lib. I. contra epist. Pelag. S. Augustinus*, ubi
 ait: *voluntatem nostram trahi a Deo variis & miris modis, ut*
velit; & c. V. de corrept. & grat. Homines variis & innumera-
bilibus modis vocari & moveri ad recte operandum, plura repe-
 ries Num. 132. sed h. i. moraliter impossibile est, ut quælibet
 creatura libera ex infinitis auxiliis, & in diversissimis circumstan-
 tiis sibi successive conferendis, aliquibus non consentiat, ergo. Hic
 obiter adverte: S. Augustinum non explicuisse Dei potestatem ad
 flectendam hominum voluntatem per potestatem *physice præde-*
terminandi, quia iste modus flectendi, & trahendi ad conversionem
 non est varius & multiplex, sed uniformis respectu omnium.

II. Inter auxilia indifferentia, sive talia, quæ nec metaphysice,
 nec physice connectuntur cum actu salutari, sunt possibilia
 etiam talia, quæ seipsis moraliter connectuntur cum actu salutari,
 & possunt voluntatem moraliter necessitare ad illum, sed h. i. ne-
 quit ulla creatura potentia morali dissentire omnibus auxiliis indif-
 ferentibus; quia saltem auxiliis moraliter necessitantibus, moraliter
 necessario consentiet, ergo.

A S S E R T I O S E C U N D A.

Non est tamen metaphysice necessarium, ut quælibet creatura libera
possibilis consentiat, & consensura prævideatur per scientiam me-
diam alicui auxilio & indifferentibus sibi dabilibus, si hæc ei da-
rentur, adeoque non repugnat absolute & metaphysice, ut quævis
creatura libera videatur omnibus auxiliis indifferentibus
dissensura.

Hanc assertionem propugnat Joan. Marinus *Tract. VIII. de li-*
 bero arbit. *Disp. III. sect. I.* cum clarissimis TT. contra Thyrs-
 sum Gonzalezium, Perezium, aliosque. *Prob. I.* Si metaphysice
 repugnaret, creaturam omnimode liberam, dissentire omnibus au-
 xiliis indifferentibus sibi successive dabilibus, tunc respectu crea-
249

turæ daretur necessitas antecedens metaphysica & *vaga* consen-
 tiendi alicui auxilio indifferenti, sed nequit assignari fundamentum,
 in quo dicta necessitas posset fundari, ergo. Prob. m. Nam *1mo*:
 ea necessitas nequit fundari in virtute motiva auxiliorum: etsi e-
 nim possibilia sint magis & magis intensa, aptaque ad movendam
 voluntatem, quia tamen supponuntur esse in linea auxiliorum in-
 differentium, connexionem *essentialem* seu determinate, seu vage
 sumpta, cum determinato libertatis extremo v. g. consensu non
 habent. *2do*: nec in mutabilitate & inconstancia voluntatis crea-
 tæ; nam hæc tanta non est, ut superari & vinci *absolute* loquen-
 do non possit. In his igitur duobus necessitas metaphysica fundari non potest, licet moralis necessitas alicui auxilio ex indiffe-
 rentibus successive dabilibus, in iis fundetur. *3tio*: nec in domi-
 nio Dei, & perfectione omnipotentia, aut alio prædicato Divino
 fundari potest dicta necessitas antecedens consentiendi, ut e solu-
 tione objectionum constabit.

II. Potest quælibet creatura libera etiam secundum AA. cui-
 vis auxilio indifferenti determinate sumpto, metaphysice loquendo
 dissentire, igitur non repugnat, ut prævideatur per scientiam me-
 diam etiam omnibus auxiliis indifferentibus successive conferendis
 dissensura. Conf. prob. sicut quodlibet auxilium ex innumeris &
 infinitis indifferentibus distributive, ac determinate sumptum est
 natura repudiabile, ita quoque omnia collective sumpta sunt ejus-
 dem naturæ, adeoque tota talium auxiliorum dabilium collectio,
 metaphysice non necessitabit creaturam ullam ad consensum, seu
 non connectetur metaphysice vage cum ullo consensu, ergo si po-
 test cuivis determinate accepto dissentire, potest etiam omnibus
 collective acceptis.

250 Neque dixeris: Etsi creatura libera non necessitetur morali-
 ter ad consentiendum alicui auxilio indifferenti determinate acce-
 pto, non tamen recte infertur, quod non detur moralis necessi-
 tas vaga consentiendi alicui auxilio ex omnibus indifferentibus,
 ergo etiam licet non detur necessitas metaphysica consentiendi ali-
 cui auxilio indifferenti determinate accepto, non recte infertur,
 quod non detur metaphysica necessitas vaga consentiendi alicui in-
 determinate ex tota collectione indifferentium auxiliorum.

Nam *β.* disparem rationem in eo esse I. Quod necessitas moralis consentiendi alicui auxilio indifferenti indeterminate sumpto, omnino fundetur in mutabilitate & inconstantia voluntatis creatæ, & virtute motiva auxiliorum etsi indifferentium, ut dixi Num. priore; at vero necessitas metaphysica vaga consentiendi alicui auxilio indifferenti in nullo prædicato potest fundari. II. In collectione auxiliorum indifferentium reperiuntur determinate accepta tantæ intensiōis, ut voluntati moralem necessitatem inferant ad consentiendum, cujusmodi datum erat Paulo ad conversionem, non reperitur autem in collectione auxiliorum indifferentium metaphysice necessitans.

Ex his colliges I. Deum in signo scientiæ simplicis intelligentiæ videre possibile esse, ut quæcunque creatura de se libera consentiat, aut dissentiat omnibus auxiliis indifferentibus sibi dabilibus. 251

II. Deum in signo scientiæ mediæ cognoscere, adeoque formaliter certum reddi, utrum aliqua ex creaturis reipsa esset consensus, vel dissensus omnibus auxiliis indifferentibus, si hæc ei darentur. Convenit inter defensores scientiæ mediæ, ex omnibus creaturis, quæ in moderna providentia extiterunt, existunt, aut existent (addunt plerique, etiam ex omnibus possibilibus) nullam esse, quæ defacto prævisa sit omnibus auxiliis indifferentibus dissensus, aut consensus, sed quamlibet prævisam esse multis auxiliis indifferentibus dissensuram, multis consensuram. Unde vides, Deum in præsentī providentia quamlibet creaturam salva ejus libertate, atque adeo per mera auxilia indifferentia convertere, ut dictum Num. 124. §. III. & similiter quamlibet sub auxiliis indifferentibus suo modo obdurare posse per dicta Num. 233. Marinus tamen laudato Tract. sect. VI. Num. LXXVIII. ait: *Non tam asserendo, quam optando, ut ab aliis asseratur, pie judico, B. Virginem fuisse prævisam omnibus auxiliis supernaturalibus consensuram, licet simul sit prævisa dissensus infinitis auxiliis naturalibus.*

III. Quidquid in assertione dictum est de possibilitate creaturæ potentis omnibus auxiliis indifferentibus sibi dabilibus dissentire, idem cum proportione intelligendum esse de creatura potente omnibus consentire.

Satisfit fundamentis Adversariorum.

252 **O**ppon. contra *adam* assert. I. Authoritates Num. 247. adductæ loquuntur non solum de necessitate morali, verum etiam metaphysica, ergo metaphysice necessarium est, ut qualibet creatura libera consentiat & consensura videatur alicui auxilio ex indifferentibus sibi dabilibus. Ant. probat. quia dicunt simpliciter, quod possit Deus *cor Regis*, adeoque etiam *omnium* hominum, *quocunque voluerit*, inclinare; quare perperam ad moralem tantum necessitatem, vel ad hanc providentiam restringuntur, cum indifferenter loquantur. II. Ad potestatem conversivam, & dominium Dei pertinet, posse pro suo arbitrio quamlibet creaturam convertere & prædestinare ad gloriam ut coronam, atqui creaturam, quæ prævideretur per scientiam mediam omnibus auxiliis dissensura, non posset convertere & prædestinare ad gloriam ut coronam, ergo repugnat ejusm. creatura. M. prob. ex S. Augustino *Lib. de corrept. & gratia c. XIV.* dicente: *Volenti (Deo) salvum facere nullum hominis resistit arbitrium*; m. patet: quia a tali creatura non posset Deus obtinere actum meritorium; sine quo adultis non confertur gloria. Item: Deus non posset reprobare creaturam, quæ prævideretur omnibus auxiliis indifferentibus consensura, sed hoc adversatur dominio Dei, quod habet in creaturas, ergo.

253 **re.** ad I. n. ant. cum sua probatione: nam & Tridentinum sess. VI. can. XXIII. dicit simpliciter sine addito: *Si quis hominem justificatum dixerit - - - posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio - - - anathema sit*, & tamen ista necessitas venialiter peccandi longiori vitæ tempore est solum moralis, & non metaphysica, vel phyfica per dicta Num. 85. ac apud Matth. 18. id quod solum moraliter necessarium est, simpliciter dicitur necessarium: *Væ mundo a scandalis, necesse est enim, ut veniant scandala.* Accedit: quod necessitas antecedens metaphysica consentiendi alicui auxilio indifferenti, in nullo prædicato possit fundari.

Ad II. *re.* I. ad potestatem conversivam & dominium Dei pertinet, posse pro suo arbitrio quamlibet creaturam convertere & prædestinare ad gloriam ut coronam, dependenter ab actu salutari, vel solum quoad circumstantias, vel omnimode libero C. M. posse

pro-

proxime prædestinare creaturam dependenter ab actu salutari *omni-*
mode libero sine scientia media N. M. sic distincta m. n. conf. Ra-
 tio est: quia potentia proxima prædestinandi creaturam ad glori-
 am ut coronam, sive ad gloriam ut præmium meritorum, consti-
 tuitur partialiter per scientiam mediam de merito finali sub aliquo
 auxilio indifferente conditionate futuro (ut suppono ex Tract. de
 Deo) quæ scientia absolute potest abesse. Posset nihilominus Deus
 etiam creaturam omnibus auxiliis indifferenter prævisam dissensu-
 ram, prædestinare ad gloriam ut *hæreditatem* tantum, vel etiam
 ut *coronam meritorum*, dependenter ab actu salutari quoad *sub-*
stantiam necessario per auxilium necessitans, & quoad *circumstan-*
tias libero, qui sufficit ad meritum, ut dicam uberius Num. 259.
 §. VI. Ad textum S. Augustini dico: eum intelligendum de mo-
 derna providentia, in qua qualibet creatura libera, prævidetur in-
 numeris auxiliis indifferenter consensura, quæ, si conferat, salvam
 utique faciet eam, nec iis resistet, nec resistere potest impoten-
 tia consequente ad liberam determinationem consensus; atque adeo
 in moderna providentia potest Deus *proxime*, & potentia ad a-
 ctum reducenda quamlibet creaturam convertere, & prædetermi-
 nare ad gloriam ut coronam, salva omnimoda illius libertate.

Ad id, quod de reprobatione adfertur ꝛ. Deum non posse
 creaturam omnibus auxiliis consensuram *positive* reprobare, *puni-*
reque æternis cruciatibus tanquam poena; hæc etenim præsuppo-
 nit ex conceptu suo culpam, Deus autem neminem potest *necef-*
fitare ad culpam seu peccatum. Immo secundum quosdam TT.
 hujusm. creaturam nec posset præcise *affligere* per cruciatus in
 æternum, quia affligere ac cruciari est malum positivum Divinæ
 clementiæ adversans, ut patet in humanis, si quis v. g. innocen-
 tem torqueret. Idcirco creaturam prævisam omnibus auxiliis con-
 sensuram, posset Deus solum reprobare *negative*, nempe non eli-
 gendo ad gloriam; item posset eam non producere, vel produ-
 ctam non elevare ad supernaturalem ordinem, atque adeo nullum
 ei conferre auxilium superni ordinis.

Hic advertite: Dei dominium & omnipotentiam non exigere,
 ut *quovis* medio *quemcunque* finem assequatur, secus posset Deus
 velle, ut creatura eliciat sub principiis pure naturalibus actum in-
 trinsece supernaturalem, & sub auxilio metaphysice necessitante
 actum

actum liberum, quod profecto contradictionem involvit. Sufficit ergo ad dominium Dei & omnipotentiam, quod habeat media infinita & opportunissima finibus efficaciter intentis proportionata.

¶ II. ad potestatem conversivam & dominium Dei pertinet, posse quamlibet creaturam convertere vel per auxilia necessitantia, vel per indifferentia C. M. per auxilia indifferentia subdist. præsupposita scientia media de consensu conditionate futuro C. M. hac non præsupposita N. M. quamvis & in hoc casu posset Deus *remote* convertere creaturam per auxilia pure indifferentia, ut nunc dicturus sum.

254

Observ. igitur I. Deo essentialem & necessariam esse aliquam potentiam proximam convertendi quamvis creaturam, adeoque etiam prævisam per scientiam mediam omnibus auxiliis indifferentibus dissensuram. Namque Deo est essentialis potentia quamlibet creaturam liberam necessitandi per auxilium necessitans ad actum aliquem honestum ex innumeris vel quoad speciem, vel quoad intensionem inæqualibus, atqui talis potentia est utique potentia proxima convertendi quamlibet creaturam liberam, quia collato hujusm. auxilio necessitante, & ab intrinseco connexo cum actu honesto, Deus metaphysica infallibilitate obtineret conversionem creaturæ per actum hujus liberum & meritorium quoad *circumstantias*; etsi enim creatura vi auxilii necessitantis foret necessitata ad *substantiam* conversionis, seu actus salutaris, libera tamen esset quoad actus circumstantias, nempe intensionem, vel specificam indifferentiam, quam proinde libertatem exercendo mereretur, & meritorie converteretur. Porro Deus non posset dare dictum auxilium necessitans, aut efficaciter decernere conversionem talis creaturæ independentem a scientia media, per quam sub conditione necessitantis auxilii prævideret, non quidem conversionem quoad substantiam (hæc enim inposito casu esset objectum scientiæ necessariæ, non mediæ) sed conversionem determinatæ *intensionis* ab eodem ponendam.

Observ. II. Deo non esse essentialem potentiam proximam convertendi quamlibet creaturam per auxilia pure *indifferentia*, adeoque salva omnimoda libertate creaturæ; unde non repugnat metaphysice, ut Deus hac potentia proxima respectu alicujus creaturæ possibilis careat. Ratio hujus datur: quia potentia proxima convertendi (idem dic de quolibet actu salutari libero obtinendo)

creaturam per auxilia pure indifferentia, non dicit solam virtutem omnipotentis Divinæ, verum etiam scientiam mediam de ponendo libere consensu a creatura, sub conditione alicujus auxilii indifferentis, atqui hæc scientia media non est Deo essentialis & necessaria, utpote quæ versatur circa objectum contingens creaturæ liberum, adeoque ab ista impedibilis, ergo. M. patet: quia hæc potentia proxima convertendi, est potentia ita vocandi creaturam, quomodo illi congruum est, ut vocantem non respuat, hæc autem potentia constituitur per scientiam mediam, quia per hanc Deus cognoscit vocationem esse talem, quam vocatus non respuat. Patet etiam m. quia cum possit scientia media impediri & deficere sub omnibus auxiliis indifferentibus creaturæ dabilibus, potest etiam impediri & deficere dicta potentia proxima convertendi creaturam. Vide etiam Num. 210. Dixi superius: *Deo non esse essentialem potentiam proximam &c.* potentia enim remota est ipsissima virtus omnipotentis Divinæ Deo essentialis, & perfectio simpliciter simplex, quæ deficere non potest, & ideo Deus semper habet potentiam remotam convertendi quamvis creaturam omnimode liberam per auxilia pure indifferentia, consistentem in potentia producendi infinita auxilia indifferentia diversimode inclinantia voluntatem ad conversionem, vel alium actum salutarem; quæ remota potentia est Deo essentialis & intrinseca. Est enim hæc auxilia hic & nunc ob pravisum dissensum sint inefficacia, nihilominus sunt reipsa sufficientia.

Oppos. III. Ex nostra sententia sequeretur *1mo*: creaturam habere majorem potentiam semet per dissensum auxiliorum indifferentium indurandi, quam Deum habere potestatem, eam per consensum eorundem auxiliorum emolliendi, & convertendi, atqui istud repugnat dominio & omnipotentis Dei, ergo. Sequeretur *2do*: Ipsi creaturæ virtutem resistendi, posse vincere virtutem Divinam convertendi creaturam; cum tamen hæc virtus convertendi creaturam sit infinita, virtus vero resistendi ipsius creaturæ sit solum finita. Immo sequeretur *3tio*: virtutem resistendi, quam habet secundum nos creatura, esse infinitam: cum enim resistere centum auxiliis sit difficile, & resistere millenis sit difficilius, profecto resistere infinitis auxiliis creaturæ dabilibus, erit resistere infinite difficile, igitur virtus iisdem resistendi erit infinita. IV. Deus

secundum August. enchirid. c. IX. *Non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest; nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus*, atqui creatura, quæ prævideretur omnibus auxiliis indifferentibus dissensura, impediret sua voluntate effectum voluntatis Dei, si nempe productam vellet convertere conversione libera, ergo.

256

Ad III. r. generatim I. Deum per auxilia necessitantia posse obtinere a creatura consensum, & quidem meritorium per dicta Num. 254. Cæterum hoc alioquin præsupposito & loquendo solum de auxiliis indifferentibus, r. II. N. *1mam* sequel. M. Creatura enim non habet majorem potestatem, sed solum aliam. Nam potestas convertendi creaturam per auxilia indifferentia in Deo, est potestas conferendi creaturæ alia & alia, omnibus excogitabilibus circumstantiis accomodata, & hæc potestas est entitative infinita, essentialis Deo &c. At potestas semet indurandi in creatura, est solum potestas suppositis auxiliis a Deo conferendis physice & metaphysice indifferentibus, iisdem potentia physica & metaphysica dissentendi, quæ potestas nec est entitative infinita, nec essentialis creaturæ, nec a se, verum a Deo eam accipit producente creaturam liberam, eique dante auxilia, nec ulla ratione adversans supremo Dei dominio, aut omnipotentia; sicut huic non adversatur potestas alicui determinato auxilio non consentiendi, qua tamen potestate est prædita creatura, etiam fatentibus AA. Quemadmodum enim si creatura prævisa sit uni determinato auxilio dissensura, Deus nequit eam potentia proxima convertere per hoc auxilium, idque citra præjudicium omnipotentia; Dei &c. ita pariter si prævideretur omnibus dissensura, nequit eam potentia proxima convertere per ullum auxilium indifferens citra dictum præjudicium.

N. similiter *2dam* sequel. Inprimis enim non potest creatura vincere potentiam *conversivam remotam* Deo essentialem & intrinsicam; quia nequit creatura efficere, quo minus Deus conferre possit auxilia indifferentia alia, atque alia in infinitum. Dein nec *proximam* vincit proprie loquendo, quia creatura præcise facit, ne detur potentia proxima convertendi, utpote constituta partialiter per scientiam mediam de consensu creaturæ libero. Istud autem non officit dominio, aut omnipotentia; Dei, ut modo dixi,
&

& Num. 253. verbo: *Hic advertit.* Virtus quidem Dei convertendi creaturam, est infinita entitative & in actu *1mo*, ac etiam in actu *2do* per media necessitantia: at non est infinita in actu *2do* per quæcunque media etiam inepta, adeoque in presenti casu per media indifferentia.

N. etiam *3tiam* sequel. Nam imprimis omnia auxilia indifferentia *simul*, hoc est: eodem instanti relate ad eundem actum *2dum* alicui creaturæ conferri, seu applicari non possunt, hoc etenim fieri nequit, ut consideranti patet. Si vero *successive* conferantur, ad resistendum iis non requiritur virtus resistitiva infinita, quamdiu isthæ auxilia perseverant entitative indifferentia. Quod si supponas majoris & majoris intensiōnis conferri, utique non manent mere indifferentia; nam ascendendo per gradus intensiōnis, necessarium tandem erit, ut perveniamus ad auxilia adeo intensa, ac tam vehementer impellentia voluntatem ad consensum, ut physice necessitent ad consensum; alias non forent possibilia auxilia, quæ ratione intensiōnis necessitatem physicam imponant voluntati ad consensum præstandum. Si igitur supponas, omnia auxilia esse indifferentia ad consensum & dissensum, dist. illud: resistere auxiliis millenis est *moraliter* difficilius, & difficultate proveniente solum ex multitudine auxiliorum, quæ quo plura sunt, eo majus præbent fundamentum judicandi, voluntatem alioquin inconstantem non operaturam *uniformiter* sub omnibus auxiliis c. est difficilius *physice* & hac difficultate proveniente ex intensiōne, seu virtute impulsiva auxiliorum n. Unde ad resistere auxiliis infinitis *successive* dabilibus, non requiritur infinita virtus, sed sufficit idem liberum arbitrium ad resistendum physice finitis in infinitum auxiliis aptum.

Ad IV. B. Dist. M. Deus vocatur omnipotens, quia quidquid vult, potest vel proxime, vel remote C. M. semper proxime, subdist. quidquid vult efficaciter, potest semper proxime C. M. quidquid etiam ineffaciter vult, potest proxime N. M. Item: nec voluntate cujuscumque creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus volitus efficaciter C. M. volitus ineffaciter N. M. sic cum proportione distincta m. n. conf. Ratio est: quia quod Deus non possit proxime convertere ejusm. creaturam, & obtinere consensum sub auxiliis mere indifferentibus, est solum impotentia con-

sequens orta ex suppositione Deo libera, qua noluit creaturam necessitare ad consensum, sed reliquit eam suæ libertati. Unde subtilibus auxiliis collatis dependenter a scientia media, qua vidit dissensum conditionatum creaturæ, nec Deus vult efficaciter consensum, cum non possit velle efficaciter liberum consensum sub auxilio prævisio inefficaci.

258

In ordine ad hanc, aliasque difficultates solvendas observ. I. Quidam effectus sunt soli Deo liberi, ut e. g. sol, mundus &c. cujusm. effectus potest efficaciter velle & proxime producere illico post signum scientiæ simplicis intelligentiæ, qua vidit possibilitatem solis &c. ac per hanc ipsam scientiam & possibilitatem constituitur potentia proxima producendi absolute solem. Quidam effectus sunt soli creaturæ liberi, ut actus salutares &c. liberi vero esse nequeunt, nisi ex determinatione ipsius creaturæ procedant. Quare potentia proxima efficaciter volendi actum creaturæ liberum, v. g. conversionem, constituitur insuper per scientiam mediam de actu ex determinatione creaturæ conditionate futuro. Hinc si hæc scientia absit, uti potest abesse, Deus actum ut creaturæ omnimode liberum efficaciter velle nequit, quin idcirco quampiam perfectionem ratione dominii, aut omnipotentia sibi essentialem amittat.

II. Falsum est, Deo necessario competere potentiam proximam producendi per quaecunque medium, quidquid est proxime possibile; alias daretur necessitas metaphysica, ut Deus possit per quodvis determinatum auxilium indifferens obtinere a Petro consensum, cum iste sub quovis auxilio antecedenter ad prævisum conditionatum consensum Petri sit proxime possibilis. Licet ergo consensus Petri (uti etiam illius dissensus) sit proxime in se & intrinsece possibilis ante prævisum conditionatum consensum, atamen Deus non potest cum pro suo arbitrio infallibiliter obtinere, seu potentia proxima prædefinire, salva omnimoda libertate creata, sine scientia media de consensu sub conditione futuro.

III. Deus omne id potest proxime, quod est proxime possibile, verum eo modo, quo proxime possibile est. Hinc cum conversio libera sub quovis auxilio indifferente potentia antecedente sit proxime possibilis creaturæ solum per propriam determinationem & electionem, non est proxime possibilis Deo libera conver-

sio

sio creaturæ per determinationem Dei; nequit enim idem actus liber, duabus causis liberis immediate liber esse per electionem & determinationem, ut dictum Num. 151.

IV. Cur creaturæ in præsentī providentiā aliquibus auxiliis prævisæ sint consensuræ, aliquibus dissensuræ, ratio alia dari nec potest, nec debet, quam libera creaturarum determinatio ad consensum potius, quam dissensum, quod ipsum postulat natura perfectæ libertatis, quam contulit Deus creaturæ, conservatque. Nec est casuale respectu Dei, quod videat consensum, vel dissensum: nam illud dicitur causale respectu alicujus, quod vel non prævidetur ab eo; vel non est in ejus arbitrio, ut sequatur; atqui Deus & prævidet, quod creatura operaretur sub auxiliis, si ei darentur, & non nisi Deo libere dante auxilium, consensus, vel dissensus est futurus.

V. Si Deus non posset destruere aliquam creaturam, ex suppositione licet contingente, quod videlicet eam libere produxerit, argueretur in Deo impotentia proprie talis; quia hæc impotentia destruendi foret antecedens & absoluta in Deo, teneretque se totus defectus ex parte Divinæ omnipotentia. Ex adverso: impotentia convertendi vel prædestinandi creaturam per auxilia indifferentia, quæ omnibus his videretur dissensura, non foret impotentia antecedens absoluta, sed consequens liberum exercitium conditionatum creaturæ, quæ si aliter uteretur libertate sua, jam Deus proxime posset per eadem auxilia convertere & prædestinare; proinde quod hic & nunc salva ejus libertate non posset, defectus se tenet ex parte creaturæ.

VI. Potest Deus creaturam omnibus auxiliis indifferentibus prævisam dissensuram, prædestinare ad gloriam ut coronam, seu obtinendam dependenter ab actu libero & meritorio, ut dictum Num. 253. Quamvis enim Deus ab ejusm. rebelli creatura; non posset obtinere actum meritorium liberum omnimoda libertate, ut est liber in præsentī providentiā, posset tamen obtinere actum meritorium simpliciter, seu liberum libertate sufficiente ad meritum, nempe conferendo ei in statu absoluto auxilium necessitans ad actum bonum v. g. in genere, relicta libertate ad actus inæqualiter perfectos, tum diversæ speciei, tum diversæ intensiōis intra eandem speciem. Nam creatura necessitante auxilio sic im-

pulsa ad actum bonum elicendum, ita eliciet actum e. g. amoris Dei, ut posset elicere actum inferioris virtutis v. g. temperantiae, atque ita eliciet actum intensum v. g. ut quatuor, ut posset elicere actum intensum ut tria. Ex quibus claret: data praedicta necessitate, Deum metaphysica infallibilitate obtinere actum creaturae liberum & meritorium. Nam etsi creatura vi illius necessitantis auxilii foret necessitata ad *substantiam* actus boni & salutaris, libera tamen foret, quoad *circumstantias*, nimirum illius specificam indifferentiam, aut intensionem, quam proinde libertatem exercendo mereretur, & meritorie obtineret gloriam coelestem. Hanc vero libertatem absolute sufficere ad rationem meriti, patet in Christo, qui praecise liber erat ad diversam honestatem, vel intensionem actuum, & simul metaphysice incapax ad omnem actum inhonestum. Porro creatura dicto modo necessitata, non posset omnium actuum sibi possibilium actum *minimae* intensionis eligere; tum quia minimus in intensione supponitur esse impossibilis, tum etiam, quia creatura esset necessitata ad elicendum actum honestum, talis autem electio actus minimae intensionis supponitur ab AA. non fore honesta & laudabilis, igitur eam elicere non posset. Et quamvis voluntas creaturae non discernat inter individua, cum haec sint omnino similia & aequalia, attamen sufficit, quod specificam bonitatem & honestatem virtutis cognoscat, simulque cognoscat possibles sibi esse semper imperfectiores actus, ac talem conatum voluntatis adhibeat ad actum ponendum, quo minorem, vel majorem exercere potuit; quod utique libertatem arguit ad merendum sufficientem.

VII. Necessitas vaga metaphysica consentiendi alicui auxilio indifferenti, non tolleret libertatem actus etiam quoad *substantiam*; quia supposita ejusmodi necessitate, omnia auxilia non deberent creaturae conferri successive; & sub quovis determinato auxilio consentire, vel dissentire posset tum conditionate, tum absolute; ideoque hoc titulo non rejicimus hanc necessitatem, sed isto, quod nihil assignari possit, in quo fundetur per dicta Num. 249. At si haec necessitas consentiendi alicui auxilio ex collectione auxiliorum *finita* supponatur, non stat cum libertate quoad substantiam consensus, vel dissensus, si haec auxilia in statu absoluto reipsa conferantur. Ratio est: quia dicta collectio juncta

necessitati metaphysicæ consentiendi, antecedenter, & inevitabiliter infert substantiam consensus. Nam *1mo*: infert *antecedenter*, quia antecedit actum *2dum* creaturæ, uti supponitur. *2do*: infert *inevitabiliter*, quia si hæc finita collectio detur a parte rei, licet vitari possit consensus sub quovis auxilio seorsim, non tamen sub omnibus, atque adeo si supponas collectionem esse X. auxiliorum, si IX. auxiliis dissentiat, consentiet ex necessitate sub decimo auxilio, prout substantive dictæ necessitati metaphysicæ alicui ex X. auxiliis consentiendi, proinde daretur libertas solum quoad circumstantiam, ut nempe creatura huic vel illi auxilio consentiat, non vero quoad substantiam consensus.

VIII. Etsi nulla navis determinate sit necessaria ad navigandum, aliqua tamen vage est necessaria. Navigatio enim veluti effectus dependet a causa proportionata nempe navi, eamque in suo conceptu involvit. Ubi vides, hanc necessitatem fundari in effectu. E contrario: necessitatis metaphysicæ vagæ ad consentiendum alicui ex omnibus auxiliis indifferentibus, nullum potest assignari fundamentum, ut nuper demonstratum est.

C A P U T S E X T U M.

Utrum auctoritas D. Augustini in materia de gratia sit irrefragabilis?

I. **D**OCTRINAM D. Augustini, præsertim in materia gratiæ, maximi semper ponderis fuisse in Ecclesia, nemo TT. ignorat. Eximius Doctor *Proleg. VI. c. VI. Num. XVII.* hoc encomio ejus doctrinam celebrat: *Augustinus, inquit, tanta sapientia, tanto ingenio, tanta diligentia, & instantia, & quod caput est, tot Dei donis & auxiliis præditus pro Divina gratia tuenda & explicanda laboravit. - - ut ejus sententia semper sit præferenda, nisi communis Patrum, vel Ecclesiæ auctoritas obstare videatur, quod raro, vel nunquam continget; nam si alicubi id occurrerit, explicandus erit Augustinus potius, quam reprobandus.* Et jam olim S. Hieronymus in epistola ad S. Augustinum, hunc in modum eum allocutus est: *Macte virtute! in orbe celebraris; Catholicæ te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur, atque suspi-*

spiciunt; & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. Tum D. Prosper in epist. ad Rufinum, postquam Sedem Apostolicam & Concilia Pelagium damnasse retulisset, subjungit: *Beatissimus quoque Augustinus præcipua utique in hoc tempore portio Domini Sacerdotum* (has hæreticorum versutias) *copiose & pulchre in multis voluminum disputationibus destruxit, utpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissime Spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc sententiæ & sapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non solum istam adhuc in suis detractionibus palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invito verbi gladio debellaret.*

261

II. Quamvis vero plurimi fiat S. Patris autoritas, ea tamen non censetur *irrefragabilis*, nisi solum quoad ea, quæ a CC. & Pontificibus probata sunt ut vera & credenda, quæ continentur in epistola Cœlestini I. ad Episcopos Galliarum, videlicet *1mo*: In prævaricatione Adæ, omnes homines innocentiam, & possibilitatem naturalem, id est: expeditam facultatem amisisse ad actus salutares, & neminem per liberum arbitrium e ruina illa citra Dei gratiam (intellige internam, non externam legis, atque doctrinæ) posse resurgere. *2do*: Neminem esse per seipsum bonum sine gratia Dei, qui solus est bonus. *3tio*: Neminem, etiam baptizatum, posse superare insidias dæmonis, aut concupiscentias carnis, nisi quotidiano auxilio perseverantiam a Deo acceperit. *4to*: Neminem recte uti libero arbitrio, nisi per Christum, adeoque omnia bona opera referenda ad Deum, plusque in bonis operibus valere Divinum auxilium, quam humanum arbitrium. *5to*: Omnes motus bonæ voluntatis esse a Deo, sine quo nihil possumus. *6to*: Anathemati eum subesse, qui dixerit, gratiam, qua justificamur, ad solam prodesse peccatorum remissionem, non vero ad eorum evitacionem. *7mo*: Anathema etiam dicendum ei, qui dixerit, gratia tantum aperiri ac revelari intelligentiam mandatorum, ut sciamus, quid appetere, aut vitare debeamus; non autem per illam præstari, ut velimus aut faciamus, aut ea tantum opus esse ad facilius posse, non autem ad simpliciter posse. In reliquis vero assertis, Augustini doctrina non censetur irrefragabilis, nec omnis de gratia ejus doctrina universe approbata est, ut discimus ex eodem Cœlestino, qui ad calcem laudatæ epistolæ adnectit: *Profundo-*
dio-

diores vero, difficiliioresque partes incumbentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt (quos inter Augustinus eminent) sicut non audent contemnere, ita non necesse habemus adstruere; additque rationem: quia ad consistendam gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis (quas nempe in VII. punctis paulo ante recensui) esse contrarium.

III. At Jansenius ut suos errores e luctulento Bajano fonte haustos tueretur, usque adeo Augustini auctoritatem extulit, ut Tom. II. de ratione & auctorit. L. I. Proæmiali c. XIV. pronunciarit: *Augustini doctrina est irrefragabilis auctoritatis; & c. XXIV. Augustinus, inquit Iprensis, est instar omnium, loco omnium, supra omnes, Pater Patrum, Doctor Doctorum, primus post Scriptores Canonicos, inter omnes vere solidus, subtilis, irrefragabilis, Angelicus, Seraphicus.* Tum Lib. III. de statu puræ nat. c. XXII. apud nostrum Annatum Lib. III. c. IV. ad eam interrogationem: *Quid ad propositiones, quas proscripsit Sedes Apostolica? respondet liberrime: Sed quid ad doctrinam Augustini clarissimam, constantissimamque, quam toties probavit, & sequitur, sequendamque monet Sedes Apostolica? nam si fundamentales illæ contra Pelagianam hæresim doctrinæ proscribendæ sunt, non inter Magistros optimos semper haberi Augustinus a Summis Pontificibus, sed inter ignarissimos haberi debuit.* Ex his immoderatis laudibus in D. Augustinum congestis licet colligere, Iprensē velle: propositiones illas Baji, quas temerarie iudicat ab Augustino fuisse traditas, teneri, ac sustineri posse, non respiciendo ad constitutiones Pontificum, quibus eadem propositiones proscribuntur; perinde quasi unus Augustinus præferendus foret (si eas docuisset) tot Summis Pontificibus illas e cathedra damnantibus. Quæstio jam in eo versatur: utrum auctoritas D. Augustini sit irrefragabilis quoad ea: quæ a CC. & Pontif. non sunt approbata, ita ut si quis doctrinam quampiam in Augustino clare fundatam repererit, possit eam tute amplecti, quidquid in oppositum Bullis Pontificum sic definitum, ipsaque Bullæ ad mentem Augustini exponendæ sint, & non e converso?

A S S E R T I O.

Doctrina D. Augustini etiam in materia de gratia non est universe irrefragabilis.

263 **H**Æc assertio pugnat adversus Calvinum, Jansenium, Queshel-
lum, ejusque veritas patet e propositione XXX. ab Alexan-
dro VIII. anno MDCXC. die XX. Decembr. damnata hujus teno-
ris: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam; cum ergo Pontifex nullum omnino librum S. Augustini excipiat, omnino sequitur, respiciendum sive attendendum esse ad Bullam Pontif. in quocunque hujus S. Patris libro doctrina dicatur fundari, atque adeo nullam doctrinam ipsius esse irrefragabilem, ac quasi canonicam, nisi infallibili autoritate Ecclesiæ fulciatur; contra cujus autoritatem, ut opportune scribit S. Thomas 2. 2. quæst. II. art. 2. ad 3. nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sanctorum Doctorum suam sententiam defendit.* Præterea: infallibilis assistentia Spiritus S. uni Pontifici ex cathedra loquenti, seu totam Ecclesiam obliganti proponendo aliquod dogma fidei, vel morum, promissa est; igitur autoritas Augustini non est adæquanda Bullis Pontificum e cathedra loquentium, adeoque doctrina illius clare fundata sustineri, ac doceri minime potest in conflictu Bullarum oppositum definiendum.

Et vero nec ipse Augustinus aut tam arroganter de se, aut tam projecte de Summo Ecclesiæ in terris Capite sensit aliquando, ut suam (hominis utique privati) autoritatem, cum indubitatis & infallibilibus summorum Pontificum sanctionibus conferri, nedum præferri fas esse judicaret. Certe *Lib. de bono persever. c. XXI.* post laudatos SS. PP. ita de se scribit: *Neminem velim se complecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexit. Nam propterea nunc facio libros, de quibus Opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus secutum esse demonstrarem, sed proficenter me existimo, Deo miserante, scripsisse, non tamen a perfectione cæpisse: quandoquidem arrogantius loquor, quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem, sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse.*

Plura argumenta modestiæ suppeditat nobis S. Pater, cujusm. 264
 est illud *Lib. III. de Trinit.* in proœmio: *In omnibus literis* (id
 est: scriptis) *meis non solum pium Lectorem, sed etiam liberum*
correctorem desiderem. Si eam censuræ libertatem circa sua
 scripta & asserta liberali profus animo permisit cuilibet Catholico
 Augustinus, voluitne (an etiam potuit?) eandem negare summo
 Christi Vicario, quem unum Ecclesiæ arbitrum controversiarum fi-
 dei veneratur? Et ibidem: *Noli literis meis, quasi scripturis Ca-*
nonicis inservire. Denique *Lib. IV. de Trinit.* in proœmio, *Ego*
certe sentio, quam multa figmenta pariat cor humanum. Et quid
est cor meum, nisi cor humanum?

Quantum vero Pontificiæ authoritatis infallibilitati detulerit
 Augustinus, non jam verbis, sed ipso facto luculenter patefecit,
 quando cum Patribus Concilii Carthaginensis, ab Innocentio I.
 Pontif. petiit, ut quæ adversus Pelagium & Cœlestium de ma-
 teria gratiæ statuta erant eo in Concilio, summus Christiani orbis
 Pastor Innocentius *etiam Apostolicæ Sedi adhibita authoritate*
confirmet. Rursum in Milevitano II. Concil. Augustinus cum cæ-
 teris PP. congregatis definitionem ab eodem Innocentio petiit,
 circa adjutorium gratiæ contra impias Pelagii & Cœlestii inter-
 pretationes. Nimirum omnis authoritas, quam obtinet Augusti-
 nus, & alii Patres, etiam in materia gratiæ, a sola confirmatione
 Romanorum Pontif. promanat, ut dictum est superius, ipseque
 Augustinus suo exemplo id docuit.

Responderur Jansenianis.

Oppon. I. D. Prosper S. Augustini doctrinam appellat *Apostoli-* 265
cam epist. ad Ruffinum: *Sanctæ, inquit, memoriæ Augustinus*
contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrii de-
comptores per multos annos Apostolicæ asseruit, literisque manda-
vit; igitur ejus doctrina saltem de gratia est irrefragabilis. II. Cœ-
 lestinus I. epist. ad Episc. Galliæ, hæc verbis commendat Augu-
 stini doctrinam: *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita*
sua, atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec
unquam hunc frustra suspicionis saltem rumor aspersit, quam tan-
ta scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optinuis,
 etiam

etiam a meis semper Decessoribus haberetur. III. Joannes II. in epist. ad Illustres Senatores ita loquitur: *S. Augustinus, cujus doctrinam secundum Prædecessorum meorum statuta Romana sequitur & servat Ecclesia*, ergo doctrina Augustini, est doctrina Ecclesiæ. IV. Gelasius Papa *Distinct. XV. c. III.* omnia Augustini opuscula generatim approbat; cum igitur tanti fiat ab Ecclesia & Pontif. doctrina Augustini, inoffenso pede possumus eam sequi *non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

266 *æ.* ad I. Prosperum velle, Augustinum scripsisse *Apostolice*, vel quia suam doctrinam de gratia XXX. libris digestam ex Apostolo Paulo potissimum desumpsit, ejusque sententiis validissime stabilivit, vel quia de gratia tanta accuratione secundum regulas fidei scripsit, ut Sedes Apostolica ea capita doctrinæ, quæ ad fidem pertinent, approbarit, ac sua effecerit: ut constat ex iis Num. 261. a Cœlestino approbatis; non autem velle, scripsisse Augustinum *Apostolice*, tanquam Scriptorem Canonicum & prædicum fuisse in scribendo infallibili assistentia Spiritus Sancti, quemadmodum Apostoli præditi erant.

Ad II. *æ. I.* In toto illo encomio nullam fieri approbationem scriptorum Augustini *de gratia* vel unius tantum partis, nedum omnium. Si ex eo probatur autoritate Pontificia omnis doctrina Augustini, quod ipse *inter Magistros optimos* suæ ætatis haberetur, cur Janseniani restringunt *universalem* approbationem ad argumentum de *sola gratia*? II. Cœlestinum Papam in laudata epistola approbasse duntaxat eos articulos de gratia, quibus Pelagianorum errores jugulantur. En verba ipsius Cœlestini: *His ergo Ecclesiasticis regulis confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia, hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur.* Claudic epistolam: *Profundiores vero, difficiliioresque partes &c.*

Ad III. *æ. I.* In ea epistola nullam fieri mentionem de gratia. II. Si Janseniani tanti faciunt autoritatem Joannis II. & aliorum Pontif. dum Augustini doctrinam ornant laudibus, cur eorum de-

decisiones in materia de gratia &c. parum reverenter suscipiunt? III. Nec Joannem, nec alios Pontifices *universim* approbasse doctrinam S. Augustini, (ut indicant verba: *secundum Prædecessorum meorum statuta*) secus approbassent *Angelos esse corporeos; Nefas esse Christianis occidere infideles, mortem intentantes; Alteram terræ partem huic nostræ oppositam, nullis Antipodibus habitatam esse*, quas sententias Augustinus docuit; item: *Infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam perciperent, salvos esse non posse*, quod pariter Augustinum docuisse existimant Maldonatus, Cornelius a Lapide, Dionysius Petavius; aliis tamen Theologis mitius explicantibus S. Doctorem de quadam spirituali & metaphorica Eucharistiæ perceptione. Hæc adferre placuit ex *Apolog. pro veritate constitut. Innocent. X. P. Ludovici de Marche S. J.* quo palam fiet, Augustini doctrinam non esse irrefragabilem ac infallibilem, ut volunt Janseniani.

Ad IV. dico: Gelasium Papam in eodem cap. etiam Cypriani, Athanasii, Nazianzeni, Chrysoftomi, Cyrilli, Hilarii, Hieronymi, ac aliorum Patrum approbasse opuscula, quin tamen inferatur, eorum omnem doctrinam esse infallibilem. Hormisdas quoque Pontif. ajebat: ex libris S. Augustini posse colligi, quid Ecclesia credat de libero arbitrio & gratia; verum addit: *Et maxime ex libris S. Hilarii & S. Prosperii*, nemo tamen recte intulerit, istorum omnem doctrinam esse infallibilem. Adde: S. Thomæ doctrinam non minoribus encomiis celebratam esse, ac D. Augustini. Joannes XXII. non dubitavit asserere: S. Thomam *tot miracula edidisse, quot articulos scripsit*. Innocentius VI. *Neminem unquam inventum esse, qui cum teneret doctrinam D. Thomæ, de tramite veritatis deviarit; Et qui illam impugnavit, semper fuisse de veritate suspectum*. Simili encomio Benedictus XIII. affecit eundem Angelicum, & tamen Scotistæ cum suo subtili Doctore non raro deserunt doctrinam Angelici, nec censent, se adversari infallibili veritati. Pariter Summa Theologica Alexandri Alensis posteaquam jussu Alexandri IV. a Facultate Parisina discussa, ac appensis LXXII. Magistrorum sigillis approbata fuit, ipso Pontificio diplomate confirmationem accepit. Item constat doctrinam S. Bonaventuræ approbatam & mire laudatam fuisse a Clemente IV. Gregorio X. Sixto IV. nec tamen propterea istorum

doctrina infallibilis & par Catholicis veritatibus declarabatur, veluti impune propugnari, docerique posset, non respiciendo ad Bullas Pontificum. Quare in his, ac similibus approbationibus, Pontifices solum declarare voluere, libros approbatos nihil continere oppositum iis, quæ usque ad illud tempus Ecclesia definierat, nihil bonis moribus contrarium, immo continere doctrinam fidei dogmatibus explicandis & propugnandæ pietati peropportunam. Consule Dominicum Vivam, Ludovicum de Marche, Balth. Fraacolinum in suo Tyroc. Theol.

DISSERTATIO QUARTA.

D E

JUSTIFICATIONE IMPII.

Præfens Dissertatio hanc seriem Quæstionum continet. I. An in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio & renovatio hominis interioris? II. Utrum ad justificationem impii, requiratur motus fidei, & quænam debeat esse hæc fides? III. Utrum justificatio fiat per solam fidem? IV. An justus possit excidere a gratia sanctificante? V. An quis certus esse possit, se justificatum? VI. Quosnam gratia sanctificans effectus præstet? VII. Utrum opponatur peccato gravi?

CAPUT PRIMUM.

An in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio & renovatio hominis interioris?

268 I.



Dari quospiam homines justos, sanctos, Deo gratos &c. alios autem injustos, impios, Deo exosos, certissimum fit e Scripturis, CC. & PP. Unde sequitur, debere dari aliquam formam, aut quasi formam, quæ has denominationes veluti subjecto earum

rum capaci tribuat; nulla etenim denominatio reperiri potest citra formam, sive causam formalem denominantem. Hæc denominatio dici solet justificatio, sanctificatio &c. & forma vel quasi forma dans hujusm. denominationem appellatur justitia, sanctitas, gratia sanctificans &c. quæ proinde gratia differt ab actuali, de qua in prioribus Dissertationibus egimus; nam actualis gratia non reddit hominem justum & sanctum *formaliter*, sed solum *d'spositive & causaliter*, in quantum ejus auxilio fiunt actus supernaturales, quibus homo meretur accipere gratiam formaliter justificantem permanentem. Gratia sanctificans ex Tridentino describi potest: donum Dei supernaturale formaliter & permanentemente animam justificans, ita ut hæc justificatio non sit *sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis. --- Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.*

II. Hæc gratia apud SS. PP. non versabatur in disceptatione, sed Catholico de ea supposito dogmate, paucis illius effectus sunt 269 complexi. Licet enim Pelagius non solum actualem, verum habituales quoque, seu permanentem negaverit, PP. tamen illum impugnant, potissimum in id incubere omnibus nervis, ut evincerent necessitatem actualis gratiæ ad supernas operationes eliciendas, qua semel evicta, minus difficultatis superesse censebant in adstruenda habituali. Docebat ille: creaturam ratione præditam, per suam naturam esse sanctam, modo non inficeretur peccato, eo quod hæc creatura per suam naturam sit similis Deo, & filia Dei, secundum illud Genes. I. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Posteaquam vero in peccatum est lapsa, præcise necessariam eidem esse extrinsecam Dei condonationem & remissionem peccati, ut rursus semet reduceret ad pristinum statum, & justitiam, ac sanctitatem recuperaret. Ex hoc pernicioso fonte promanarunt Bajanæ propositiones, nempe XXI. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. quarum partim meminimus Num. 8. Istitis accedunt nonnullæ Quesnelliæ, præsertim XXXV. & XXXVI.

III. Nostræ ætatis hæretici tamen justificationis gratiam profiteri videantur, eam nihilominus ita proponunt, ut doctrinæ CC. & PP. omnino adversentur. Lutherus in justificatione impii, peccata 270

cata reapse non remitti, sed solum non imputari, ac tantum tegi, & radi propter justiciam Christi fide apprehensam contendit. Ait quippe, omnem hominem firma fide credere oportere, sibi propter merita Christi peccata esse remissa, atque hoc modo credendo apprehendere justiciam Christi, qua omnia ejus peccata abscondantur, teganturque, quam apprehensionem dicit esse causam, cur nobis imputetur justitia Christi; unde hanc solam fidem vocat justificantem. Docet hæc talia in *Comment. ad c. II. ad Galat.* Sicut Sophista (Catholicos intelligit Lutherus) dicunt charitatem informare & imbuere fidem, sic nos dicimus, Christum informare & imbuere fidem, vel formam esse fidei. Ergo fide apprehensus & inhabitans Christus, est justitia Christiana, propter quam nos Deus reputat justos, & donat vitam æternam. Calvinus pariter existimavit, non esse in nobis ullam inhærentem justiciam, veram imputari nobis Christi justiciam, ac ista mediante nos ut justos & sanctos reputari a Deo, etsi interim gravioribus peccatis infecti perseveremus; proinde peccata duntaxat tegi, eo fere modo, quo ulcus, aut turpior macula obtegitur per vestem alterius, non autem remitti & extingui. Putat etenim justificationis nomen esse *forensè*, neque aliud esse justificare, nisi aliquem pronunciare & declarare justum. Hunc suum errorem *Lib. III. instit. c. XI. §. III.* hisce verbis proponit: *Justificare nihil aliud est, quam eum, qui reus est, vel agitur, tanquam approbata innocentia a reatu absolvere. Cum itaque nos Christi intercessione justificat Deus, non propria innocentie approbatione, sed justitie imputatione nos absolvit, ut pro justis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus.*

271

IV. Alii hæretici cum Osiandro docuerunt, formalem causam nostræ justificationis esse illam ipsam justiciam, qua Deus essentialiter justus est. Sic Osiander in *confutat. scripti Melancthonis* ait: *Deum non acceptare ullam justiciam, nisi suam propriam & essentialem*, quasi dicat cum iisdem hæreticis: Deum suam propriam sanctitatem respicere, eamque nobis *extrinsece* imputare (etsi Osiander varius & inconstans, alio in loco aliud significare videatur) & ita nos justos ac sanctos fieri; qui error a Conc. Trident. sess. VI. de justificat. c. VII. his verbis notatur: *Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu men-*

is nostræ, & non modo reputamur, sed vere justii nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Kemnitius vero nostram justificationem dicit consistere in imputatione justitiæ Christi, atque imputationis vocabulum asserit esse relativum; & fundamentum quidem hujus relationis esse justitiam Christi, terminum autem hominem credentem, alium terminum justitiam seu beatitudinem, relationem ipsam misericordiam, quia videlicet misericordia Dei imputat homini credenti justitiam Christi ad justitiam & beatitudinem.

V. Catholicorum DD. etsi constans sit doctrina, in justificatione impii non solum peccata vere remitti, delerique, sed & ipsum hominem interius renovari, & sanctificari, fierique re ipsa sanctum, justum, amicum & filium adoptivum Dei, ac hæredem regni cælorum, in quo tamen consistat causa formalis nostræ justificationis, in diversas sententias abeunt. Hac super re quid sentiam, in *Tract. de august. Verbi Divini mysterio Dissert. III. c. II.* meam opinionem aperui, nempe gratiam sanctificantem tanquam formalem causam nostræ justificationis consistere in peculiari inhabitatione & unione morali Spiritus Sancti cum anima justii, atque adeo hominem formaliter justum, sanctum, amicum, filium adoptivum Dei, participem naturæ Divinæ &c. fieri, per hanc peculiarem inhabitationem personæ Spiritus sancti, quam sententiam tum copiosis, tum illustribus Scripturarum, CC. & PP. Græcorum, Latinorumque firmavi sententiis, ac simul ab AA. oppositis rationum momentis scholastica methodo vindicavi. Illud hic minime prætereundum, AA. perperam nobis oggerere autoritatem Conc. Tridentini priore numero allatam. Cum enim eodem loco Concilium dicat: *Hujus justificationis cause sunt, finalis quidem gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit & SANCTIFICAT SIGNANS & UINGENS SPIRITU PROMISSIONIS SANCTO, qui est pignus hæreditatis nostræ*, utique non adversatur verbis, quibus ait: causam formalem nostræ justificationis esse justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, adeoque nec nostræ sententiæ, cum non asseramus, nos ea justitia & sanctitate, qua Spiritus S.

essentialiter Sanctus est, nobis imputata Sanctos reputari, sed in quantum nobis *donatus* per moralem & affectivam unionem, nos formaliter sanctificat, permanenter applicata omnipotentia ad actus virtutum Theologicarum eliciendos &c. Verum hæc, atque alia, jam laudato loco copiose explanavi. Ne igitur eadem hic rursus repetantur, intra limites positæ quæstionis persistam.

A S S E R T I O.

In justificatione impii fit vera remissio peccatorum, & satisfactio, ac renovatio hominis interioris, cujus causa formalis est gratia sanctificans.

273

Aserti hujus veritatem Sectarii, nisi cæcutire vellent, ultro fati debent testimoniis sacrarum literarum, & PP. convicti. De vera remissione peccatorum clarissima habemus testimonia, imprimis ea, quibus Deus pollicetur homini pœnitentiam agenti, omnino se remissurum peccata, ita ut homo velut nix reddatur albus & mundus; sic Isa. I. v. 18. dicitur: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & Psal. 50. v. 9. Lavabis me & super nivem dealabor.* Ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU, qui non secundum carnem ambulant,* item I. Joan. I. v. 7. *Sanguis JESU Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Jam si in justificatione, ut volunt hæretici, peccata reipsa non delentur, nec remittuntur, sed præcise teguntur, vel non imputantur, quomodo impii in justificatione dealbabuntur ut nix? quomodo iis, qui sunt in Christo JESU, nihil damnationis, sive damnatione dignum supererit? quomodo emundabuntur ab omni peccato, cum mundus etiam quoad corpus dici nequeat ille, cujus maculæ solum extrinsece veste quapiam occultantur?

S. Gregorius M. *epist. Lib. IX. epist. XXXIX.* hunc in modum loquitur: *Qui ergo dicit peccata in baptisinate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est, peccata in baptisinate funditus mori; quia nimirum plus valet in ablutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In evangelio Dominus dicit: Qui lotus est, non indiget,*
nisi

nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in baptisinate funditus minime dimittuntur, quomodo is, qui lotus est, mundus est totus? totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. S. Augustinus Lib. I. ad Bonifac. c. XII. Dicunt, inquit, etiam baptisina non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? dicimus enim baptisina dare omnem indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere &c.

Præterea, nisi fateamur justificatis vere remitti peccati maculam, consequuntur non levia absurda, ut I. Ecclesiam Sanctorum, ad quam pertinent iusti perseverantes in gratia, habere rugam & maculam, atque in cælesti Hyerusalem habitare quospiam coinquinatos. II. Genus humanum non fuisse per Christum a servitute peccati liberatum; nec Christum esse agnum, qui tollit peccata mundi, sed ea duntaxat tegit. III. Plus potuisse peccatum Adæ ad nos inficiendos, quam pretiosum sanguinem Christi ad emundandos. Recte igitur a PP. Tridentinis definitum est *sess. V. de peccat. orig.* Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptisinate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulsi sunt cum Christo per baptisina in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus ab ingressu cæli remoretur.

De sanctificatione & renovatione hominis interiore per gratiam sanctificantem inhaerentem, perinde clarissima testimonia sacrae literæ suppeditant. Legimus 2. Petri I. v. 4. Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinae consortes (participes) naturæ; quam sententiam Catholici intelligunt de gratia sanctificante, qua homo interior sanctificatur, ac renovatur, particepsque naturæ Divinae evadit, & quidem per peculia-

rem inhabitationem Spiritus Sancti in anima iusti, ut innuit Epiphanius hæresi LXXIV. *Si templum Dei*, inquit, *ob illam S. Spiritus habitationem vocemur, quis Spiritum repudiare audeat & a Dei substantia rejicere, cum diserte hoc Apostolus asserat* (nempe 1. ad Corinth. 3. v. 16. & 17. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in nobis* --- *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*) *templum nos esse Dei, propter Spiritum S. qui in dignis, hoc est: iustis, habitat; & Athanasius epist. ad Serapionem: Spiritus unguentum & sigillum est, quo ungit omnia, signatque Verbum.* --- *Hunc vero in modum signati, merito & Divinæ naturæ participes efficiuntur, ut dixit Petrus; atque ita particeps fit Verbi creatura omnis in Spiritu, & per Spiritum dicimur omnes participes Dei. Si creatura esset Spiritus S. nulla nobis in ipso esset Dei participatio. Confirmat hucusque dicta Apostolus ad Tit. 3. v. 5. Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Plurima sunt loca ejusdem Apostoli, ut ad Rom. 8. v. 9. & 11. item 2. ad Corinth. 1. v. 22. & c. 5. v. 5. tum 2. ad Timoth. 1. v. 14. ad Ephes. 1. v. 14. in quibus Spiritum S. vocat pignus hæreditatis nostræ & depositum, eidemque attribuit vivificationem & sanctificationem animæ utique internam & in hærentem, non vero externam, ut placet hæreticis.*

Idipsum disertis verbis definit Tridentinum sess. VI. c. VII. *Hanc dispositionem, seu præparationem (quam exposuit priore capite) justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Et can. XI. Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis in hæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.*

Respondetur Sectariis.

Oppon. contra *1^{am}* assert. partem I. Deus relinquit in hominibus 275
 etiam justis fomitem peccati, seu concupiscentiam, ergo non
 remittit vere peccatum; ille enim fomes malitiam peccati habet,
 ut fatetur Apostolus justificatus ad Rom. 7. v. 20. *Si autem quod
 nolo, illud facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in
 me peccatum.* II. Psal. 31. v. 1. dicitur: *Beati, quorum remissa
 sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata;* & Ezech. 33. v.
 16. de impio, si egerit pœnitentiam: *Omnia peccata ejus, quæ
 peccavit; non imputabuntur ei, igitur remitti, tegi, & non im-
 putari peccata ad pœnam & damnationem idem significant.* III.
 Impius accepta justificatione perseverat inquinatus coram Deo,
 quemadmodum patet e verbis Isaïæ 64. v. 6. *Facti sumus ut im-
 mundus omnes nos, & quasi pannus menstruatae universa justitiæ
 nostræ;* & Psal. 142. v. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo,
 quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens,* ergo peccata
 reipsa non delentur post justificationem.

R. ad I. concupiscentiam non esse peccatum, ut dixi Num. 276
 13. Sensus verborum Apostoli est iste: *Si autem quod nolo, illud
 facio,* nempe non consentiens, *jam non ego operor illud,* volens
 scilicet, sed illud malum, seu pravos concupiscentiæ motus patior
 ex inclinante carnem meam concupiscentia & ad peccatum stimu-
 lante, quæ propterea etiam peccatum appellatur ab Apostolo.

Ad II. dico: hominis peccata posse tegi duplici sensu, *1^{mo}*:
 ita ut occultentur tantum, adeoque vere remaneant in homine,
 & iste sensus est Sectariorum a Tridentino damnatus. *2^{do}*: ita ut
 deleantur & penitus aboleantur, & hic sensus est Catholicorum,
 quem S. August habet Enarrat. II. in eundem Psal. 31. *Beati, quo-
 rum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. . . .
 Cooperata sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. . . . Nec sic in-
 telligas, quod dixit: peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & vivant.*
 Idem dic de *non imputatione*; nam ideo Deus peccata non impu-
 tat, quia jam non existunt in justificatis, imputaturus utique, si
 existerent, secus enim non judicaret, prout res est, & exigit.

Ad III. ajo: Isaïam velle, post promulgationem evangelii,
 tanquam immundas abjiciendas esse *purificationes legales*, quas etiam

Apostolus ad Hebr. 9. v. 1. *justificationes* nominat, & Judæos post Christi adventum in lege sua merito haberi veluti contaminatos, atque id a Propheta predictum, ut explicat hunc locum Cornelius a Lapide. Alii interpretantur Isaiam in hunc modum: gratiam sanctificantem omnino excludere omne peccatum grave, nihilominus justos in peccata venialia labi; quo sensu *justitiæ nostræ* potuerunt dici similes *panno menstruatæ*. Regius vero Psaltes intelligi potest: neminem secluso speciali privilegio (quod paucis conceditur) expertem esse omnis peccati per Num. 85. Cæterum idem David, nisi justis sanctificationem & justitiam inhære existimasset, minime Plal. 17. v. 21. dixisset: *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam*; & versu 24. *Ero immaculatus cum eo*.

277

Oppon. contra 2dam assert. partem I. Vocabulum justificationis apud Latinos Superiores nusquam reperitur; est præterea vox forensis & idem denotat, ac *declarare*, vel *pronunciare* aliquem esse justum, ergo non dicit sanctitatem & justitiam internam. II. *Gratia*, qua justificamur, dicitur Christus; sic enim ait Apostolus 1. ad Corinth. 1. v. 30. *Factus est nobis (Christus) sapientia a Deo & justitia & sanctificatio*, & ad Rom. 5. v. 19. *Per unius (Christi) obeditionem justii constituentur multi*, igitur Christus est nostra justitia. III. Ad Rom. 4. dicitur: *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam. - - Credidit Abraham & reputatum est ei ad justitiam*, ergo justitia nostra est ipsissima justitia Christi nobis per fidem imputata. Id quod multo aptius exprimit Apostolus scribens ad Galat. 3. v. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, & ad Ephes. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*, quibus indicat, justitia Christi per fidem apprehensa nos circumdari tanquam vestimento externo quo tegantur maculæ & deformitates nostræ.

278

¶ ad I. Hanc esse insulsam objectionem Sectariorum; nam etiamsi vocabulum *justificationis* reperiretur apud Latinos Grammaticos, nobis tamen nulla ratio habenda foret significationis Grammaticalis, sed Theologica, nec bilem in nares Sectariorum concire deberet, quod nostro sensu ab iis usurpatum non fuisset, qui Dei gratiam, qua vere & interne justii efficiamur, penitus ignorarunt.

runt. Ad alterum dico: in justificatione impii vocem *justificationis* significare, hominem revera justum *feri*, & non solum *declari* justum, ut patet ex textibus Scripturæ Num. 274. allatis & S. Augustino *Lib. de Spirit. & lit. c. XXVI.* dicente: *Quid est aliud justificati, quam justus facti, ab illo scilicet, qui justificat impium, ut ex impio fiat justus?*

Ad II. *æ.* Apostoli textus intelligendos: Christi obedientiam, mortem, esse causam efficientem & meritoriam nostræ justificationis, quia videlicet gratiam sanctificantem nobis impetravit suis meritis, non autem nos *formaliter* Sanctos & justos esse per externam Christi justitiam nobis imputatam. Ex hoc argumento sequeretur, nos non esse sapientes per propriam sapientiam, nec resurrecturos, nisi per resurrectionem nobis imputatam, cum perinde Christus dicatur nostra *sapientia & resurrectio*, ac nostra justitia. Hanc doctrinam definitum Tridentinum sess. VI. c. X. *Si quis dixerit homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.*

Ad III. *æ.* concessis textibus n. consi. Nam *reputari, imputari*, non significat *nude æstimari* sine rei veritate, ut perspicuum fit ex iis verbis: *Et qui operatur, merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum*, igitur credenti &c. etiam inest *justitia propria*; quippe justitia Christi, utpote extrinseca, nos non efficit *formaliter*, seu in genere causæ formalis justos & sanctos, sed duntaxat in genere causæ *meritorie*, ut ostendimus supra ex Tridentino. Vide Card. Bellar. *Tom. IV. Lib. I. de Justificat. c. IX.*

Ad reliquos textus ajo: indumentum corporis esse quid extrinsecum, quo teguntur corporis maculæ, qui enim vestem sumit, non exuit maculas, sed eas tegit. At indumentum spirituale animæ, cujusmodi est Spiritus S. peculiariter inhabitans justam animam, utique non tegit animæ maculas graviore, quia *in malevolam animam non introibit sapientia*, hoc est: *Spiritus S. nec habitabit in corpore, seu homine subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu & corripietur a superveniente iniquitate.* Sapient. I. v. 4. & 5. Et alioquin constat, tropicas locutiones non requirere omnimodam similitudinem, secus plurima absurda sequerentur.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum ad justificationem impii, requiratur motus fidei, & quam debeat esse hæc fides?

279 I. **S**ynodus Tridentina adversus nonnullos Sectarios, qui putant justificationem fieri per solam fidem absque ulla pravâ dispositione, motuque liberi arbitrii, pluribus locis declarat, quid ex parte adultorum necessarium sit, ut gratiam justificationis consequantur. Ex parte parvulorum & perpetuo amentium, nullas hujusmodi dispositiones prærequiri ad obtinendam justificationem, vel inde ostenditur, quod eos usu rationis, ac etiam libertate destitutos, adeoque omnis dispositionis incapaces, Tridentinum definiverit sess. V. c. IV. in baptismo justificari his verbis: *Ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt, & ut idem Trident. loquitur sess. VI. c. VII. ex injustis fiant iusti, & ex inimicis amici, ut sint hæredes secundum spem vitæ æternæ.*

280 II. In adultis, qui vel actu habent usum rationis, vel aliquando habuere, prærequiri quasdam dispositiones ad justificationem, auctoritas sacrarum literarum evincit. Apud Ezech. legimus c. 18. v. 30. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Apud Lucam 13. v. 3. ait Christus: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Actor. 8. v. 22. monebat Petrus Simonem Magum: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, se forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Suffragantur testimoniis Scripturarum Sancti PP. quorum e numero unum Augustinum profero *Serm. XV. de verbis Apostoli ita loquentem: Qui fecit te sine te, non te justificat sine te - - - fecit nescientem, justificat volentem.* Hæc & similia luce meridiana clarius demonstrant, peccatorem adultum reconciliari non posse Deo sine præviis suis actibus, quibus convertatur ad Deum, & pœnitentiam agat. Nec ratio deest: cum enim adultus per grave peccatum se liberrima voluntate avertat a Deo, congruum est, ut in amicitiam

tiam Dei non recipiatur, nisi prius ad eum semet per actus salu-
tares libere convertat. Plura dicentur Num. 284. Porro in qua-
stionem hic venit: utrum ad justificationem peccatoris requiratur
fides, & quamam sit illa? Nam Sectarii triplicem distinguunt fidem,
nempe *Historicam*, qua credimus ea, quæ narrantur in Scripturis;
fidem miraculorum; qua credimus Deum esse omnipotentem in
operando; & *fidem promissionum*, qua credimus veras esse promissio-
nes a Deo nobis factas de remittendis peccatis propter merita
Christi. Hanc tertiam fidem rursus dividunt in *generalem* &
specialem. Generalem dicunt, qua generatim credimus, omnibus
in Christum credentibus promissam esse peccatorum remissionem.
Specialem, qua unusquisque in particulari sibi applicans promissio-
nem Divinam credit, seu potius confidit, sibi per Christum omnia
peccata esse dimissa, & per Christi justitiam omnia, quæ commi-
sit, peccata tegi. Et hanc fidem specialem, quæ etiam *confiden-
tialis* nominatur, dicunt esse justificantem. Unde Calvinus Lib.
III. Instit. c. II. fidem justificantem definit, *Divinæ erga nos be-
nevolentia firmam, certamque cognitionem, quæ gratuita in Chri-
sto promissionis veritate fundata per Spiritum Sanctum, & reve-
latur mentibus, & cordibus obsignatur.*

A S S E R T I O.

*In adultis ad justificationem requiritur fides, qua credimus myste-
rium quodvis a Deo revelatum.*

Fidem, seu actum fidei necessarium esse in adultis ad justitiam
obtinendam, aperte docuit Christus Dominus Matth. ult. *Qui*
non crediderit, condemnabitur; & Paulus ad Heb. II. v. 6. *Sine*
fide impossibile est placere Deo. Recte igitur Trident. sess. VI. c. VI.
ait: *Dispomuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divi-
na gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moven-
tur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata & pro-
missa sunt.* Immo hanc fidem esse dispositionem primam, satis
indicavit Apostolus loco laudato, cum scripsit, *fidem esse substan-
tiam*, seu fundamentum, rerum sperandarum, & cum addidit: *sine*
fide impossibile est placere Deo; quod tum de persona, tum de iplis

operibus ad promerendum supernaturale præmium PP. intelligunt. Cum ergo sine fide nemo possit placere Deo, profecto nec justus esse potest. Etenim qui justus est, placet Deo, & ideo dicitur justus ex fide vivere Habacuc 2. ad Hebr. 10. ac propterea Paulus ad Rom. & Galatas scribens, hominem ait justificari per fidem, tanquam radicem & originem justitiæ, ut Trident. sess. VI. c. VIII. declaravit.

282

Hanc autem fidem esse dogmaticam, qua præstamus assensum mysteriis a Deo revelatis e. g. Verbum esse incarnatum &c. sive qua credimus *vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud inprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*, ut loquitur Tridentinum, docemur ex sacris literis. Sic Matth. 16. v. 16. Petro ob eam fidei professionem, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, reposuit Christus: *Beatus es Simon Bar - Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*. Christus Marc. ult. Apostolis ajebat: *Prædicate evangelium omni creature, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, ubi sermo est de fide evangelica, & huic recte operanti tribuitur salus, atqui evangelium non continet solum *promissiones*, sed totam fidei materiam, ut Verbi incarnationem, Christi Divinitatem, ejusdem mortem, resurrectionem, mysterium SS. Triados &c. ergo. Par argumentum præbet nobis Apostolus ad Rom. 1. *Non erubescio evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum & Græco. Justitia enim Dei in ore revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus ex fide vivit*. Hic certe Paulus aperte agit de fide justificante, seu necessaria ad justificationem, & dicit esse fidem, qua credimus evangelio, in quo & promissiones & dogmata & comminationes habentur. Atque hanc aliis in locis nominat fidem Christi, tum quod per Christum sit nobis tradita, tum maxime quod sit fides in ipsum Christum & ejus mysteria, quæ maxime justificat, secundum verba Christi Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat &c.*

Istud ipsum rationes TT. evincunt. I. Fides illa specialis Sæculariorum supponit jam justificationem, qua enim ratione est vera fides, qua credo peccata esse remissa, si nondum remissa sunt?

atqui fides justificans debet necessario præcedere justificationem tanquam *conditio* sine qua non, vel tanquam *medium*, ut vult Gerardus Heterodoxus. II. Illa est fides justificans, quæ est necessaria ad salutem, atqui fides ad salutem necessaria, est fides dogmatum a Deo revelatorum, ut patet ex dictis & verbis Symboli, quod S. Athanasio tribuitur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* III. Sectarii illud Genes. 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, nobis assiduo oggerunt, & tamen Abraham non credidit sibi remissa peccata, cum horum nulla fiat mentio, sed credidit se habiturum hæredem secundum revelationem Dei, & ideo *reputatum est illi ad justitiam* ad Rom. 4. v. 22. ergo.

Quare merito Tridentinum sess. VI. c. IX. fiduciam illam Sectariorum rejicit, dum ait: *Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis Divina misericordia propter Christum; nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti & in ea sola quiescenti peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est &c.* 283

Neque dixeris: Paralytico Matth. 9. v. 2. dictum erat a Salvatore nostro: *Confide fili, remittuntur tibi peccata*, igitur fides, qua remittuntur peccata, est firmissima in Christum fiducia. Hanc fiduciam S. Paulus in epistola ad Romanos data, pluribus verbis describit loquens c. 4. de Abrahamo: *In repromissione etiam Dei non hæsitavit dissidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam.*

Ex-deo enim ex his & similibus textibus, quos Heterodoxi operose congerunt, ad summum sequi, spem, atque humilem sine jactantia *fiduciam* inter alias dispositiones requiri ad justificationem, quæ tamen fiducia fundetur in fide, & ex hac consequatur. Nam firmam fiduciam in Christo collocare non possumus, nisi fides præcedat, qua credamus, illum pro salute generis humani carnem sumpsisse, ac sanguinem fudisse, esse filium Dei, Deum esse veracem & fidelem &c. Adeoque fiducia præsupponens fidem, non est fundamentum salutis, neque prima ad justificationem dispositio.

284

Præter fidem requiri etiam alios actus ad hoc, ut adultus ad justificationem disponatur, manifestum fit e Trident. sess. VI. c. VI. ubi actus, per quos adultus ad justificationem disponitur, enumerantur hoc ordine. I. Adultus excitatus superna gratia, & adjutus, elicit actum fidei, quo credit vera esse omnia, quæ divinitus revelata sunt & promissa, præcipue circa gratiam justificationis ob merita Christi conferendam. II. Intelligens se peccatis gravibus infectum, salutari timore Divinæ justitiæ concutitur. III. Ex consideratione Divinæ misericordiæ erigitur in spem & fiduciam remissionis peccatorum per Christi merita obtinendæ. IV. Deum tanquam misericordem omnis justitiæ fontem diligere incipit. V. Adversus sua peccata odium concipit ac detestationem. VI. Proponit inchoare novam vitam, observare Dei præcepta, & suscipere sacramentum ad remissionem peccatorum a Christo institutum. Quinam autem actus necessario requiratur ad justificationem per sacramenta consequendam, Tractatus de Sacramentis consulendus est. Quoniam vero propositum novæ vitæ operibus comprobatur, minime existimandum, a PP. Tridentinis excludi, præsertim in peccatoribus robusta consuetudine subactis, opera quædam præparatoria, quæ debeant aliquando præcedere justificationem. Et enim hortatur Dominus per Joëlem improbos c. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & in fletu & in planctu.* Et per Joannem Bapt. Luc. 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

C A P U T T E R T I U M.

Utrum justificatio fiat per solam fidem?

285

ERror jam ætate Apostolorum invaluit, *solam fidem sufficere ad justificationem sine operibus*, quem primus docuisse fertur Simon Magus teste Irenæo *Lib. I. c. XX.* atque ad hunc profligandum suas epistolas edidisse SS. Petrum, Joannem, & Jacobum testatur Augustinus apud nostrum Marinum *Tract. XIII. Disp. I. Num. LXXVII.* Istum perniciosum errorem ad finem seculi II. in lucem revocavit Valentinus, & seculo IV. Ætius & Eunomius, ut rursus testatur Augustinus *hæresi LIV.* Eundem seculo XVI.

Lu-

Lutherus, Melanchton, Calvinus spargere cœperunt cum suis aſſeclis. Lutherus in c. II. ad Galat. commentus aſſeruit, *ſolam fidem neceſſariam eſſe, ut juſti ſimus; & in ſermon. de novo teſtamento ſumma impietate explodit merita bonorum operum: Ego, inquit Lutherus, dico tibi, quod anguſta eſt via: oportet te fieri tenuem, ſi vis per eam venire. Cæterum qui operibus onerati ſunt, ſicut conchilibus onuſtos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare.* Melanchthon in confeſſione Auguſtana art. IV. VI. & XX. docet: hominem per ſolam fidem juſticiam conſequi ſine aliis bonis operibus, dum videlicet credit, ſe in gratiam Dei recipi, & propter merita Chriſti, qui pro noſtris peccatis ſatiſfecit, peccata remitti. Calvinus eſſi admittat cum Luthero, fidem habere ſibi annexas alias virtutes, tuetur tamen ſolam fidem juſtificare. *Sicut, inquit Calvinus in Antidoto Trident. calor ſolis ſolus eſt, qui terram calefacit, nec tamen ſolus ipſe ineſt ſoli, ſed cum ſplendore, ita fidem oportet non eſſe ſolam, ſed habere comites, licet illæ non juſtificent, ſed ipſa ſola.* Verum Catholicorum conſtans eſt doctrina, fidem eſſe quidem initium, radicem & fundamentum juſtificationis, ſolam tamen non ſufficere ad juſtificationem, ſed requiri etiam aliarum virtutum actus, qui ſint perinde ac fides, diſpoſitiones vel remotæ vel proximæ, cujuſm. ſunt timor Domini, ſpes, amor Dei &c. Quare ſit

A S S E R T I O.

Non ſola fides, verum etiam aliarum virtutum actus, ſive opera requiruntur ad juſtificationem, adeoque hæc non fit per ſolam fidem.

Iſtud Catholicum dogma Tridentinum Concilium ſuo decreto 286
communivit ſeſſ. VI. can. IX. *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, cum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi, anathema ſit.* Veritatem illius ea ſcripturarum loca comprobant, quæ vim juſtificandi non ſoli fidei attribuunt, ſed aliis quoque virtutibus, quas Tridentinum nominat *diſpoſitiones*. Hujusm. ſunt Proverb. 14. v. 27. *Timor Domini ſons vitæ*; Eccli. 1. v. 27. *Timor*

Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari, en timorem Dei. Proverb. 28. v. 25. Qui sperat in Domino, sanabitur. Joan. 3. v. 3. Omnis, qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est; Matth. 9. v. 2. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, ecce spem veniæ peccatorum. Ad Galat. 5. v. 6. In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur; 1. ad Corinth. 13. v. 2. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum; 1. Joan. 5. v. 14. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Et qui non diligit, manet in morte, ecce charitatem. Ezech. 18. v. 21. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita vivet, & non morietur; Lucæ 13. v. 3. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, ecce pœnitentiam. Joan. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cælorum, en Sacramentum baptismi. Ezech. 18. v. 31. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras & facite vobis cor novum & spiritum novum, en propositum novæ vitæ. Vide Bellarm. Tom. IV. Lib. I. de Justificat. hoc argumentum copiose tractantem.

287

Tam clara, tam frequentia Scripturarum testimonia, quid nobis aliud identidem inculcant, quam solam fidem, tamen ea credamus omnia mysteria a Deo revelata, non esse sufficientem ad justificationem, sed debere illam conjunctam esse aliis virtutum actibus v. g. timori Dei, charitati &c. Id quod etiam SS. PP. agnoverunt, ut Augustinus Lib. de catechizandis rudibus c. V. Rarissime, inquit, accidit, immo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore percussus; Et Lib. XV. de Trinit. c. XVIII. Fides sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse. Etiam dæmones credunt & contremiscunt; tum de verb. Apost. serm. XVI. A fide incipit homo, sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem & charitatem. Et Ambrosius in c. IV. ad Hebr. ait: Magna res fides & salutaris, & sine hac non est salvari possibile, Sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem necessarium est, & conversari digne Deo; & Lib. I. de pœnit. c. I. Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi, qui speraverit indulgentiam. Cyprianus serm.

serm. V. de lapsis: Gravissimum conscientiae crimen agnoscite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vendicantes. Quibus verbis aptissime refelluntur Heterodoxi, qui non prius resipiscere incipiunt, quam certissime sibi persuadeant, se jam Deo charissimos & amicissimos esse. Et inter Cherubin & Sacraphim locum & sedem se habere confidunt.

Sectariorum momenta resolvuntur,

Nihil crebrius jactant Sectarii, quam suam de justificante fide sine operibus doctrinam, fundari in S. Paulo, qui in epistola ad Romanos c. 3. & 4. citra ambages docet: justitiam obtineri per fidem JESU Christi, impium gratuito per redemptionem, quæ est in JESU Christo, & per fidem sine operibus legis justum fieri. *Justitia autem, inquit c. 3. v. 22. Dei per fidem JESU Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Et v. 24. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JESU. Item v. 27. & 28. Ubi est ergo gloriatio tua Judæe, qua tibi arrogas justitiam? exclusa est. Per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. Et c. 4. v. 2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.*

Huic præcipuo Sectariorum argumento reponunt Catholici: Apostolum in his & aliis locis, ut ad Ephes. 2. v. 8. ad Philip. 3. v. 9. ad Tit. 3. v. 5. egisse contra Gentiles & Judæos de *justificatione dispositiva*, iisque declarasse, quod peccator, sive sit Judæus, sive Gentilis, suis operibus non promereatur gratiam sanctificantem, ipsamque justificationem, nisi præventus suprema gratia ad credendum, sive ad fidem prius excitetur, quæ est nostræ justificationis initium, fundamentum & radix, *sine qua impossibile est placere Deo.* Istud docet Trident. sess. VI. c. VIII. his verbis: *Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesie Catholice consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, funda-*

mentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium perventire. Et S. Augustinus Lib. de prædest. SS. c. VII. ait: Ideo per fidem justificari dicit Apostolus hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. Consule Num 90. & alibi dicta. Unde dicit Apostolus, quod sine operibus, fidem nempe præcedentibus, fides justificet dispositive, in quantum istud justificationis & salutis initium, homo nullis suis meritis naturalibus promeretur, & Abrahamum non fuisse justificatum per opera sine fide in Christum venturum patrata. Paulus igitur, dum ait, justificari hominem per fidem sine operibus legis, videlicet Mosaicæ, vel Naturalis sine gratia factis, non excludit opera gratiæ, quæ fiunt ex fide & viribus gratiæ, uti sunt actus timoris Dei, spei &c. per quos se homo ad justificationem disponit. Istud patet vel ex una illius sententia: Si habuero, inquit 1. ad Corinth. 13. v. 2. omnem fidem, - - - charitatem autem non habuero, nihil sum. Quis sibi persuaserit, Apostolum arbitrari, quod sola fides justificet exclusis quibuscunque operibus, qui tam apertis verbis asserit, fidem absque charitate nihil prodesse ad salutem obtinendam.

289

Neque dixerint Sectarii: Ea opera excludit Apostolus, quæ inducerent gloriationem, sed nulla opera excludunt gloriationem, excludit tamen fides, ut liquet e textibus adductis: *Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Item ad Ephes. 2. v. 8. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, igitur gratis justitiam & salutem consequimur, non vero ex bonis operibus sive actibus virtutum spei, charitatis &c.*

Nam R. ab Apostolo non excluditur alia gloriatio de justificatione, quam illa, quæ oritur ex operibus solis naturæ viribus, nempe sine fide & gratia supernaturali factis: ait enim: *gloriatio tua Judææ vel Gentilis exclusa est non per legem factorum, id est: non per opera & actiones, quæ fidem præcedunt, & fiunt absque gratia superna præveniente, sive hæc opera sint legis Mosaicæ, sive naturalis (si enim per ista opera naturalia obtineret Judæus vel Gentilis justificationem, gloriandi potius materiam haberent) sed*

per

per legem fidei, hoc est: per fidem excluditur gloriatio propria. Qua vero ratione gloriari possit homo in operibus gratia Dei & ex fide positus? dixi ad calcem Num. 183. Justificamur autem gratis, in quantum prima gratia actualis omnino sine omni nostro merito, & prima gratia justificans non nisi ex merito de congruo confertur.

Hunc reipsa genuinum sensum textuum Apostoli esse, D. Jaco- 290
bus Apostolus manifestum facit in sua epist. catholica c. 2. v. 14. sic scribens: *Quid proderit, inquit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum? & v. 22. Vides, quoniam fides cooperabitur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? & suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam & amicus Dei appellatus est. Videris, quod ex operibus justificatur homo & non ex fide tantum, & demum v. 26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Nempe Jacobus cum aliis Apostolis, ut paulo post intelligemus ex D. Augustino, convellere nitebatur hæreticorum errorem, qui epistolam ad Romanos in pravam sensum detorquentes asseruere, solam fidem sufficere ad justificationem & salutem obtinendam, sanctis operibus quibuscunque neglectis. Audiamus S. Augustinum Lib. de fide & operibus c. XIV. hac super re scribentem: *Quoniam hæc opinio (nempe solam fidem sufficere) tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime diriguntur intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque evangelicam definiit, cujus opera ex dilectione procedunt; & fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videretur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Consentiant permulti veteres D. Augustino, & ex eo etiam demonstrari potest, quod Petrus in secunda sua epistola c. 3. v. 16. dicat, in epistolis Pauli esse quædam difficultia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.**

291

Instant Sectarii objiciendo loca Scripturarum, quibus fides videtur *in solidum* justificare. Sic Joan. 3. v. 36. soli fidei citra ullam mentionem aliorum actuum promittitur justitia, ac salus: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Actor. 10. v. 43. *Quicumque credunt in Christum, accipient remissionem peccatorum.* Ad Rom. 3. v. 22. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* Et Luc. 8. v. 50. præcisè fides requiritur ad salutem: *Noli timere, crede tantum & salva erit.*

Reponunt Catholici: in commemoratis locis, fidei quidem attribui justificationem & salutem, verum *positive*, non *exclusive*, excludendo videlicet actus aliarum virtutum. Fides inchoat nostram justificationem, & hanc impetrat & promeretur. Sic Luc. 7. dicitur: *Fides tua te salvum fecit*, hoc est: fides concurrat ad justificationem & salutem, impetrando eam, adeoque fides solum ut causa *meritoria* remota de congruo ad nostram justificationem concurrat, quemadmodum contritio a peccatore elicitæ solum *de congruo* meretur justificationem. Quare etiam fides sine charitate operatur; est quippe vera fides Divina, quæ antecederet ad charitatem & sine charitate operatur, quin tamen fides *formaliter* justificet, sed solum ad justificationem disponat. Interim nusquam legimus in Divinis libris *solum* fidem disponere ad gratiam sanctificantem, & justificare. Lutherus pro sua libidine corrumpit sententiam Apostoli: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis*, dum post vocabulum *fidem* adjecit particulam SOLAM. Adde: quod in non paucis textibus justitia & salus attribuitur aliis actibus virtutum nulla fidei mentione facta, uti Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Proverb. 28. v. 25. *Qui sperat in Domino, sanabitur*, nemo tamen dixerit, *solum dilectionem, solum spem* justificare. Vide Num. 286. Postremus locus non facit ad rem: neque enim sermo est ibi de gratia sanctificante, verum de prodigiosa curatione, & restitutione in vitam filix Jairi Principis Synagogæ, quam Christus paternæ fidei promisit. Notum est autem ad prodigia impetranda *solum* fidem sufficere; cum miracula non pertineant ad justificationem.

Ultimo ad authoritatem PP. recurrunt Sectarii. Hilarius, in- 292
 quunt, *can. VIII. in Matth.* ait: *Fides sola justificat*, Ambrosius in *epist. ad Rom. Justificati sunt gratis, qui nihil operantes ex sola fide justificati sunt.* Hieronymus in *c. X. ad Rom.* sic scribit: *Deus ex sola fide justificat.* Chrysoft. *hom. de fide & lege naturæ* inquit: *Latro credidit tantum & justificatus est.* Augustinus *Lib. I. contra II. epist. Pelagian. c. XXI. Quanta libet fuisse virtutis antiquos prædices, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris.* Theophilactus in *c. III. ad galat. Fides sola habet in se justificandi virtutem.* Plura hujusm. asserta Patrum collegit Card. Bellarminus loco laudato *c. XXV.*

Reponunt Catholici: Patres, quando videntur soli fidei justificationem tribuere, & excludere aliarum virtutum actus, loqui vel de operibus sine fide in Christum, vel sine gratia supernaturali factis, atque adeo de operibus mere naturalibus, vel de operibus veteri legi propriis, cujusm. erat circumcisio; aut loqui de fide operibus viva, & quæ per charitatem operatur; aut nomine fidei intelligere totam doctrinam evangelicam, quæ servata ut oportet, ad justificationem & salutem sufficit. Hoc sensu locutos fuisse Patres, liquet ex momentis assertionis positæ. Caterum mirum videri potest, Sectarios suo errori apud PP. patrocinium quærere, quos alias ludibrio habent. Fidem in latrone bono, quem nobis opponunt Heretodoxi, non *mortuam*, sed operibus *vivam*, id est: piis actionibus conjunctam extitisse, patet ex illo *Luc. 23. v. 40. Neque tu times Deum, quod in ea damnatione es? & Memento mei Domine &c.*

Nec obest: opera hominis ante justificationem posita, esse opera peccatoris, *fructus arboris malæ.* Licet enim homo ante acceptam justificationis gratiam sit in statu peccati gravis, nihilominus dum superno lumine illustratus elicit actus fidei, timoris, spei &c. non operatur ut peccator, vel ex affectu erga peccatum, sed potius ex affectu saltem inchoato ad justitiam. Hinc recte definivit Synodus Trident. adversus Sectarios *sess. VI. can. VII. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem sunt, quæcunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.* Vide *Num. 73. §. III.*

CAPUT QUARTUM.

An justus possit excidere a gratia sanctificante?

293 **P**ost Joviniani & Pelagii errorem asserentium, non posse amitti gratiam per sacramentum baptismi susceptam, docuit Calvinus *Lib. III. Instit. c. II.* fidem ac justitiam propriam esse electorum, & semel vere obtentam, non posse ulla ratione deperdi, tamen si quis in gravissima prolabatur crimina, & qui videntur eam deperdere, nunquam re ipsa habuisse: *Solos, inquit, electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vite in eorum cordibus insertum. - - - Hoc interim tenendum est, quamvis exigua sit, ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est, ac sigillum suae adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse ejus sculpturam.* Eodem loco affirmat: plurimos falli, qui fidem se habere existimant, cum nihil habeant, nisi fidei umbram & simulacrum. Perniciosus hic error e falso principio Calvini promanat, quo statuit, peccatorem per solam fidem justificari, qua credit, sibi peccata remissa, seque e numero praedestinatorum esse. Assentitur Calvino Theodorus Beza cum pluribus Sectariis, fatentibus justos quidem gravissima perpetrare peccata, at nunquam excidere a gratia, eo fere modo, quo peccant amentes, atque destituti libertatis exercitio. Dordrechtanum Conciliabulum anno MDCXIX. contra Arminienfes, sive Calvinistas Remonstratenses statuit can. V. *Deus Spiritum S. in tristibus lapsibus a suis non prorsus aufert, nec eousque eos prolabi sinit, ut gratiae adoptionis, & justificationis statu excidant.* Lutherani more suo discrepant. Petrus Martyr & Kemnitius videntur sentire, posse justum interdum graviter labi, attamen fieri haud posse, quin ante mortem redeat ad fidem, credatque sibi peccata remissa. Alii opinantur, si quis justorum animo prorsus libero, nec percussus metu impendentis mali, nec spe allectus melioris fortunae, labatur in peccatum apostasiae, eum omnino amissurum justitiam, & veniam hujus peccati nunquam impetraturum. Simile quid videtur docuisse Lutherus, cujus verba sunt apud Eckium: *Prorsus non dubitamus, nos esse salvos, postquam baptizati sumus, quia promissio ibi facta non est mutabilis*
ullis

ullis peccatis. Unde baptizatus etiam volens non potest perdere salutem, quia nulla peccata possunt eum damnare, nisi incredulitas. Adversus hos sit

A S S E R T I O.

Justus quamdiu manet in statu viæ, potest excidere a gratia sanctificante; proinde justitia semel acquisita, iterum amitti potest per quodvis peccatum grave.

DOctrinæ hujus veritas e Divinis Scripturis evidenter demonstra- 294
tur. Quid enim clarius illo Ezech. 18. v. 24. *Si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominaciones, quas operari solet impius, nunquid viveret? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur; & c. 33. v. 12. Justitia justus non liberabit eum, in quacunque die peccaverit, --- justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit.* Et statim explicatur conditio, sub qua vita (utique æterna) justo promittitur his verbis: *Etiã si dixerò justo, quod vita vivat, & confusus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur.* Istis profecto verbis clarissime docetur, posse justum amittere suam justiciam. Nec desunt exempla amissæ justitiæ. Angelorum pars magna perdita justitia ad cruciatu inferni damnata est. Adamus in statu gratiæ sanctificantis conditus, inobedientia se, posterosque perdidit. Rex David innocentia vitæ multo tempore insignis, testante Scriptura: *Inveni David virum secundum cor meum.* Actor. 13. adulterio & homicidio fœdatus, semetipsum coram Deo, ejusque Propheta Nathan impium ac peccatorem est fassus, adeoque amississe gratiam, quam postea recuperavit per pœnitentiam 2. Reg. c. 12. cujus pœnitentiæ testimonium ipse præbuit Psal. 50. dicens: *Spiritum rectum innova in visceribus meis, & redde mihi lætitiã salutaris tui,* plane indicans se prius habuisse Spiritum Sanctum.

Neque dixerint Sectarii: hæc talia præcise ad vetus testamentum pertinere. Si ita: cur, oro, Apostolus eos, qui Spiritus S.

templum sunt, sic alloquitur 1. ad Corinth. 3. v. 17. *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus?* Cur omnes generatim in eadem epistola c. 10. v. 12. monet: *Qui se existimat stare, videat ne cadat?* Si, inquam, justus promulgata lege evangelica, non possit amittere Spiritum Sanctum, cur tam grave monitum inculcat?

295

Sed ut magis patefiat infusus error Sectariorum, publicum antiquitatis testimonium proferam. S. Hieronimus *Lib. II. adversus Jovinianum*, & S. August. *hæresi LXXXII.* narrant, inter alios Joviniani errores etiam istum ab Ecclesia fuisse damnatum, quo docuerat: Justos post baptismum non posse peccare: & si forte peccent, ostendi eos aqua, & non Spiritu baptizatos.

Huic antiquitatis testimonio adjicere placet auctoritatem PP. ut intelligamus, quæ fuerit doctrina Ecclesiæ. August. *Lib. de corrept. & grat. c. XIII.* *Credendum est, inquit, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquamdiu fideliter & juste vivere, & postea cadere, neque de hac vita priusquam eis id contingat, auferri.* Idem *Lib. de dono perseverant. c. IX.* ait: *Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* --- *Nonne utrique a Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant & ab eo, qui dixit: omnem statum ego feci, unius ejusdemque naturæ animas acceperant? Nonne postremo utrique vocati fuerant & vocantem secuti, utrique ex impiis justificati & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Et S. Gregor. Lib. XXX. Moral. c. XXXII.* *Quis, inquit, intelligat, quod alius Catholicæ matris ventre proditus, juxta vitæ terminum erroris voragine devoratur, alius autem vitam suam in Catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia, cum lacte matris hausserat virus erroris?* Ex his claret: justos etiam in nova lege evangelica tum fidem, tum gratiam amittere posse.

296

Accedant postremo rationes TT. I. Si justi in peccata prolabi non possunt, neque sanctificantem gratiam amittere, quorsum tot gravissimæ adinonitiones & cohortationes Apostolorum, & omnium Doctorum Ecclesiæ ad populum Dei, ut solliciti sint, ut cum metu & tremore salutem operentur? quorsum

pæni-

pœnitentia, absolutio, reconciliatio lapsorum defenditur adversus Novatianos? II. Parvuli rite baptizati, utique justitiam & fidem accipiunt etiam secundum Lutheranos; immo etiam citra baptismum ex sententia Calvinii & Petri Martyris, & Bucerii, fidelium filii nascuntur sancti; at quis sibi persuadeat, omnes fidelium filios, vel certe omnes, qui in infantia baptizantur, esse prædestinatos & non posse peccare secundum Calvinum, vel non posse damnari secundum Bucerum & Martyrem? Certe non pauci adultiorem ætatem adepti, fidem exuunt, vel adulteriis, aliisque sceleribus se polluunt, & in sua impietate moriuntur. III. Justii libertatem peccandi etiam graviter habent, ergo fieri potest, ut reipsa peccent, atqui cum peccato gravi nequit componi gratia justificans, uti dicemus Cap. VII. ergo.

Satisfit Sectariis.

Oppon. I. S. Joannes in sua epist. 1. c. 3. v. 6. ait: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est,* atqui natus ex Deo dicitur justus, seu amicus Dei, gratia sanctificante ornatus, ergo. II. Apostolus ad Rom. 8. scribit: *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? - - - certus sum, quia neque mors, neque vita - - - poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro;* & I. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit, igitur homo semel justificatus nunquam peccabit graviter, nec amittet charitatem.* III. Psal. 36. v. 24. de justo legimus: *Cum ceciderit, non collidetur.* Jerem. 32. v. 40. de gratia legis evangelicæ prædictum fuit: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me,* igitur justus, dicunt Sectarii, etiam prolapsus in gravia peccata, non collidetur, nec recedet a Deo, hoc est: peccata ei non imputabuntur, adeoque nec a justitia sua excidet, cum justitia sit posita in non imputatione peccatorum.

R. ad I. cum D. Augustino Tract. V. in eandem epist. Joannem nomine peccati intellexisse lethale, tanquam præcipuam peccati speciem. Quare adducta sententia facit hunc sensum: justum qua

qua justum, seu quamdiu justus perseverat, pro sensu composito gratiæ sanctificantis non posse graviter peccare.

Ad II. dico: verba illa Apostoli: *certus sum* &c. non posse accipi hoc sensu, quod nemo justorum amissurus sit gratiam sanctificantem, cum multi mortis inferendæ metu perterriti, aut cupiditate rerum temporalium turpiter fidem ejuraverint, & immania scelera perpetraverint &c. Illud verissimum: neque mortem, neque vitam &c. nos posse separare a charitate Christi; sola enim mala voluntas nos separare potest & separat. Quæ si absit, justus in sua justitia perseverabit. Idcirco nos admonet Paulus, ne secundum carnem vivamus, quæ admonitio ludicra foret, si semel justificati, a Dei charitate per malam voluntatem non possemus separari & divelli. Verba autem illa: *Charitas nunquam excidit*, non significant, justum non posse deficere a charitate Dei & observantia præceptorum, sed potius, charitatem in æternum perseveraturam in Beatis, ut exponit S. Anselmus in 1. *ad Corinth. epist.* dicens: *Fides cessabit, & spes finem habebit, sola vero charitas in æternum perseverabit*; proinde textus iste huc minime pertinet non favet Sectariis.

Ad III. &c. Regium Prophetam loqui vel de venialibus culpis, quas justus committit, commissurus quoque lethales, nisi misericors Deus eum præveniat congruis auxiliis; vel loqui de tribulationibus præsentis vitæ, quibus, si *Dominus supponit manum suam*, uti ibidem ait Propheta, animus justorum non frangetur. Postremus textus non est intelligendus de gratia *habituali*, sed *actuali* prævisa congrua & efficaci, quam Deus non omnibus justis concedit quoad finalem perseverantiam, sed solis electis & prædestinatis.

Ex his patet Catholica veritas a PP. Tridentinis definita sess. VI. can. XXIII. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum - - - anathema sit.* Vide Soaresum Tom. VIII. Lib. XI. de perpetuit. gratiæ c. I. Laurent. Bertium de Theol. discipl. Lib. XIX.

CAPUT QUINTUM.

An quis certus esse possit, se justificatum?

I. Lutherani & calviniani docent: hominem rite baptizatum & 299
 fidelem, posse, immo debere esse certum certitudine fidei
 absoluta, & prorsus indubitata, sibi remissa prioris vitæ peccata,
 seque salutem æternam consecuturum esse, adeoque de sua justitia,
 & perseverantia in ea, quodve consequitur, etiam de salute; vi-
 delicet per fidem illam specialem, qua quis credit, sibi in particu-
 lari remissa peccata, & promissam salutem a Deo ob merita Chri-
 sti Salvatoris nostri. Hunc detestandum errorem Lutherus in suis
 Thesibus vulgavit anno MDXVIII. quarum XIII. erat hujus teno-
 ris: *Usque ad infidelitatem errant, qui remissionem culpæ incertam
 asserunt, propter incertitudinem contritionis; & postea in Propo-
 sitionibus a Facultate Parisina anno MDXXI. die XXV. April. cen-
 sura affectis §. de charitatis certitudine ita loquitur: Pessime do-
 cent Theologi, quando dicunt, nos nescire, quando sumus in cha-
 ritate. Itaque caveat omnis Christianus, ne usquam incertus sit,
 an Deo placeant opera sua. Qui enim sic dubitat, peccat, &
 perdit opera sua cuncta, frustra que laborat.* Huic propositioni no-
 minata Facultas subjecit sequentem censuram: *Hæc propositio, in-
 telligendo nescire certitudine fidei, de qua loquitur scribens, est
 falsa, sacris Doëtoribus dissona, & sanctæ intelligentiæ scripturæ;
 ac hujusm. consilium, loquendo de certitudine, ut supra, est teme-
 rarium, perniciosum, & sacris eloquiis difforme.* Calvinus *Lib.
 III. Institut. c. II.* non dubitavit tueri: *Vere fidelis non est, nisi
 qui solida persuasione Deum sibi propitium, benevolunque Patrem
 esse persuasus, de ejus benignitate omnia sibi pollicetur, nisi qui
 Divinæ erga se benevolentia promissionibus fretus, indubitaram
 salutis expectationem præsumat. Fidelis, inquam, non est, nisi
 qui suæ salutis securitati innixus, diabolo & morti confidenter
 insultat.* Eidem errori adhæsit Bucerus in colloquio Ratisbonensi
 asserens: *Non esse verum Christianum, qui non eadem fidei certi-
 tudine credit, se habiturum esse vitam æternam, qua credit Chri-
 stum esse & Deum esse.*

300

II. Verum perniciosam hanc certitudinem, ac stultam præsumptionem, qua velut dulci veneno animæ perimuntur, Synodus Trident. sess. VI. c. IX. proscripsit: *Sicut nemo pius de misericordia Dei, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Et can. XIII. ejusdem sess. *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo & absque ulla hæsitacione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit.* Item can. XIV. *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum & hac sola fidei absolutionem & justificationem perfici, anathema sit.* Ac demum can. XV. *Si quis dixerit, hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.* Hanc doctrinam Synodi toto animo amplectimur.

A S S E R T I O.

Nullus mortalium citra peculiarem Dei revelationem, debet aut potest esse certus absolute & certitudine fidei, quod sit justificatus, seu in statu gratiæ.

301 **I**ndubitatum hoc esse fidei Catholicæ dogma, constat e laudata Synodo, nititurque autoritate Scripturarum & PP. Proverb. 20. v. 9. ait Sapiens: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* ubi notat ex Venerab. Bedæ Bellarminus *Lib. III. de justificat. c. IV.* Sapientiam non dixisse, neminem esse mundum corde & purum a peccato; David etenim testatur: *Beati immaculati*, & Christus docet: *Beati mundi corde*: sed enunciasse neminem posse dicere: *mundum est cor meum, purus sum a peccato*; nam illi ipsi, qui mundi sunt, nequeunt habere de hoc eam certitudinem, cui non possit subesse falsum, ut loquitur Tri-

Trident. circa speciale privilegium Divinae revelationis. Eccl. 9. v. 1. *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* In quem locum Hieronymus: *Porro hic sensus est: etiam in hoc dedi cor meum, & scire volui, quos Deus diligeret, quos odisset, & inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguo fluctuare, utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. . . . Et quicumque adversa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant, ut Job: an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum.* Observ. isthic sermonem fieri duntaxat de justis, quemadmodum patet ex textu, non item de peccatoribus, de quibus nullum omnino dubium, quin odio sint digni. Apostolus 1. ad Corinth. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* quasi diceret, ut explicat Soaresius Tom. VIII. Lib. IX. c. IX. Num. XXI. *neminem iudicio humano, etiam proprio & in propria conscientia fundato, de sua iustitia certitudine infallibili posse iudicare; & hoc ipsum de se affirmavit.*

Rursum S. Hieronymus Lib. II. *adversus Pelagianos* inquit, *Ne beatum dixeris quempiam ante mortem, quamdiu enim vivimus, in certamine sumus, quamdiu in certamine, nulla est certa victoria.* S. Gregor. Lib. II. *epistolar. epist. XXII. ad Gorgoniam,* cupienti scire ab ipso, utrum sibi essent remissa peccata? respondet: *Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quoad usque scribam, mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem, etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat. Inutilem vero, quia securus de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes.*

Suadetur præterea rationibus TT. I. Hanc certitudinem obtentæ justificationis vel habent omnes justis, vel solum peculiari sanctitate insignes? primum admitti nequit, cum non pauci justorum sint anxii, & dubii de sua justificatione; uti etiam secundum, quia isti quoque dubio pulsantur circa suam justificationem, quod

dubium certitudo fidei de justificatione excludere deberet. Dein si homines saltem vitæ sanctimonia præ aliis fulgentes, ita de propria justificatione certi forent, ut nullo modo de ea dubitare possent, cur Deus hujusm. sanctos reddidisset certos per *revelationem*, quod justificationem adepti sint, ut de B. Antonio testatur Athanasius in ejus vita, & de B. Galla Gregorius *Lib. IV. Dialog. c. XIII?* II. Hæc propositio particularis: *ego sum justificatus*, vel: *michi sunt remissa peccata*, neque in se revelata est alicui in particulari, ut supponitur, nec potest evidenter, vel sufficienter proponi, ut contenta in aliqua propositione universali a Deo revelata, igitur dicta propositio non est certa certitudine fidei. Ant. quoad *adam* partem ostenditur: nam omnes propositiones universales de justificatione hominis a Deo revelatæ sunt *conditionatæ* quoad nos relate ad propositiones singulares, cujusm. sunt istæ: *Omnis homo rite baptizatus accepit justitiam; omnis, qui rite percepit sacramentum penitentiae, est justificatus*, faciuntque hunc sensum: *Petrus accepit justitiam, Paulus accepit justitiam* &c. *si sunt rite baptizati, vel: si rite ceperunt sacramentum penitentiae*; & quia adultus v. g. non habet evidentiam ac certitudinem stricte moralem, & quæ sufficit ad excludendam omnem prudentem formidinem de opposito, utrum videlicet conditio impleta sit, v. g. utrum sit rite baptizatus; vel: utrum rite sacramentum penitentiae susceperit, sub qua Deus promisit justitiam, ideo etiam non habet certitudinem, propositionem particularem, nempe se accepisse gratiam, contineri sub universali revelata, adeoque nec potest esse certus certitudine fidei, se accepisse justitiam. Hæc copiosius explanavi *Tract. de Virtut. Theol. Dissert. II.*

Respondetur Sectariorum argumentis.

- 303 **O**ppon I. Apostolus ad Rom. 8. v. 16. ait: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*; in quem locum Chrysostomus hom. XIV. *Cum autem, inquit, Spiritus testatur, quæ tandem restat ambiguitas? nam si vel homo, vel Angelus, vel Archangelus, vel alia hujusm. potestas hoc polliceretur, par conveniensque esset, nonnullos hæsitare: cum autem summa Essentia, & ea quidem, quæ hoc largita est donum, nobis testimonium*

nium afferat, quis tandem de dignitate ambigat? cum igitur testimonium Spiritus S. sit infallibile, certitudo inde orta, nos esse filios Dei, est infallibilis. Et v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli - - neque creatura alia potuit nos separare a charitate Dei*, ergo Paulus certus erat de sua coram Deo iustitia. II. Rursum idem Apostolus I. ad Corinth. 2. v. 12. ait: *Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis.* III. 2. Petri I. v. 10. habetur: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*; igitur ex operibus bonis certi esse possumus de electione ad sanctitatem.

¶ ad I. E. Paulinis verbis hoc unum colligi, Spiritum S. perhibere justis testimonium, quod sint adoptivi filii Dei; neque enim Spiritus S. peculiariter inhabitans donatur, nisi amicis Dei ac justis. Verum non dicit Apostolus, quod ipsis justis testimonium ipsum Spiritus S. sit *infallibiliter* cognitum. Hoc enim testimonium esse a Spiritu S. nobis certo certitudine fidei constare nequit, nisi adsit Divina revelatio. Suavitas autem illa, & conscientiae tranquillitas, ac affectiones in nobis excitatae, quibus confidenter clamamus *Abba Pater*, reperiri nonnunquam possunt in peccatoribus, adeoque hæc signa non pariunt certitudinem fidei de justificatione obtenta, sed solam conjecturalem cognitionem. Unde etsi testimonium Spiritus S. sit certum & infallibile *in se*, non tamen *quoad nos*, quia Satanus potest se *transfigurare in Angelum lucis*, monetque Joan. in prima sua epistola c. 4. v. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Dein etsi constaret homini, se impelli a Spiritu S. nondum constabit, se eo modo affici, quo afficiuntur amici Dei, ut fatetur ipse Calv. *Lib. III. Instir. c. II.* cum ita loquitur: *Experientia ostendit, reprobos interdum simili fere sensu, atque electos affici, ut ne suo quidem iudicio quidquam ab electis differant.* Similiter etsi teste Apostolo Spiritus S. inhabitans sit pignus hæreditatis & habens pignus sit certus de hæreditate, nihilominus non sumus certi certitudine fidei, nos Spiritum S. inhabitantem habere. Verba S. Chrysostomi adducta significant, testimonium Spiritus S. in se infallibile esse, & nos credere, Deum per Christum nos in filios adoptasse, & gratiam

304

contulisse, quia de hoc testimonio Spiritus S. certi sumus. Utrum vero hæc gratia applicata sit, & reipsa existat in hoc vel illo homine, istud nec huic, nec illi homini certum fit certitudine fidei. Ad alterum locum Apostoli dico: etsi Paulus de sua justificatione potuerit esse certus ex peculiari revelatione Dei, ut multi conjiciunt ex illo 2. ad Corinth. 12. *sufficit tibi gratia mea*, isto tamen loco verba *certus sum* solum significant: *magnam confidentiam habeo*, vel *pro certo confido*, ut vult Hieronymus in epist. ad Algasiam.

Ad II. *Re. I.* Apostolum loqui de mysteriis nostræ Religionis, ac præsertim de mysterio redemptionis Verbi incarnati, quod nemo cognoscere & credere potest, *ut oportet*, absque auxilio Spiritus S. *Re. II.* cum Suaresio: scientiam, cujus meminit Paulus, esse fidem, qua credimus promissiones tum de cœlestibus bonis æternis, tum de donis gratiæ nobis in hac vita conferendis, & qua peculiariter credimus omnia ea bona, esse dona Dei & Spiritus ipsius, per quem hanc fidem accipimus. Hujusm. vero dona jam esse huic vel illi in particulari collata usque ad sanctificationem per gratiam, nec Paulus docuit, nec Spiritus S. unicuique revelat.

Ad III. dico: sensum illius textus esse: nos ita operari oportere in hac mortali vita, ut quantum fieri potest, vocationem & electionem certam faciamus coram Deo; non vero ut reddamur certi certitudine fidei de *justificatione*, quæ certitudo non ex operibus, sed ex revelatione Dei sumitur.

305

Oppon. IV. Fide certum est, adultum suscipientem baptismum, vel sacramentum pœnitentiæ rite dispositum, accipere gratiam sanctificantem, atqui potest adultus certo experimento cognoscere, se rite dispositum hæc sacramenta suscepisse, igitur potest esse certus certitudine fidei, se accepisse gratiam sanctificantem. Probat. *m.* *1mo:* si enim nullus adultus, de sua dispositione ad remissionem peccatorum necessaria certus esset, Divina providentia minime commendaretur, quæ a nobis hujusm. dispositionem requirat, ut eos ipsos, qui eam posituri sunt, lateat; nec adultus tuto posset sacramentum suscipere. *2do.* Si non est certus de sua dispositione, proinde de sua justitia, ipse justus trepidabit, nec perfruetur ea pace, quam

quam iustis pollicetur Apostolus ad Rom. 5. v. 1. *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*, ergo.

R. C. M. n. m. Ut enim adultus sit rite dispositus ad suscipiendum baptismum, necessaria est fides, & dolor excedens vires naturæ de peccatis, ut vocamus, *personalibus*, siqua contraxit, secundum Trident. Synodum sess. VI. c. VI. docentem, in adultis necessariam esse fidem, spem &c. ad obtinendam justificationem, de quibus certitudinem sufficientem non habet, cum suorum actuum *supernaturalitatem* certo non cognoscat, nec certo cognoscat, utrum ex motivo formali naturali, vel supernaturali doleat. Idem cum proportione applica sacramentum pœnitentiæ suscipienti.

Ad *1mam* probat. dico: istud nihil officere providentiæ Dei; satis est enim quod homo prudenter iudicet, se rite esse dispositum & suos actus esse supernos; potestque tuta conscientia sacramentum suscipere. Sic etiam Confessarius non nisi cognitionem probabilem habens de legitima dispositione sui pœnitentis, cum ea cognitio nitatur præcise dicto pœnitentis, vel aliis signis externis fallibilibus, tuto administrat sacramentum.

Ad *2dam* R. ut iustus interiore pace animi perfruatur, non requiritur, ut sit certus certitudine fidei se esse iustificatum, sed sufficit, quod nullius criminis sit conscius, nitaturque firmissima spe se adepturum æternam beatitudinem, modo non desit Divinis auxiliis. Hæc certitudo spei depellit quidem anxietatem, non item omnem formidinem, ut nimirum etiam iusti cum metu & tremore suam salutem operentur.

Neque dixeris: Quicumque orat pro gratia sanctificante, vel pro dono perseverantiæ, certo debet credere, se accepturum gratiam, vel perseverantiæ donum, secundum illud Jacob. 1. v. 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*, ubi jubemur petere a Deo citra hæsitacionem, igitur jubemur certi esse, nos impetraturos, quod petimus, atqui fideles orant pro gratia &c. ergo.

Nam R. hæc duo esse diversa: credere sine hæsitacione Deum posse præstare, quod petit: & credere sine hæsitacione Deum re ipsa præstiturum, quod petit. Illud prius tenemur credere *absolute*, hoc posterius solum *conditionate*, si nempe ex parte nostra non sit defectus, vel si Deo visum est expedire. Perseverantia nobis quidem expedit, at ut recte petatur, quotidie in finem usque

petenda est. Utrum vero perseveranter eam petitori simus, quis scire potest, nisi Deus, & cui voluerit revelare.

C A P U T S E X T U M.

Quosnam gratia sanctificans effectus præstet?

307 I. **G**Ratia sanctificans ratione suorum prædicatorum & respectu-
um, varios effectus formales *imarios* & positivos præstat, qui sunt totidem denominationes, quas tribuit suo subjecto capaci, cujusmodi sunt esse participem naturæ Divinæ, filium adoptivum Dei &c. Eadem gratia præstat effectum formalem *adarium*, videlicet expulsionem peccati gravis e subjecto, si illud immediate præcessit, seu effectus formalis *adarius* & negativus gratiæ habitualis est carentia sive privatio peccati mortalis in subjecto, cui peccato dicta gratia opponitur. Ex utroque effectu formali, nempe *imario* & positivo, & *adario* ac negativo, oritur effectus formalis gratiæ, qui dicitur justificatio. De effectibus *imariis* hoc Capite, de *adario* agemus proximo.

308 II. Inter *imarios* effectus formales gratiæ sanctificantis, *imo* loco numeratur, quod hominem, cui donatur, formaliter reddat & denominet participem ac consortem, speciali quadam ratione, naturæ Divinæ. Istud colligunt SS. PP. & TT. ex 2. epist. S. Petri c. 1. v. 4. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Unde S. Leo *serm. I. de nativitate. Agnosce, inquit, homo dignitatem tuam & Divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. - - Per baptismatis sacramentum, Spiritus Sancti factus es templum.*

Alter effectus formalis *imarius* est, quod subjectum suum, seu creaturam ratione præditam formaliter reddat & denominet filium Dei adoptivum, secundum Trident. sess. VI. c. IV. ubi definit: *Justificationem esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, quam justificationem eadem sess. c. VII. adscribit gratiæ habituali, tanquam unicæ formæ. Hæc proinde filiatio non est illa, qua in latiore sensu omnes etiam*
pec-

peccatores sunt filii Dei, possuntque Deo dicere, *Pater noster*, in quantum cura paterna providet eorum salutem, sed strictior & adoptiva in eo consistens, quod creatura rationalis, quæ est persona extranea respectu Dei, ab eoque per naturalem generationem in similitudinem naturæ non procedit, nec est ejus filius naturalis, in filium tamen assumitur & adoptatur. Nam IC. & TT. communiter describunt adoptionem, quod sit personæ extraneæ in filium legitima assumptio; ad quam duæ potissimum conditiones requiruntur. I. Ut persona, quæ adoptatur, sit extranea, id est: non sit filius naturalis per naturalem generationem accipiens naturam a Patre, similem Patri. II. Ut adoptans libera & gratiosa voluntate extraneam personam assumat in filium, eique jus tribuat ad hæreditatem Patris adoptantis, quæ hæreditas Dei, tanquam Patris adoptantis est regnum cœlorum & beatitudo aterna.

Hinc gratia habitualis non denominat Christum filium Dei adoptivum, quia Christus est Dei filius naturalis, adeoque respectu Dei non est persona extranea, quæ sola est capax adoptionis. Quare nec denominat & reddit hæc gratia humanitatem Christi filiam adoptivam, quia humanitas secundum se non est persona; nec etiam animam separatam a corpore, utpote quæ non est persona, proprie & stricte loquendo denominat filiam adoptivam. Ex quo vides, defectum esse in capacitate subjecti ad recipiendam, non in gratia ad dandam denominationem. Eadem gratia in Christo personalitatem Verbi non reddit participem naturæ Divinæ, quia videlicet personalitas Verbi habens naturam Divinam per identitatem, non est capax eam habendi per participationem. Ipsam tamen humanitatem Christi secundum se sumptam gratia reddit participem naturæ Divinæ, quia natura humana Christi sic accepta habet capacitatem hujus denominationis, ut dixi in *Tract. de august. Verbi Divini myst. Dissert. III. c. II.*

Tertius effectus est, quod subjectum suum, seu creaturam rationalem formaliter reddat & constituat hæredem Dei & cohæredem Christi in regno cœlorum. Hic effectus sequitur ex priore secundum illud ad Rom. 8. v. 16. & 17. *Ipsè enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur;* & ad Ephes. 1. v. 13.

& 14. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Unde ratione gratiæ sanctificantis creaturæ rationali debetur a Deo, non quidem ex obligatione strictæ justitiæ, cujus Deus incapax est, sed ex vi promissionis Divinæ, gloria æterna, si in gratia decesserit. Et quia creatura decedere potest ex hac vita vel sine ullis meritis, ut parvuli, vel cum meritis, ut adulti, ideo si *unum* fiat, debetur illi gloria solum ut hæreditas; si *adum*, debetur etiam ut corona.

310

Quartus effectus est, quod creaturam rationalem formaliter reddat & denominet amicam Dei, ut liquet ex Trident. sess. VI. c. VII. dicente: *Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus* (nempe in justificatione per susceptionem gratiæ sanctificantis) *ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Quod autem possit intercedere Deum inter & hominem amicitia non quidem fœderalitatis & æqualitatis arithmeticæ, sed dignationis & supereminentiæ per excessum, qualis datur etiam inter Dominum & servum, testatur pluribus locis Scriptura, ut Psal. 138. v. 17. *Nimis honorati sunt amici tui Deus;* Lucæ 12. v. 4. *Dico vobis amicis meis;* Joan. 15. v. 14. & 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos.*

Quintus effectus est, quod creaturam rationalem denominet justam, ut loquitur Trident. loco laudato. Porro creaturam esse justam, non significat isthic, creaturam habere specialem virtutem, quæ cuivis dat, quod suum est; nec virtutem generalem, seu omnium virtutum collectionem, sed significat creaturam habere justitiam quasi radicalem, in quantum nempe gratia est per modum naturæ prima radix & fons omnium virtutum supernaturalium (quæ generaliter dicuntur Justitia) & exclusio formalis omnis injustitiæ, seu peccati mortalis.

Sextus effectus formalis *imarius* gratiæ habitualis est, quod creaturam rationalem formaliter reddat & denominet sanctam, non tamen sanctitate late accepta, qua sanctum dicitur, quidquid est Deo specialiter consecratum, quod convenit etiam rebus inanimatis, ut templis, calicibus &c. sed proprie & rigide sumpta, quæ sanctitas tria potissimum prædicata includit, quorum *unum* est: quod ea sit peculiaris quidam ornatu & pulchritudo animæ hanc

Deo

Deo gratam & amabilem reddens amore supernaturali ordinato ad communicationem bonorum supernaturalium. *2dum*: quod sit quadam iustitia & recta dispositio animæ ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei, charitatis &c. quibus finis ultimus obtinetur. *3tium*: quod sit exclusio & impossibilitas cum peccato mortali.

Quod autem nostra sententia feliciter explicet, hos enumeratos effectus præstari a gratia sanctificante, paucis ostendo. Nam data inhabitatione Spiritus S. in anima per moralem & affectivam unionem, homo fit confors & particeps naturæ Divinæ, fit filius adoptivus Dei, hæres regni cælorum, amicus, iustus, sanctus &c. De participatione naturæ Divinæ nemo dubitaverit, est enim natura Divina indentificata personæ Spiritus S. Apposite S. Cyrillus Alexandrinus *Dial. VII. de Trinit.* in rem nostram loquitur: *Templa Dei & Dii vocati sumus, & sumus. Quare autem interroga Adversarios: quandoquidem sumus vere participes gratiæ nudi & substantia carentis. Sed non sic habet. Absit. Tempa enim sumus existentis & substantis, vocatique propter hoc Dii, utpote Divinæ & ineffabilis naturæ cum illo copula participes facti. Et Lib. de Divinit. Spiritus, hunc in modum ratiocinatur: Quomodo igitur factus est Spiritus, si Patris & Filii per illum participes efficiuntur? Non enim per creaturam erit in nobis participatio Dei. Vel dicant: si factus unus sanctorum Angelorum esset in nobis, essemusne participes Divinæ naturæ? Sed hoc non est verum. Unde Deus in nobis per Deum Spiritum. Igitur per ipsum Spiritum Sanctum, non vero per creaturam, hoc est: qualitatem aliquam creatam, proprie Dei participes nos fieri & adoptivos filios Cyrillus affirmat. Id multo clarius idem expressit *Lib. XIII. Theauri*, ubi hæreticos revincit docentes: Spiritum S. per se non esse sanctum, sed vim sanctificandi a Patre accipere, atque sic creaturas sanctas facere, & ita prosequitur sermonem: *Sed quid opus est istis ambagibus & versutis commentis? ipsam enim sanctificandi virtutem, quæ ex Patre naturaliter prodit, & imperfecta perficit, Spiritum S. esse dicimus. Et superfluum videtur, per medium aliquod creaturas sanctificari. Nam ipse Deus pro misericordia sua, ad minima ipsa pervenit, & sanctificat per proprium Spiritum, - - Spiritus S. per seipsum in nobis operatur, vere**

sanctificans & uniens nos (nempe unione morali & affectiva) sibi metipse, dum nos secum copulat, ac Divinæ naturæ participes reddens. - - Quæ igitur hæc gratia est? non alia certe, quam Sancti Spiritus in cordibus nostris facta infusio, cum habitibus fidei, spei, & charitatis, aliarumque virtutum, quarum adminiculo ad Deum, modo naturæ vires superante, diligendum &c. apti efficiamur, atque adeo interne mutamur, renovamurque. Tum *Dialog. VII. de Trinit.* Sanctitatem, id est: statum illum justitiæ, qui nos adoptivos Dei filios facit, substantiæ suæ communicatione in nobis efficere Spiritum S. clarissimis verbis docet: *Non enim per creaturam participari potest, quod creaturam superat; & ut infinita loca ejusdem Patris prætermittam, in Excerptis Dialogi de S. Spiritu ait: Habitante (in nobis) creatura, non Divinitatis sumus, sed creaturæ participes,* quibus verbis rursus aperte rejicit gratiam sanctificantem veluti qualitatem creatam. Paria suppeditant nobis alii Græci PP. ut Greg. Nyssen. *orat. III. in orat. Dom. Epiph. hæresi LXXIV.* Athanas. *epist. ad Serapionem.* Chryf. *hom. de Spiritu S.* a nostro Petavio *Theol. dogm. de Trinit. Lib. VIII.* longo ordine laudati.

Verum tam suavi, jucundoque justis argumento paululum immoremur, & Latinorum PP. proferamus testimonia, quibus docemur Spiritum Sanctum justos, sanctos, ac filios Dei adoptivos facere, non efficientia sola, externaque largitione gratiæ, sed communione substantiæ suæ, ita ut in nobis esse, & peculiariter habitare dicatur *non per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis,* ut loquitur August. *serm. I. in feria II. Pentecost.* Inprimis Hieronym. in ea verba ad Ephes. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis,* hæc adnotat: *Signati autem sumus Spiritu Dei Sancto, ut & spiritus noster & anima imprimantur signaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum Sancti Spiritus, juxta eloquium Salvatoris, Deo imprimente signatur.* Et *epist. IX. ad Hedibiam* ait: *Hic Spiritus Sanctus non solum in Apostolis, sed etiam in Prophetis fuit: de quo David orabat dicens: Spiritum Sanctum tuum non auferas a me.* Augustinus *epist. ad Dardanum:* *Deus, inquit, totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus; quamvis in*
qui-

quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis diversitate, alij amplius, alij minus. - - - Unde in omnibus sanctis alij alijs sanctiores? nisi abundantius habendo habitatorem Deum. Hilarius Lib. VIII. Spirituales, inquit, omnes sumus, si in nobis est Spiritus Dei. Sed hic Spiritus Dei, Spiritus Christi est - - - vivificamur ergo propter habitantem in nobis Spiritum Christi per eum, qui Christum suscitavit a mortuis. Ambrosius Lib. de Filiis Divinit. c. VIII. Misit nobis Spiritum Sanctum, protectorem, sanctificatorem, & deductorem in vitam æternam. Leo M. serm. II. de Pentec. Et Patriarchæ & Prophetæ & Sacerdotes, omnesque Sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus S. sanctificatione vegetati. Hæc & alia sat clara testimonia Patrum luculenter evincunt, dictos effectus ab inhabitatione Spiritus Sancti, vi cujus peculiariter inest animæ justæ, haberi. Quod vero hos effectus & denominationes Spiritus S. peculiariter inhabitans animam justæ, tanquam formalis causa adæquata in actu 2do præstet, & in subjecto capaci præstare exigat, citra ullam aliam causam formalem, aut conditionem, consideranti patet.

C A P U T S E P T I M U M.

Utrum gratia sanctificans opponatur peccato gravi?

I. **E**ffectum formalem 2darium gratiæ sanctificantis esse expulsionem peccati gravis, si istud in subjecto erat immediate ante donationem gratiæ, dixi Num. 307. aut si non erat, impedit illud, ne ponatur, quamdiu intelligitur dari gratia sanctificans, utpote cum peccato gravi impossibilis. Certum vero est I. Gratiam sanctificantem non opponi peccato veniali, cum de fide sit, hanc gratiam defacto simul componi cum peccatis venialibus, ex Trident. sess. VI. c. XI. dicente: *Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti & justæ in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justæ: nam justorum illa vox est & humilis & verax: Dimitte nobis debita nostra.* Vide dicta Num. 85. Quare sanctificans gratia solum opponitur peccato gravi, quod proinde excludit, ejusque carentiam causat. Certum est II. Gratiam sanctificantem etiam

non opponi gravi peccato solum materiali, sive actui alias graviter prohibito, secundum esse physicum sumpto, carente tamen morali deformitate *formaliter* imputabili. Nam ejusmodi actus stat simul cum gratia sanctificante, sicut veniale peccatum. Unde opponitur solum gravi accepto secundum esse morale, seu prout habenti moralem deformitatem formaliter imputabilem, eo quod cum sufficiente libertate commissum sit. Certum est III. eam nec opponi cum potentia proxima peccandi, sed cum hac componi in eodem subjecto, definiente Trident. sess. VI. can. XXIII. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo cum, qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum - - - anathema sit.* Certum est IV. Gratiam sanctificantem opponi peccato gravi secundum esse morale, ita ut per illam peccatum grave, si immediate fuit in subjecto, non tantum tegatur, seu non imputetur, sed vere remittatur & deleatur, ut definit Trident. sess. V. in Decret. de peccat. origin. & sess. VI. c. VII.

313

II. Qui gratiam sanctificantem arbitrantur esse quampiam qualitatem creatam, litem inter se agitant de oppositione ejusdem cum peccato gravi. Triplex enim opposito considerari potest: *metaphysica, physica, & moralis*. Metaphysica foret, si gratia & peccatum per nullam potentiam in eodem subjecto eodem instanti simul esse possent, & si simul essent, sequeretur manifesta contradictio. Physica & naturalis foret, si gratia & peccatum non possent esse simul citra violentiam, aut miraculum, etsi possent citra contradictionem. Moralis tantum foret, si peccatum cum gratia nunquam est, aut plerumque non est, quamvis simul esse possent citra contradictionem, miraculum & violentiam.

III. Thomistæ cum Vasquezio, Amico & aliis docent: gratiam sanctificantem ex prædicatis sibi intrinsicis, metaphysice opponi peccato gravi tum actuali, tum habituali, ita ut nec per absolutam Dei potentiam simul esse possint in eodem subjecto & eodem instanti saltem metaphysico. Scotistæ contendunt: gratiam in *esse qualitaris*, seu secundum suam entitatem spectatam non opponi peccato mortali habituali & actuali, nisi *moraliter*, in quantum videlicet gratia moraliter exigit favorem Dei extrinsecum, cujus in consortio *metaphysice* opponitur cum peccato

gravi; sumptam autem in *esse gratiæ*, seu prout præter suam entitatem importat etiam favorem Dei extrinsecum, nempe decretum, quo Deus universim statuit, *qualitatem* gratiæ nunquam componi cum mortali, opponi metaphysice cum mortali. Soarsius vero cum Arriaga & aliis existimat, gratiam opponi mortali tum habituali, tum actuali secundum entitatem physicam acceptam, oppositione solum physica ac naturali, cui tamen Deus absolute contravenire potest per miraculum. Sententia admittens hominem immediate sanctificari absque qualitate creata per Spiritum Sanctum peculiari modo inhabitantem, facile se his tricis Scholasticorum expedit, ut videbimus.

A S S E R T I O.

Gratia sanctificans metaphysice opponitur peccato gravi tum actuali, tum habituali, ita ut nec per absolutam Dei potentiam simul esse possint in eodem subjecto.

HÆc assertio fundatur in Synodo Trident. sess. VI. c. VII. dicente, gratiam sanctificantem esse unicam formalem causam nostræ justificationis, quæ, ut ibidem habetur, & can. XI. eadem sess. consistit etiam *in remissione peccatorum*, igitur gratia sanctificans est causa formalis remissiva peccatorum, uti est causa nostræ justificationis, sanctitatis, amicitiae Dei, filiationis adoptivæ, vel saltem essentialiter adfert remissionem peccatorum, sed h. i. metaphysice opponitur peccato gravi; alias non esset formalis remissio peccatorum, nec eam essentialiter inferret; posset enim esse sine hoc effectu formali, cum tamen unica causa formalis, supposita aliunde capacitate subjecti, sine suo effectu formali esse non possit, ergo.

II. Formæ, vel quasi formæ, quæ præstant effectus metaphysice sibi oppositos, sunt essentialiter incomponibiles simul in eodem subjecto, atqui gratia sanctificans & peccatum grave seu actuale, seu habituale, præstant effectus metaphysice sibi oppositos, ergo. M. patet: alias enim duo contradictoria simul possent esse, & verificari de eodem subjecto; m. ostenditur: Gratia sanctificans reddit hominem justum, amicum Dei, id est: dignum amore amabili, & vita æterna consistente in visione, ac amore Dei.

E contrario: peccatum grave seu actuale, seu habituale reddit hominem injustum, inimicum Dei, seu dignum odio Dei inimicabili &c. sed isti sunt effectus sibi metaphysice oppositi, ergo.

315

III. Gratia sanctificans consistit in peculiari inhabitatione, & unione morali Spiritus S. cum anima hominis justī, sed fieri nequit, ut detur hæc peculiaris inhabitatio & moralis unio, simulque detur peccatum grave, ergo. Minor patet e recensitis supra effectibus sibi metaphysice oppositis, quos præstat Spiritus S. morali unione unitus, & peccatum grave, ergo. Unde sapient. I. v. 4. & 5. legimus: *In malevolam animam non introibit sapientia, id est: Spiritus Sanctus, nec habitabit in corpore, seu homine, subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu & corripietur a superveniente iniquitate;* ubi verba: *effugiet, auferet se,* nequeunt intelligi de carentia inexistentiæ realis Spiritus Sancti, cum vi suæ immensitatis necessario ubique sit, ac rebus omnibus creatis in sit realiter, adeoque intelligi debent de desitione unionis morali Spiritus S. cum anima justī. Similiter dum Deus, sive Spiritus S. dicitur hominem accedere, locum utique non mutat, cum ubique sit, omnemque locum sua immensitate repleat, contineatque. Dicitur ergo accedere, appropinquare, quando novo modo alicubi operatur; recedere, fugere &c. quando operari desinit, quamvis præsentissimus adsit. Venit e. g. Spiritus S. ad peccatorem, dum eum excitat, & *transseunter* in illo operatur piis illustrationes, & affectiones; posita autem ultima dispositione ad justificationem, venit Spiritus S. missus ac donatus a Patre & Filio ad hominem, quem permanenter seu *habitualiter* peculiari modo inhabitat, videlicet affective semet uniendo animæ, hanc efficiendo sanctam, & justam, largiendo eidem continuum influxum gratiarum actualium, applicando specialiter omnipotentiam, eamque aptam efficiendo ad actus fidei, spei, charitatis &c. eliciendos, & propter hanc dignitatem & sanctitatem ex morali illa & affectiva unione Spiritus S. resultantem, amat Deus seu tota Trinitas animam amore amicitiae. Jam vero impossibile est, ut stante hac unione in eadem anima detur peccatum grave, & eam odio inimicitiae ac aversionis persequatur, repudiet tanquam inimicam &c. ergo.

Resolvuntur Objectiones.

Oppon. I. Gratia sanctificans est beneficium distinctum & separabile a remissione peccati gravis, ergo potest simul componi cum peccato. Ant. prob. *imo*: Gratia sanctificans potest haberi sine remissione peccati, ut patet in Christo, & B. Virgine, ac vicissim peccatum potest remitti per condonationem extrinsecam sine gratia, ergo. *2do*: Remissio peccati gravis est majus beneficium & pramium, quam ipsa gratia; igitur remissio peccati gravis nequit esse formalis effectus gratiæ. II. Licet gratia & peccatum præstarent effectus formales metaphysice oppositos, nihilominus si simul in eodem subjecto existerent, eos hujusm. subjecto non tribuerent, ergo hoc titulo non repugnat peccatum componi cum gratia. Ant. ostenditur: quia nulla forma tribuit effectum formalem subjecto incapaci, atqui in casu, quo quis actu peccaret, subjectum foret incapax effectus formalis v. g. sancti, & amici Dei, ergo.

2o. ad I. Dist. ant. est distinctum & separabile beneficium a remissione peccati gravis, si conteratur gratia non habenti peccatum grave c. ant. secus n. ant & conf. Ratio responsi est: quia sicut ad hoc ut amor efficax metaphysice opponatur efficaci odio, non requiritur, nec potest requiri, ut excludat ex suo subjecto odium non præexistens, sed sufficit, si excludat odium præexistens, & faciat, ut nec divinitus possit esse secum eodem instanti, ita etiam ad hoc, ut gratia metaphysice opponatur peccato, non requiritur, ut remittatur & excludatur formaliter per eam peccatum non existens, sed sufficit, quod excludatur præexistens in subjecto, & nec divinitus componi possit eodem instanti cum eo. Ex his patet, gratiam habere essentialem connexionem cum remissione, non quidem *absolute*, verum sub *conditione*, si nempe in subjecto peccatum præcessit nondum sublatum per condonationem extrinsecam, vel satisfactionem condignam, & in hujusm. casu dicimus a gratia necessario causari remissionem peccati, veluti effectum ejus secundarium. Ad *imam* probat. patet responsio, simulque observo: peccatum grave absolute loquendo, nempe in alia providentia, posse remitti per condonationem extrinsecam, quo casu non renovaretur interius homo, nec in amicum,

filium, & hæredem Dei assumeretur, quæ in moderna providentia fiunt per gratiam sanctificantem. Alteram probat. dist. remissio peccati gravis est majus beneficium & præmium, quam gratia collata innocenti & non peccatori c. collata peccatori n. Certe enim remissio peccati gravis, atque adeo gratia collata peccatori, in quo est actu remissiva peccati, multo majus est beneficium, quam collata non peccatori, quia confertur positive indigno, & est multo majus præmium, quia importat cessionem juris Divini ad tractandum peccatorem ut inimicum. Unde etiam pura creatura quantacunque gratia & aliis donis supernis ornata sit, nequit alteri de condigno mereri remissionem peccati gravis, quamvis possit alteri innocenti mereri gratiam.

318

Ad II. q. dist. ant. non tribuerent, & simul tribuerent c. ant. tantum non tribuerent n. ant. & conf. Ad probat. Dist. M. Nulla forma tribuit effectum formalem subjecto, cujus subjectum est incapax essentialiter, & incapacitate tenente se ex parte ipsius subjecti C. M. solum accidentaliter & incapacitate tenente se ex parte formæ oppositæ N. M. & sic distincta m. n. conf. Si gratia habitualis, seu sanctificans homini actu peccanti per impossibile daretur, tribuere illi deberet effectum formalem sancti & amici Dei, quia homo, qui solus est subjectum, secundum se est capax hujus formalis effectus; sed præterea etiam non tribueret, quia peccatum illi tribueret effectum formalem peccatoris & inimici Dei, qui effectus formalis essentialiter infert negationem, seu absentiam alterius. Idem respondendum est Adversariis, si quæras ex iis: quid ex compositione efficaciæ odii & amoris ejusdem objecti in eodem subjecto, item ex compositione assensus & dissensus sequeretur? Porro tunc solum est subjectum essentialiter incapax recipiendi effectum formalem unius formæ, vel quasi formæ, ex oppositis, quando subjectum habet effectum formalem unius formæ inaufertibilem salva subjecti substantia per adventum formæ alterius; sic Christus est incapax recipiendi a gratia denominationem filii adoptivi; cum enim hanc denominationem non nisi persona extranea recipere possit per dicta Num. 308. & Christus non possit esse persona extranea, utpote habens filiationem naturalem per identitatem, ideo nequit gratia dare denominationem filii adoptivi Christo salva Christi substantia, seu filiatione naturali substantiam

Chri-

Christi constituite. At vero peccator est capax recipiendi a gratia, (seclusa omni condonatione extrinseca, denominationem sancti, amici, digni amore &c. quia videlicet gratia, salva peccatoris substantia per seipsam tollit peccatum, & hujus effectus formales, nempe inimici, digni odio &c.

Oppon. III. Gratia sanctificans potest componi eodem instanti cum potentia proxima peccandi graviter; alias enim justus non posset peccare; ergo etiam cum mortali. Conseq. prob. Quidquid potest componi cum potentia proxima ad actum liberum, potest componi cum actu libero, ergo. IV. Potest justus graviter peccare, ergo gratia potest componi cum peccato actuali. Conf. probat. Si potest justus graviter peccare, tunc in signo priori ejusdem instantis intelligitur gratia, & in posteriore, si peccet, peccatum grave, ergo in eodem instanti componetur gratia & peccatum. V. Gratia sanctificans non opponitur contradictorie peccato gravi, ergo possunt de potentia Dei absoluta simul componi in eodem subjecto, sicut calor & frigus.

re. ad III. c. ant. n. conf. ad probat. dist. ant. potest componi cum actu libero, si sit constitutum potentia proxima impedibile per actum *adum* liberum, cujusmodi est v. g. cognitio, auxilium indifferens &c. c. ant. si non sit hujusmodi constitutum potentia proxima, sed impedibile, ac etiam essentialiter impediendum per actum *adum*, uti impeditur & tollitur gratia per actum graviter peccaminosum n. ant. & conf. Exemplum habes in actu odii, qui tametsi componi possit, & componatur cum potentia proxima ad amorem, attamen nequit etiam de potentia Dei absoluta componi cum amore, sed hunc essentialiter impedit & excludit.

Ad IV. dist. ant. Potest justus graviter peccare dividendo a se gratiam, seu ita, ut h. i. quod graviter peccet, privetur gratia sanctificante c. ant. componendo gratiam cum peccato n. ant. Ad probat. n. *imam* partem ant. quia in & pro signo prioris actus *imi* proximi praescinditur a gratia & carentia gratia, & alterutra primum intelligitur in & pro signo posteriore observantia, vel transgressionis pracepti.

Neque dixeris: principium vitale & supernaturale debet intelligi existere pro signo prioris actus *imi* ad actum vitalem & salu-

tarem, ergo etiam gratia sanctificans. Nam *z.* disparem rationem esse: quia principium vitale ut intellectus est causa physica, principium vero supernaturale y. g. gratia actualis, est causa moralis *efficientis* actus vitalis salutaris; at vero gratia sanctificans est *causa formalis* meritorii actus, quæ suum effectum præstat in illo signo, quo intelligitur existere physice. Quare pro signo priore ejusdem instantis nec positive importatur, nec positive excluditur existentia gratiæ, sed sicut datur indifferentia ad recte vel male operandum eodem instanti, ita datur indifferentia, ut positive existat eodem instanti posita bona operatione, vel positive non existat gratia posito peccato.

Ad V. dico: Gratiam & peccatum sibi opponi contrarie metaphysice, adeoque virtualiter & connexive saltem contradictorie, quemadmodum amor efficax & odium efficax ejusdem objecti in eodem subjecto. Immo cum peccatum habituale consistat etiam in carentia condonationis intrinsecæ, quæ condonatio est ipsissima gratia sanctificans, patet inter hanc & illud peccatum esse oppositionem contradictoriam. Paritas allata nos minime premit: nam si admittas calorem consistere in motu perturbato particularium insensibilium, frigus vero in quiete, seu privatione motus earundem, perinde divinitus nequeunt componi, ac gratia & peccatum grave. Secundum Peripateticos admittentes summum calorem & summum frigus esse entitates pure absolutas, possunt simul componi, at opponuntur sibi solum physice contrarie.

321

Oppon. V. Potest Deus homini justo revelare, quod sit in statu gratiæ, simulque ei præcipere, ut eodem instanti eliciat actum fidei, quo credat se esse in gratia, qui justus his positus adhuc esset liber ad hunc assensum fidei, vel dissensum peccaminosum, sed h. i. peccatum componi potest cum gratia: quia hic dissensus peccaminosus componeretur cum revelatione, & revelatio Divina essentialiter conneditur cum gratia, ergo idem dissensus componeretur etiam cum gratia. VI. Gratia habitualis habetur per unionem moralem & affectivam Spiritus S. cum anima, sed hæc unio potest stare cum peccato gravi, ergo. Probat. m. Spiritus Sanctus, immo tota Trinitas intime inest homini etiam dum actu grave peccatum committit, ut negari non potest, & Deus amat peccatores secundum illud ad Ephes. 2. *Erasmus natura*

tura filii iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia salvati estis) ergo si gratia habetur per unionem moralem Spiritus S. ea stare potest cum peccato gravi. Adde: quod non repugnet diligere personam ob bonitatem naturæ, & odio habere ipsius actionem, igitur nec repugnabit diligere justum ob inhabitantem peculiari modo Spiritum S. & simul odio habere ejus pravam actionem.

¶ ad V. N. ultimam partem, quod nimirum Petrus esset liber ad dissensum peccaminosum præstandum distæ revelationi, hæc supponatur vere & non solum apparenter Divina seu *existimata*; hoc enim supposito, necessario necessitate antecedente eliceret actum fidei, proinde non liberum. Ratio hujus datur: quia in hac suppositione præceptum constituens potentiam proximam ad actum fidei, præsupponeret signo priori revelationem veram prælucentem Petro, hæc vero gratiam tanquam objectum suum essentialiter exigitum in signo adhuc priore ejusdem instantis, ac proinde in signo posteriore ejusdem instantis non posset poni dissensus peccaminosus. Alii dicunt: ideo Petrum necessario positurum consensum in posita hypothesi, quia Deus revelans hominem in instanti A esse in gratia, h. i. habet decretum non tollendi gratiam pro instanti A, stante autem hoc decreto non potest habere decretum permissivum peccati pro eodem instanti, cum hæc duo decreta sint sibi opposita; sine decreto autem permissivo peccati nequit poni dissensus peccaminosus. Aliud esset, si revelatio hæc foret præcise *existimata*: cum hac enim posset componi etiam dissensus peccaminosus; verum cum hæc revelatio non connecteretur essentialiter cum gratia, nihil eorum sequeretur, quod argumentum intendit.

Ad VI. C. M. n. m. Ad probat. dist. ant. inest vi suæ immitatis, & amat peccatores amore misericordix disponentis ad justificationem c. ant. inest peculiari modo, & amat amore amicitix perfectæ seu amore amicabilem n. ant. & conf. Itaque Deus amat peccatores amore & dilectione misericordix, qua confert etiam maximis peccatoribus gratias sufficientes actuales, quarum ope semet disponere possint ad justificationem, ut colligere licet

ex eodem Apostoli textu, & ex 1. epist. S. Joan. c. 4. v. 10. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* At vero justos amat amore amicabili, qui importat dignitatem & sanctificationem in amato, atque jus ad amorem reciprocum, quo erga peccatorem ut talem, utpote dignum odio Dei & poena aeterna, ferri non potest.

Ad additum dico: c. ant. n. conf. Licet enim diligere personam ob ipsius bonitatem naturæ & simul odio habere ipsius actionem inter se non pugnent, cum sint circa diversa objecta: repugnat tamen diligere personam dilectione perfecta & amicabili ob gratiam habitualem, & odio habere eandem personam ob pravam actionem, cum unus sit actus amicitiae, alter inimicitiae respectu ejusdem finis.

Pro uberiore hujus controversiæ notitia observ. I. Etsi amor & odium efficax respectu ejusdem subjecti & objecti sint metaphysice impossibilia, stant tamen simul in eadem voluntate potentia amandi, & potentia odio habendi. Dispar ratio patet, quia hæc potentia nulla ratione sibi opponuntur, quandoquidem potentia ad amorem, solum opponitur impotentia ad amorem, & potentia ad odium non est impotentia ad amorem; immo cum utraque hæc potentia ad libertatem contrarietatis sit necessaria, ex hoc ipso manifestum sit, nullam inter eas intercedere oppositionem. E contrario: dignitas ad amorem Dei, & dignitas ad odium Dei sustinendum; in eodem subjecto dari nequeunt; qui enim dignus est amore Dei, odio ejusdem pro sensu composito dignus non est, ut patet ex terminis, & alioquin hæc duo contrarie metaphysice sibi opponuntur.

II. Privatio gratiæ dupliciter considerari potest: *1mo*: relate ad *unum* instans, in quo actu peccatum committitur, & hoc modo considerata non est proprie poena a Deo *libere* inflictæ, sed est effectus formalis *adarius* peccati, (sicut e converso remissio peccati est effectus formalis *adarius* gratiæ) & inducitur necessario necessitate metaphysica. *2do*: considerari potest privatio gratiæ, relate ad subsequentiã instantia, & sic considerata est poena *libere* a Deo inflictæ, quia liberum est Deo vel restituere homini gratiam & condonare peccatum prius commissum, vel relinquere illum in peccato non restituta gratia. Pariter ex supposito, quod
ho-

homo graviter peccaverit, non est Deo formaliter & immediate liberum privare eum gratia, est tamen hoc illi *liberum mediate*, in quantum liberum est permittere peccatum, quocum gratia nequit stare. Quod vero Deus necessitatem habeat privandi hominem gratia peccato gravi superveniente, non præjudicat ejus dominio, quia est necessitas mere consequens ad liberam permissionem peccati.

III. Licet admittatur, peccatum condonari posse *condonatione mere extrinseca* eo ipso instanti, quo committitur, non tamen potest etiam condonatum hoc modo, componi cum *condonatione intrinseca*, sive cum gratia. Ratio hujus est: quia per condonationem mere extrinsecam homo fit duntaxat non dignus odio & pœna, non inimicus in actu *2do*: per peccatum vero extrinsece condonatum dignus odio & pœna in actu *1mo*, seu radicaliter, quæ duo simul posse componi multi concedunt, cum peccatum actuale & condonatio extrinseca non habeant effectus formales metaphysice oppositos. E contrario: per gratiam sanctificantem homo fit formaliter justus, sanctus, & mundus ab omni peccato gravi, & per peccatum actuale etiam extrinsece condonatum, licet non fiat homo formaliter inimicus, sed solum radicaliter, fit tamen formaliter peccator, immundus, & dignus, quantum est de se, odio inimicabili Dei, qui effectus formales sunt metaphysice oppositi.

IV. Potest baptismus alicui conferri, quin præstet remissionem peccati gravis, non item gratia, quin excludat peccatum grave. Dispar ratio est: quia gratia per seipsam est formalis causa justificationis independenter ab omni conditione. At vero baptismus solum in genere causæ efficientis & quidem mediante gratia est destructivus peccatorum sub conditione, si rite suscipiatur.

V. Quando suffertur gratia ad existentiam peccati, etsi Deus non decernat formaliter & immediate hoc vel simili decreto: *volo destruere gratiam posito peccato*, inde tamen non sequitur, gratiam suffertur invito Deo, aut sine omni suppositione Deo libera. Nam etiam citra dictum decretum sublatio gratiæ est Deo *mediate libera*, in quantum liberum est ei decretum permissivum peccati impossibilis cum gratia, vi cujus Deus, tametsi præviderit ex hoc decreto infallibiliter secuturum peccatum, quod simpli-

citer

citer impedire potuit conferendo auxilium prævifum efficax, nihilominus applicat indifferenter omnipotentiam, illudque permittit, adeoque decernit virtualiter & mediate sublationem gratiæ. Quod vero fupposita permiffione peccati, oriatur in Deo neceffitas tollendi gratiam, iftud non officit ejus dominio, cum fit neceffitas mere confequens ad liberam permiffionem peccati; ficut non officit ejus dominio, quod fi velit rem aliquam producere, debeat fimul omnia illius prædicata & proprietates metaphyficas producere, fine quibus nequit exiftere.

VI. Nequit Deus jufto in instanti A præcipere falva omnimoda libertate, ut in instanti B. ponat actum charitatis de condigno meritorium, feu dignificatum a gratia *ut talem*, fed folum potest præcipere actum charitatis *fpecificative* fumptum, ita ut præcipe pofitio actus charitatis cadat fub præceptum, non autem ut etiam condignitas actus cadat fub præceptum. Ratio datur: quia id folum præcipi potest creaturæ, quod est liberum creaturæ, atqui creaturæ folum liberum est ponere, vel non ponere actum charitatis, non autem est liberum, ut amor ponendus fit, vel non fit de condigno meritorius; fi enim creatura ponens actum habeat gratiam fanctificantem, hæc neceffario dignificat, ac proinde amor est neceffario meritorius de condigno: fi vero non habeat gratiam, neceffario non est meritorius de condigno independentem a libertate creata.

DISSERTATIO QUINTA.

D E


MERITO BONORUM OPERUM.

IN hac Differtatione fequentes explanabuntur Quæftiones. I. Quid fit meritum, & quæ ejus divifio? II. Utrum opera auxilio gratiæ elicitæ fint meritoria apud Deum etiam vitæ æternæ? III. Quæ conditiones ad meritum requirantur? IV. Utrum ex parte Dei requirantur ad meritum promiffio de danda mercede? V. An principium meriti poffit cadere fub meritum? VI. An & qua ratione

ne homo possit mereri gratiam primam sive actualem, sive habitualem? VII. Utrum finalis perseverantia cadat sub meritum. VIII. Resolvuntur varia quæ sita de gratia & merito.

C A P U T P R I M U M.

Quid sit meritum, & quæ ejus divisio?

I  Meritum in genere prout complectitur *naturale* & *supernaturale* meritum, describitur, esse obsequium alteri præstitum de se aptum ad aliquod præmium ab eo obtinendum. Meritum Theologicum, de quo solo hic sermo erit, dicitur obsequium, sive opus honestum & liberum supernaturale Deo præstitum de se aptum ad aliquod præmium supernaturale ab eo obtinendum.

324

Nomen *meriti* nonnullis Sectariis vehementer displicet, veluti injuriosum Christo, fastuosum, & ut loquitur Calvinus *Lib. III. Instit. C. XV.* Scripturis ignotum, atque a quodam *Sophista rabula* inventum, inductumque. Bucerus in *actis colloquii Ratisbon.* negat Scripturas, vel Patres, nomine meriti usos fuisse; addit tamen, si forte Patres hoc nomen adhibuere, duram in ea voce cacachresim esse. Verum quod attinet vocabulum *meriti*, non defunt testimonia Scripturarum & PP. ubi hujusmodi nomen vel aperte continetur, vel unde nullo negotio deduci potest. Sic Eccli. 16. v. 15. *Omnia misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Apost. ad Heb. 13. v. 16. ait: *Beneficentia & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*, ubi passive usurpavit Interpres vocem *promeretur*. Fateatur Calvinus Paulum voluisse dicere: tales hostias placere Deo, eique gratas ac acceptas esse, attamen negat, recte vocari *merita*. At certe proprie latine dicimus, unum apud alterum mereri, ac eum sibi obstringere, qui agit aliquid, quod ei placeat, eumque delectet. Adde: quod verbum *promeretur* conjunctum vocabulo *hostiis*, non modo significet Deum delectari bonis operibus, sed conciliari quoque, & induci ad beneficiendum recte operantibus. Plurima sunt loca Scripturarum, quæ justorum mercedem commemo-

morant, a nobis infra laudanda. Eodem vocabulo usi sunt PP. utique in sensu proprio, ut patebit e dicendis. Cyprianus *de præceptis Eccles. Præceptis*, inquit, *obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* Ambros. *Lib. I. de officiis C. XV.* ait: *Meritorum præmia remanent post mortem.* August. *epist. ad Sixtum: Vita*, inquit, *æterna meritis præcedentibus redditur.*

325

II. Dividitur I. in meritum proprie tale seu *impetrativum*, & improprie tale, seu *compensativum* & *solutivum*. Impetrativum communiter definitur, quod sit causa moralis efficiens sui præmii, & moveat præmiantem *quia est*, sive quia absolute præexistit ante absolutam existentiam præmii. Si hujusm. meritum objective ac intentionaliter in mente præmiantis, & simul a parte rei & in executione absolute præexistat ante præmium, dicitur impetrativum strictissime. Si autem meritum solum ordine intentionis, non item ordine executionis præcedat absolutam existentiam præmii, vocatur meritum impetrativum minus stricte tale, cujusm. meritum agnoscunt TT. dum docent, omnes gratias collatas Angelis, & veteribus Patriarchis, fuisse præmium meritorum Christi post plurima secula nascituri. Compensativum meritum illud dicitur, quod præmiantem non monet per modum causæ moralis *quia est*, sed per modum finalis causæ sui præmii *ut sit*, ideoque absoluta existentia præmii antecedit absolutam existentiam meriti etiam in mente præmiantis; uti si Princeps donet militi gladium hoc fine, ut is gladio isto fortiter pugnet, miles fortiter pugnando ponit meritum compensativum accepti antea gladii.

326

Dividitur II. in *condignum* & *congruum*. Illud dicitur, quod secundum æstimationem moralem habet *æqualitatem* cum præmio. Istud est, quod non habet æqualitatem cum præmio, habet tamen quampiam *proportionem* ad præmium, ita ut convenienter detur præmium secundum liberalitatem præmiantis. Hæc doctrina fundatur in D. Thoma in *2. sent. dist. 27. art. 3.* hunc in modum loquente: *Dicitur aliquis mereri de condigno, quando invenitur æqualitas ad præmium secundum rectam æstimationem; ex congruo autem, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur, quod dantem decet.* Unde ut meritum sit congruum, non est necesse, ut in ratione obsequii æquale sit quoad æstimationem moralem præmio, quod confertur, sed

sed potest esse minus, modo proportionem cum illo habeat, ut tametsi interveniat liberalitas Præmiantis, possit tamen rationaliter ac prudenter dici, conferri ratione operis, & non ex mera liberalitate.

Disceptant TT. qualisnam debeat esse *æqualitas* inter meritum condignum & præmium? utrum videlicet geometrica solum seu *proportionis*, vel arithmetica seu *quantitatis*, hoc est: rei ad rem, quæ tunc habetur, quando res aliqua secundum suum intrinsecum valorem spectata non est magis æstimabilis, quam alia. Convenit inter eos: meritum condignum non debere habere æqualitatem omnimode arithmeticam, quia revera tanta bonitas non inest actui virtutis *temporaneo*, quanta inest *æternæ* gloriæ, quæ retribuitur, secundum illud Apostoli ad Rom. 8. v. 18. *Existimo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, & 2. ad Corinth. 4. v. 17. *Id, quod in præsentem est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*. Quare ad meritum condignum multis sufficere videtur æqualitas geometrica seu proportionis ejusdam cum præmio, quæ habetur, dum opus secundum se præcise spectatum non est quidem æquale præmio, evadit nihilominus ei æquale, si *simul* consideretur cum circumstantiis tum merentis, ut hujus tanquam amici, filii adoptivi dignitate; tum præmiantis, ut hujus liberalitate, magnificentia, tum Christi tanquam causæ meritoria, propter quem præmium datur. Neque enim decet, ut idem meritum vel obsequium secundum se materialiter sumptum, eodem modo remuneretur Rex & rusticus, certe si Rex non multo plus daret, quam rusticus, observatam utriusque vitam, ille non modo non foret liberalis, verum etiam debito suo non faceret satis. Alii censent, requiri & sufficere æqualitatem arithmeticam virtuales, id est: virtutis & dispositionis ad præmium, ita ut præmium sit tantum, quantum ex se in actu *imo* meritum exigit. Hæc opinio fundari videtur in sacris literis, quæ merita nostra sæpe comparant semini, ut Psalm. 125. v. 5. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent*; 2. ad Corinth. 9. v. 6. *Qui parce seminat, parce & metet*. Hinc D. August. in Psalm. 125. habet: *Quid seminamus? bona opera, opera misericordiæ semina nostra sunt*. Huic autem æqualitati

virtutis nihil officit quantitativa inæqualitas inter meritum condignum & præmium, sicut virtuti seminis nihil officit, quod planta, vel arbor sit formaliter perfectior semine. Utraque hæc opinio æqualitatem & debitam proportionem inter meritum condignum & præmium satis declarat.

III. Meritum differt ab impetratione strictè sumpta. Nam impetratio strictè sumpta, dicitur solum *oratio*. Aliquando tamen latius omne meritum congruum dicitur impetratio; sic contritionem, quæ in peccatore est meritum congruum remissionis peccati, dicit impetrationem veniæ peccatorum Trident. Sess. XIV. C. IV. immo aliquando latissime omne meritum tum condignum, tum congruum dici solet impetratio.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum opera auxilio gratiæ elicita sint meritoria apud Deum etiam vitæ æternæ?

327 I. Sæctariis merita bonorum operum prorsus exosa sunt, ideoque operibus piis absolute negant omnem vim merendi etiam de congruo, præsertim circa negotium justificationis & salutis obtinendæ. Calvinus *Lib. III. Instir. C. XV.* Fatetur quidem, bona opera non esse iustis infructuosa, sed negat ea esse alicujus meriti. Fatetur ea placere Deo, quod summo ac stricto jure non examinentur, verum acceptentur a Deo perinde ac si purissima forent. Lutherus in *assert. art. XXXII.* scribit: *Opus bonum optime factum, veniale peccatum esse secundum misericordiam Dei, sed mortale peccatum secundum judicium Dei.*

II. In illud hodie Sæctarii consentiunt: *Omne hominis opus esse peccatum.* At isthæc crudelis opinio adversatur Scripturis. Ut enim misericors & benignus sit Deus, & veniam peccatis indulgeat, ita nunquam peccatis delectatur, atqui se multis hominum operibus delectatum apertis verbis asseruit, igitur illa opera peccata non erant. Quid enim? an non legimus Genes. 8. v. 21. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis;* At quæ in peccato suavitas? certe enim Patriarchæ Noe opus, non victimarum nidorem odoratus est Deus. An non legimus Genes. 22. & 16. v. 17. hæc verba

ba ad Abraham: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi &c.* Qua fronte aulint dicere Sectarii, opus istud Abrahæ fuisse peccatum, quod tantopere placuit Deo? *Mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effundens super caput ipfius (Christi) recumbentis* dicitur *Matth. 26. opus bonum operata.* Verbo nihil frequentius in Scripturis, quam *fecit rectum coram domino; fecit rectum in oculis Domini; studiose egisti, quod rectum erat & placebat in oculis meis; placuit sermo coram Domino.* An rectum coram Domino est peccatum? an in oculis Domini placet? sed & cœlum præmium erit, si omnia opera sunt peccata.

III. Confessio Augustana & Apologia docent: opera bona esse meritoria præmiorum duntaxat temporalium, aut spiritualium, non item ipsius vitæ, & salutis aternæ, quia ut volunt, homo *sola fide justificatur & salvatur.* Addunt: opera justorum non esse meritoria ex propria dignitate, veluti reipsa sint justa, & legi divinæ satisfaciant, sed ex fide & indulgentia Dei, quia videlicet Deus iis, qui credunt sibi remissa peccata, indulgentia sua tegit operum scœditatem, & acceptat ea tanquam justa. Vide *Num. 270. & Card. Bellar. Tom. IV. Lib. V. de justificat. C. I.*

A S S E R T I O P R I M A.

Opera bona auxilio gratiæ elicitæ, sunt vere ac proprie meritoria apud Deum.

Veritas assert. in genere proposita autoritate Scripturarum ostenditur. *Eccli. 16. v. 15. habetur: Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* *Proverb. 2. v. 18. Seminanti justitiam merces fidelis.* *Matth. 5. v. 12. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in calis.* *2. ad Timoth. 4. v. 7. & 8. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die Justus Judex &c.* *Ad Galat. 6. v. 8. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aternam.*

Idipsum CC. definiverunt, ut Arauficanum II. C. XVIII. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Florentinum in literis unionis, ubi dicuntur animæ purgata in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum, sicuti est, meritorem tamen diversitate alium alio perfectius. Trident. sess. IV. C. XVI. Bene operantibus, inquit, usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vitæ æterna & tanquam gratia filiis Dei per Christum IESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hac est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus, a justo judice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. - - Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur. Et can. XXXII. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut, ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & IESU Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Ex his aliisque sententiis colligere licet, homines per sua opera cum gratia Dei posita apud Deum mereri. Et vero si per recte facta ordinis naturalis merentur præmium, cur non etiam per opera ordinis supernaturalis?

A S S E R T I O S E C U N D A.

Bona opera hominis justi sunt de condigno meritoria vitæ æternæ.

329 **A**ssertio cum communiore TT. sententia probat. I. ex sacris literis, quæ bonis operibus a justo elicitis tribuunt intrinsecam dignitatem, & quampiam aequalitatem, ac debitam proportionem cum præmio vitæ æternæ. Apostolus 2. ad Thessaion. 1. v. 5. ait: *Ut digni babeamini in regno Dei, pro quo & patimini* Ad Coloss.

Iosf. I. v. 10. *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* Apud Matth. 25. v. 34. & 35. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare &c; & v. 21. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te consti uam, intra in gaudium Domini tui.* Jacobi I. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus.* Unde hæc ratiocinatio profluit: iusti per bona opera digni fiunt vita æterna, atqui hæc dignitas nequit esse citra æqualitatem aliquam bonorum operum cum vita æterna, quod elucet ex ipsis etiam particulis *enim, quia, cum,* quæ indicant moralem & meritoriam dignitatem ac causam inesse operibus supernis justorum.

I. Tridentinum priore Num. laudatum pronunciat, *illis justorum operibus, quæ in Deo sunt facta, nihil deesse, quominus vitam æternam vere promeruisse censeantur;* & can. ibidem laudato definit, *justos vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, ejusque consecutionem, si in gratia decesserint, atque etiam augmentum gloriæ;* igitur bona justorum opera, quæ in Deo sunt facta, sunt vere & proprie merita apud Deum, etiam relate ad vitam æternam, atqui ad meritum vere & proprie dictum requiritur quædam operis meritorii cum mercede, corona justitiæ, debito, secundum æstimationem moralem æqualitas, ergo.

Denique I. Si vita æterna confertur iustis intuitu bonorum operum, seu propter bona opera, certe confertur ex *merito* bonorum operum; hæc enim idem significant. II. Confertur iis, qui digni sunt, at si digni sunt propter bona opera, datur iis ex merito & dignitate operum. III. Non solum datur iustis vita æterna ut *merces*, sed etiam ut *corona justitiæ*, atqui corona justitiæ non datur ex mera indulgentia, alioquin non justitiæ, sed meræ liberalitatis corona foret, ergo. Unde S. August. *Tract. LXVII. in Joan. Quia etsi alius est alio justior, alius alio sanctior; in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.* Et D. Greg. *Lib. XXXVI. moral. C. XX. ait: Bonum quod agimus & Dei est, & nostrum. Dei per prævenientem gratiam, nostrum per subsequenter liberam voluntatem. Si enim Dei non est,*
unde

unde ei gratias agimus? si nostrum non est, unde nobis præmia retribui speramus? de hoc merito condigno sermo redibit Cap. sequenti.

- 331 Ex his inferes: bona opera hominis peccati mortalis rei, esse meritoria de congruo præmii supernaturalis. Nam ad meritum de congruo plus non requiritur, quam ut cum præmio habeat aliquam proportionem, ut possit rationaliter dici, conferri præmium ratione operis & non ex mera liberalitate per dicta Num. 326. atqui in actibus supernis, quibus peccator se ad justificationem disponit, reperitur hujusm. proportio; nam secundum Tridentinum sess. VI. C. VI. peccator per actus, qui justificationem præcedunt, semet ad eam disponit, & Deus convertitur ad impium, se per gratiam excitantem ad Deum convertentem, ergo. Unde hujusm. dispositionibus inest ratio meriti de congruo, atque adeo peccator meretur remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem, vitam æternam de congruo vel immediate per contritionem perfectam, vel mediate per alia pia opera, videlicet preces, eleemosynas &c. Recte Augustinus epist. ad Sixtum loquitur: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei, qua ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat, exaltatur; & Lib. de prædest. SS. C. II. Quis dicet eum, qui jam cæpit credere, ab eo, in quem credidit, nihil mereri.* Quod vero actus & opera justificationem præcedentia non habeant meritum de condigno, inde provenit, quia deest ipsis princeps conditio, videlicet status gratiæ sanctificantis & filii adoptivi dignitas, ac Divinæ naturæ participatio.

Dissolvuntur Objectiones.

- 332 **O**ppon. contra 1^{am} assert. I. Vita æterna in Scripturis dicitur hæreditas, atqui hæreditas filiis debetur non ex merito & labore, sed solo jure filiationis, seu adoptionis, ergo. II. Vita æterna etsi corona sit, attamen datur ex misericordia teste Regio Psalte Psal. 102. v. 4. *Qui coronat te in misericordia, & in miserationibus.* Hinc vita æterna vocatur gratia Dei ad Rom. 6. v. 23. & ad Ephes. 11. v. 18. *Gratia enim salvati estis per fidem, & hoc*

non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur. III. Ut opus sit meritorium, debet esse indebitum; nam sub meritum ea non cadunt, quæ obligamur præstare, atqui opera bona obligamur præstare; unde Lucæ 17. v. 10. legimus: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, ergo. IV. Christus meritis est nobis vitam æternam, igitur eam nostris meritis non meremur.

R. ad I. 1mo: Vita æterna dicitur etiam *merces*, ut claret ex illo Matth. 5. v. 12. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* R. 2do: Vita æterna est utique hæreditas, cum nemini conferatur, nisi filiis Dei, & quidem respectu parvulorum post baptismum rite susceptum decedentium, est pura hæreditas; at respectu adultorum est quidem hæreditas, sed non pura, verum simul merces. Adulti igitur ratione utentes & in adoptione filiorum Dei usque ad finem perseverantes, duplici titulo accipiunt vitam æternam, altero mercedis, altero hæreditatis, id quod indicavit Paulus ad Coloss. 3. v. 23. & 24. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Ubi aperte significat, vitam æternam non solo titulo hæreditatis, sed mercedis quoque seu retributionis, adultis conferri. Nempe cum solum per adoptionem sint filii, potuit eos hac conditione onerosa adoptare, ut non adirent hæreditatem, nisi observando præcepta, adeoque titulo meriti. Sic etiam Christo jure hæreditatis ob unionem hypostaticam debebatur gloria corporis & exaltatio nominis, & tamen suis meritis obtinuit, secundum illud ad Philippen. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum &c.*

Ad II. dico: etsi vitam æternam mereri possimus, recte tamen tribuitur misericordie & gratiæ Divinæ, tum quia Deus ex pura misericordia promisit certis operibus vitam æternam, tum quia primam gratiam & actualem & habitualem nobis confert *gratis* ac citra meritum nostrum de condigno; alioquin constat e I. Dissert. nos salutarem actum ponere non posse, nisi excitemur gratia supernaturali. Unde fatemur, preparari nostram voluntatem a Domino, ipsumque per gratiam prævenientem facere, ut faciamus, bonorum quoque operum causam *principalem* esse Deum; atque in

hoc sensu vita æterna recte dicitur *gratia & misericordia*, ipseque Augustinus in *Psal. LXX. conc. II.* dicens: *Tua peccata sunt: merita, Dei sunt. Supplicium tibi debetur: & cum præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua*, eodem sensu explicandus est. At non propterea destituuntur nostra bona opera omni ratione merendi: nam etiam nobis imputantur, etsi minus principaliter, cum simus libero arbitrio præditi, & potentes dissentire gratiæ moventi, ac Deus acceptat ea in ordine ad reddendam vitam æternam, tanquam mercedem, ut patet vel unico textu D. Gregorii ad calcem Num. 330. laudato.

334

Ad III. dico: tamen si aliqua opera sint præcepta, attamen etiam nostra sunt, in quantum nostro in arbitrio positum est, ea facere vel omittere, neque enim Deus necessitate impellit nos ad recte operandum, sed reliquit nobis dominium actionum nostrarum, libereque promittit iis mercedem, quæ ipse vel præcepit, vel suavit. Ad additum textum ajo: manifestum ex eo fieri, Sectarios abuti Scripturis. Nam paulo ante opposuerant, nos esse filios, & vitam æternam deberi nobis titulo hæreditatis; nunc opponunt, nos esse servos inutiles, quibus nihil debeatur, ut advertit Becanus in *manuali controvers. Lib. I. C. XVIII.* Cæterum textus hunc sensum facit, *imo*: Nos per bona opera nihil Deo utilitatis adferre, quæ ipse egeret, cum se solo beatissimus sit, nobis tamen per ea maximam utilitatem procuramus. *2da*: Etsi extrinsecam ejus gloriam per nostra pia opera promoveamus, quia tamen ad istud alioquin obstringimur, pro iis nihil mercedis exigere possemus, si Deus, ut citra injuriam potuit, nullam pro iis mercedem promisisset. Unde D. August. *serm. CLXIII. de verbis Apostoli* exclamat: *O magna bonitas Dei! cui pro conditione reddere debeamus obsequium, utpote servi Domino, amicitiarum præmia nobis repromittit, ut a nobis obsequia debita servitutis extorqueat.* *3ta*: Nos inutiles servos esse, quia licet faciamus omnia, quæ præcepta sunt, attamen non nostris viribus, sed gratia Dei.

Ad IV. dico: Christum adultis meritum esse vitam æternam non solum ut hæreditatem, sed etiam tanquam mercedem bonorum operum; insuper promeritum justificationem, & adoptionem Divinam, atque etiam omnia auxilia gratiæ, sine quibus bona opera vitæ æternæ meritoria exercere minime possemus. Adde: meri-

ta nostra esse applicationem meritoriam meritorum Christi, ut explicui copiosius in *Tractat. de august. Verbi Divini Incarnat. Disfert. IV. C. IV.* & alibi.

Pro reliquis diluendis observ. I. Condignitas meriti crescit etiam ex *infinita* liberalitate Dei, sed relate ad moralem capacitatem & potestatem merentis & relate ad opus meritorium; cum igitur moralis capacitas puræ creaturæ merentis sit finita, & minor in peccatore, tanquam inimico Dei, quam in iusto & amico, & valor operis meritorii de se sit in pura creatura tantum finitus, & minor in merito congruo peccatoris, quam condigno iusti, ex liberalitate Dei valor meriti puræ creaturæ crescit tantum finite, & quidem magis in merito condigno iusti, quam congruo peccatoris.

II. SS. PP. comparant *merentes* cum laborantibus in vinea, & mercantibus; inde tamen non sequitur, meritum condignum debere esse arithmetice omnino æquale præmio, quemadmodum debet esse æqualis labor mercedi, pretium merci *taxata*: comparationes enim & similitudines non sunt semper exactæ, & aliqua duntaxat proportionem contentæ sunt. Quare sufficit, meritum condignum habere debitam proportionem & quampiam æqualitatem etiam geometricam cum præmio. Hinc Chrysostomus: *hom. IX. de penit.* ait: *Habes denarium, eme cælum, non quod venale sit cælum, sed quod clemens est Dominus.*

III. Meritum non opponitur gratiæ, quæ nobis confertur ad ponendum meritum; quia etiam libera nostra voluntas operatur, etsi non possit recte operari destituta gratiæ: sicut palmeti viti insitus producit fructum (quod cedit in gloriam vitis) tametsi fructum ferre, nisi manserit in vite, non possit. Propterea Christus Joan. 15. v. 5. semetipsum viti, & iustos palmiti comparavit: *Ego sum vitis, vos palmites*; cum addit: *qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* Quicquid igitur laudis est in meritis nostris, totum Christo tanquam principi causæ, est attribuendum.

IV. Ut iustus condignum meritum vitæ æternæ ponat, non requiritur, ut iusto debeatur merces, seu vita æterna ex stricta iustitia (neque enim Deus citra imminutionem sui dominii in creaturas, earumque actus se ex stricta iustitia obligare potest) sed sufficit, quod meritum iusti proportionem & æqualitatem debitam habeat ad vitam æternam; atqui meritum iusti habet dictam propor-

tionem, si simul spectetur, uti debet, dignitas iusti tanquam filii Dei adoptivi & consortis Divinæ naturæ, cui iure hæreditatis jam debetur vita æterna, item Dei præmiantis magnificentia & Christi dignitas, propter quem fit remuneratio, igitur intuitu istorum omnium, e quibus meritum moraliter confurgit, debetur merito iusti vita æterna etiam ut merces.

V. Licitum ac honestum est pia opera exercere intuitu mercedis æternæ, ut definivit Trident. sess. VI. can. XXXI. *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit*, contra Lutherum in *assert. art. assert. VI.* dicentem: *Contritio, quæ operatur per amissionem æternæ beatitudinis, facit hominem hypocritam, immo magis peccatorem.* Proscriptæ sunt præterea ab Alexandro VIII. propositio XIII. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur, & X. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, non Deo placens.* Et vero Scripturæ & PP. frequenter nos hortantur ad recte operandum intuitu mercedis æternæ, ut Apocal. 2. v. 10. *Esse fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Ad Coloss. 3. v. 23. & 24. *Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Augustinus in Psal. CXX. *Quando, inquit, facis bonum opus, propter vitam æternam fac.* Cyprianus ad Seagrimum & Rogatianum in hunc modum scribit: *Superventura charitatis gloriam cogitantes, pressuras omnes & persecutiones calcare nos convenit.* Accedit fidelium praxis & ipsa ratio: si enim vita æterna est finis bonorum operum, utique licebit opera bona tanquam media referre ad finem, & intuitu finis operari. Rejiciendus tamen est servilis, mercenarius & vitiosus eorum operandi modus, qui solius mercedis intuitu operantur, ac eo animo, ut si merces nulla proponeretur, Deo nollent obsequi. Igitur recte nobis agendum est principaliter propter Deum tanquam ultimum finem, ejusque gloriam, & ob mercedem vitæ æternæ tanquam finem proximum, ut videlicet tanto ardentius eum diligere, æternumque laudare possimus.

CAPUT TERTIUM.

Quæ conditiones ad meritum requirantur?

Conditiones ad meritum Theologorum seu supernaturale requisita, aliæ se tenent ex parte merentis, aliæ ex parte meriti, aliæ ex parte Dei, apud quem meremur. De his ordine agemus in præsentî & proximo Capite.

ASSERTIO PRIMA.

Ad meritum Theologicum ex parte merentis requiritur status viæ, & libertas non solum a coactione, sed etiam a necessitate simpliciter antecedente omne exercitium voluntatis creatæ; ad meritum vero condignum requiritur præterea status gratiæ habitualis, seu amicitiae & filiationis adoptivæ Dei.

Primam assert. partem aperte indicant Sacræ literæ. Joan. 9. v. 4. 336
habetur: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est (scilicet præsens vita) venit nox (id est: mors) quando nemo potest operari, nempe meritorie.* Apostolus ad Galat. 6. v. 10. fideles hortatur: *Dum tempus habemus (hoc est: dum mortalem hanc vitam vivimus) operemur bonum.* Unde August. Tract. XLIV. in laudatum locum Joan. ait: *Aliud est tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim Dominus unicuique secundum opera sua. Cum vivis, fac, si facturus es: erit enim tunc nox valida, quæ involvat impios: Sed & modo omnis infidelis quando moritur, illa nocte suscipitur, & non est, ut illic aliquid operetur.* Et Hieronym. in c. 6. 1. ad Corinth. *Tempus sementis est præsens vita, cum transierit, operandi tempus auferitur.* Cæterum status viæ non requiritur ad meritum ex natura rei, verum ex voluntate duntaxat Dei libere statuentis, ut merita omnia atque demerita morte finirentur. Quare nec Beati in coelis amplio rem gloriam, nec damnati gravius supplicium promerentur in præsentî providentia.

Neque dixeris: Beati accidentalem gloriam merentur, & tum ipsi, tum animæ in flammis purgantibus pro nobis orant. Nam & accidentalem illam gloriam, v. g. sanctificationem, cultum

eisdem a viatoribus præstitum fundari in meritis, quæ posuerunt in præsentī vita. Ad alterum ajo: Beatos intercedere pro nobis, & sæpe impetrare id, quod petimus per eorum intercessionem; verum ut ait D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 11. *Eorum orationes habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis & ex Divina acceptatione.* Quare Sanctorum preces non sunt nova merita, sed *impetrationes*, in quantum per suas preces ob sua prioris vitæ merita obtinent nobis beneficia; Deus enim decrevit nullum acceptare obsequium per modum meriti, nec promisit ei præmium, nisi ponatur in statu viæ. De animabus in purgatorio hærentibus eodem loco Angelicus respondet: *Dicendum: quod illi, qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad penas, quas patiuntur. Et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis.*

337

Alterā assert. pars per decursum hujus Tractatus non uno loco demonstrata est, patetque illius veritas vel ex propositione III. Jansenii ab Innocentio X. ut hæretica damnata: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Et vero ut quis sit præmio, vel pœna dignus, necesse est, ut habeat dominium suæ actionis, & de ea pro suo arbitrio possit disponere; nam idcirco meretur laudem, & præmium, aut vituperium & pœnam quod semet determinaverit ad opus bonum vel malum, a quo abstinere poterat, secundum illud Eccli. 31. v. 10. *Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit,* atqui agens ex necessitate antecedente, non habet dominium suæ actionis; neque de ea pro suo arbitrio potest disponere, igitur nec præmio, nec pœna est dignus. Recte Augustinus, cujus auctoritate abatur Janseniani, adducit *Lib. de nat. & grat. C. LXXV.* hæc verba Hieronymi: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec corona, nec damnatio est, & exclamans subjungit: Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat?*

338

Hic tamen observ. I. Si necessitas sit consequens ad exercitium creature liberum, & ex hoc oboriatur, non officit, sed potius

tius confirmat libertatem, ut sæpius dictum. II. Ad meritum non requiritur libertas immediata, verum sufficit mediata. Unde actus voluntatis internus de se honestus, licet efficaciter imperetur ab alio, atque adeo non sit immediate liber, est tamen meritorius. Namque hujusm. actus imperatus adhuc est imputabilis, & cum libertas mediata sufficiat ad peccatum, cur non etiam ad meritum? Vide Num. 42. III. Ad meritum non requiritur libertas moralis prout necessitati morali opposita per dicta Num. 87. ad III. Unde etsi actus honestus eliciatur ex necessitate morali, potest esse meritorius vitæ æternæ. IV. Ad meritum non requiritur libertas *contrarietatis* inter actus moraliter contrarios v. g. ad actum justitiæ, & injustitiæ. Immo ad meritum sufficit etiam sola libertas ad circumstantias actus, conjuncta cum necessitate antecedente ad substantiam. Certe Christus ob suam impeccabilitatem necessitatus erat ad observandam legem naturalem, attamen quia liber erat ad eam observandam ex hoc, aut illo motivo, & per hujus vel illius intensionis actus, merebatur per dictæ legis observantiam, ut monui Num. 259.

Tertia assert. pars colligitur e Scripturis. Christus apud Joan. 15. v. 4. ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis*; si igitur non possumus ferre fructus justitiæ, hoc est: opera vitæ æternæ condigne meritoria, nisi maneamus in ipso (per gratiam vero habitualem, quacum nobis simul conferuntur habitus superni, manemus in ipso) gratia habitualis omnino necessaria est ad meritum condignum vitæ æternæ; cum hæc sit simul corona meritorum & hæreditas, quæ solis filiis debetur teste Apostolo ad Rom. 8. v. 17. *Si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*; quibus verbis quemadmodum Apostolus hæreditatem vitæ æternæ ad solos filios pertinere, ita hos solos eam per sua merita condigne promereri posse indicat.

Idem docet Trident. sess. VI. C. XVI. *Hac igitur ratione, inquit Trident. justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino --- Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna,*

Et tanquam gratia filiis Dei per Christum JESUM misericorditer promissa, Et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus Et meritis fideliter reddenda. Ex hac doctrina patet: vitam æternam promissam esse solis filiis Dei adoptivis, eorumque & non aliorum bonis operibus atque meritis, tanquam mercedem retribuendam. Adde propositiones Baii proscriptas: XII. Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cælestis meritorium. XIII. Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod sunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per eum præstatur obedientia legi. XVII. Sentiant cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublevetur ad statum Deificum, consequitur ergo, ad meritum condignum requiri etiam statum gratiæ ex parte merentis.

Tum rationes TT. Nam I. opera bona citra dignitatem operantis (quæ oritur ex prærogativa amici Dei & filii adoptivi) posita, nec habent, nec habere possunt secundum rectam rationem & æstimationem æqualitatem cum præmio vitæ æternæ, cum dignitas & æstimabilitas operis desumatur peculiariter a dignitate personæ operantis, ut patet in Christo, & hæreditas non ad servos, sed ad filios pertineat; si igitur persona operans per gratiam adoptionis non sit recte disposita ad vitam æternam, nec illius opera habitura sunt æqualitatem cum præmio vitæ æternæ. II. Si homo in statu naturæ lapsæ non habet gratiam sanctificantem, habet peccatum grave, atqui habens peccatum grave nequit meritum condignum vitæ æternæ ponere; per peccatum enim dignus evadit morte æterna, igitur nequit ponere meritum, per quod formaliter evadat dignus vita æterna, ut patet.

A S S E R T I O S E C U N D A.

Ad meritum Theologicum ex parte operis requiritur, ut actus voluntatis sit positivus Et moraliter honestus, ac entitative supernaturalis.

340 **P**ars prima assert. ostenditur: nam meritum Theologicum debet esse actus entitative supernaturalis, atqui talis non potest esse
pura

pura omisso libera etiam si sit omisso peccati, cum in seipso nihil sit; quod autem nihil est, nequit esse entitative, seu in seipso supernaturale. Dein omisso peccati potest haberi solis naturæ viribus, nihil autem entitative supernaturale potest haberi solis naturæ viribus, ergo. Præterea ad meritum Theologicum requiritur, ut procedat dependenter a gratia cooperante in actu 2do, seu reipsa coefficiente, secus enim non foret proportio inter meritum & præmium, nec sufficit, quod in actu 1mo detur gratia excitans, si non cooperetur cum voluntate; atqui solus actus positivus honestus procedit a gratia in actu 2do cooperante, non item pura omisso; cum sit sine omni exercitio positivo voluntatis, potestque dari citra gratiam supernaturalem, ergo. Unde etsi pura omisso actus prohibiti sit moraliter bona, utpote præcepta, solum sequitur, eam posse esse meritoriam præmii naturalis, minime vero supernaturalis, ad quod omisso nullam habet proportionem.

Pars altera paucis declaratur: Actus humanus vel est moraliter bonus, vel malus, vel indifferens saltem per accidens; atqui nec moraliter malus, nec indifferens potest esse meritorius. Nam actus moraliter malus est positus adversus legem Dei, & non præmio, sed pœna dignus, atque adeo non est obsequium Deo præstitum remuneratione dignum. Præterea Paulus 2. ad Corinth. 5. v. 10. scribit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque proprii corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et Trident. loco supra laudato monet: *Justificatis hominibus - - proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Actus vero indifferens in individuo, si quis detur, nec præmium nec pœnam meretur. Unde si Deus alicui actui indifferenti promitteret aliquid, quod de se posset esse præmium, nec ille actus foret meritum, sed solum conditio exigita a Deo ad dandam rem promissam, nec res promissa data, foret præmium, sed purum donum.

Pars tertia, requiri videlicet ad omne meritum Theologicum, ut sit actus entitative, seu in substantia supernaturalis, adeoque ut procedat a gratia actuali entitative, & quoad substantiam supernaturalem, rationibus TT. stabilita manet adversus Pelagianos, & Semi-pelagianos Num. 53. Hic solum addo: omne meritum Theologi-

cum seu condignum, seu congruum debere esse proportionatum præmio, ipsum enim meritum movet Deum, & secundum æstimationem moralem habet *æqualitatem*, vel quampiam *proportionem* ad præmium, atqui ista non conveniunt merito entitative naturali respectu præmii supernaturalis, utpote cum illud sit huic profus improporionatum, & in ordine multo inferiore ac istud; certe enim præmium meriti Theologici est intrinsece supernaturale v. g. vita æterna, ut S. Thomas 1. 2. quæst. 109. in ☉ loquitur: *Vita æterna*, inquit, *est finis excedens proportionem nature humanæ. Et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, sed ad hoc exigitur alior virtus, quæ est virtus gratiæ, ergo.*

Satisfi Objectionibus.

342 **O**ppon. contra 2dam assert. I. Ad vincendam gravem v. g. tentationem, necessaria est gratia supernaturalis, atqui victoria tentationis non est necessario supernaturalis, cum possit fieri per puram omissionem, ergo. II. Eccli. 31. v. 10. laudatur dives, *qui potuit transgredi, & non est transgressus*, igitur ad meritum supernaturale non requiritur actus honestus positivus, sed sufficit pura ommissio libera actus prohibiti; sicut ad meritum pœnæ æternæ non requiritur necessario actus positivus legi difformis, sed sufficit pura ommissio libera actus præcepti. III. Ommissio pura actus prohibiti potest procedere ex cognitione supernaturali, & affectu motivi honesti, sed ommissio sic procedens est meritoria, ergo. M. probat. Actum *imium* proximum potest constituere gratia excitans supernaturalis proponens honestatem, & pia affectio ad hujusm. honestatem, potestque sequi ommissio actus prohibiti, ergo. IV. Inter meritum finitum, & præmium infinitum major intercedit distantia, quam inter meritum naturale & præmium supernaturale; atqui meritum finitum potest esse meritorium præmii infiniti, ut patet in meritis iustorum, qui promerentur vitam æternam secundum dicta Num. 329. ergo potest etiam meritum naturale esse meritorium præmii supernaturalis; sed h. i. non requiritur, ut meritum Theologicum sit supernaturale, ergo. V. Gratia habitualis potest animam rationalem, licet de se entitative naturalem, reddere dignam vita æterna; igitur

eadem gratia potest actum honestum pure naturalem hominis iusti reddere dignum vita æterna. Immo sicut potest Deus creaturam rationalem per solum decretum extrinsecum de potentia absoluta assumere in filium suum adoptivum & amicum, ut multi probabiliter docent, ita etiam potest sic elevare meritum naturale ad altiorem ordinem, ut fiat dignum præmio aliquo supernaturali.

R. ad I. Ad victoriam salutarem gravis tentationis necessariam esse gratiam entitative supernaturalem, non autem ad victoriam & vitationem non salutarem, quia ad hanc sufficit gratia solum entitative naturalis. Primum nequit haberi sine actu positivo supernaturali; at secundum potest haberi per puram omissionem. 343

Ad II. dist. ant. laudatur dives, qui potuit transgredi & non est transgressus *positive*, seu opera bona exercendo c. ant. pure omittere malum n. ant. & conf. Istud colligitur ex ipso contextu, additur enim continuo: *ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum*; quo significatur, eum non esse transgressum per pia opera.

Ad III. Dist. M. Omissio pura actus prohibiti potest procedere *negative* ex cognitione & affectu indeliberato honestatis transf. M. potest procedere *positive* N. M. Eo ipso enim quod pura omissio in se nihil sit, impossibile est, ut positive procedat, etsi actus *immediatus* proximus per principia positiva constituatur. De pura omissione agi solet in actibus humanis.

Ad IV. Dist. M. Inter meritum finitum & præmium infinitum major intercedit distantia in genere entis C. M. in ipso ordine & in genere moris. N. M. Cæterum vita æterna, seu beatitudo supernaturalis non recte dicitur præmium simpliciter infinitum, cum ea consistat in visione & amore Dei simpliciter finitis, etsi æternum duraturis. Adde: quod etsi meritum condignum sit finitum quoad perfectionem intensivam & extensivam, attamen plura includit, quæ radicaliter sunt æterna, ut principium merens, nempe anima rationalis; filiatio Dei adoptiva, quæ pariter quantum est de se, apta est durare æternum, hancque durationem postulat, ex suppositione quod grave peccatum non ponatur &c.

Ad V. c. ant. n. conf. Ratio dispar est: quia ad hoc, ut anima per gratiam habitualementur digna vita æterna, nihil requiritur aliud, quam ut sit capax hujus denominationis, & ad hanc

capacitatem non requiritur, ut anima dicat aliquem ordinem & exigentiam ipsius gratiæ, alioquin gratia non esset gratia, & anima non esset naturalis. At vero ad meritum requiritur, ut sit de se dignum præmio, & de se dicat ordinem & exigentiam in actu *inno* ad præmium supernaturale, cum ipsum sit, quod movet Deum ad hujusm. præmium, adeoque dignitas ad præmium supernaturale præsupponitur in actu, quæ tamen nulli actui naturali potest esse intrinseca. Adde: quod persona & finis, ad quem persona elevatur, non debeant esse in eodem ordine; alias nulla natura posset elevari ad finem supernaturalem. E contrario: meritum & præmium debent esse in eodem ordine, ut constat e PP. & dictis. Idem rependum de decreto extrinseco.

344

Pro reliquis solvendis observ. I. Secundum plurium TT. sententiam, opera Christi honesta quoad substantiam naturalia, si qua habuit, fuisse meritoria præmii supernaturalis, non item hominis justii naturalia. Omnia enim opera Christi sunt actus formaliter suppositi Divini (actiones quippe sunt suppositorum, ut fert axioma) repugnat autem actum esse formaliter suppositi Divini, & ab hoc non dignificari ad præmium, cujus Divinum suppositum est capax; & sic præmium supernaturale non daretur actui *ut naturali*, sed *ut elevato* per dignitatem personæ in Christo continente eminenter omnem perfectionem actus. At actus naturales hominis justii, non sunt actus formaliter hominis justii, cum non procedant ab eo ut justo. Unde h. i. quod opus justii, ut supponitur, non fiat dependenter a gratia, non elicit etiam opus supernaturale, nec operatur ut elevatus ad ordinem & finem supernaturalem, atque adeo nec præstat Deo obsequium, ut amicus & filius adoptivus. Vide *Tract. de verbi Divini mysterio Num. 249.* & *Platellium Part. II. C. VI. §. VII. Num. 642.*

II. Ex eo, quod actus naturales hominis justii titulo gratiæ habitualis nihil conducant ad vitam æternam, non sequitur, majorem partem operum justii fraudari præmio. Nam fraudari idem denotat, ac non obtinere id, quod quis meretur, & suo merito exigit, quod utique in casu posito supponi nequit. Dein cum justus in operibus piis se exercens faciat, quantum est in se, tunc Deus, ut dictum Dissert. I. Cap. VI. non denegat gratiam, ac proinde ordinarie illis largitur suas gratias, & hoc modo eliciunt actus salu-

ta-

tares, & meritorios præmii supernaturalis; alioquin principia supernaturalia, quibus instructus est justus, non dependent a libero ejus arbitrio, veluti posset eligere principia naturalia ad actum ponendum, & non eligere supernaturalia.

III. Dum tuemur cum communi TT. sententia, ad meritum Theologicum requiri, ut sit actus intrinsece & quoad substantiam supernaturalis, id non est intelligendum de iis actibus, qui sunt solum meritorii denominative & ratione actus interni, a quo imperantur, cujusm. sunt actus externi (ut v. g. porrigere haustum aquæ &c.) & actus interni naturales, imperati ab alio actu interno supernaturali, sed solum de illis, qui sunt formaliter & ratione sui meritorii præmii supernaturalis.

IV. Signa sacramentalia naturalia elevantur ad causandam moraliter gratiam supernaturalem, non tamen opera justi mere naturalia ad ponendum supernaturale præmium. Dispar ratio patet: quia signa illa sunt saltem moraliter actiones Christi, siquidem eas Christus nomine suo instituit; unde causant gratiam in virtute meritorum Christi. At actus mere naturales hominis justi, deberent causare præmium in sua virtute, ac proinde deberent habere dignitatem & proportionem propriam, adeoque intrinsecam ad præmium.

C A P U T Q U A R T U M.

Utrum ex parte Dei requiratur ad meritum promissio de danda mercede?

A S S E R T I O.

Ut opera nostra sint meritoria in actu 2do præmii supernaturalis, ex parte Dei præmiantis requiritur promissio & acceptatio in ordine ad præmium.

Ludovicus Mæratius *Tom. II. Tract. de grat. Disp. XIV. sect. II.* 345
 cum Cajetano, Conrado, Vasquezio *Disp. CXIV. C. IV.* &
 aliis negat hanc conditionem necessariam; verum nostra sententia
 communior est apud TT. Probat. I. ex Scripturis. Jacobi 1. v. 12.
Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit,

accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Ad Titum I. v. 2. In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus.

II. Ex Tridentino sess. VI. C. XVI. ita definiente: *Ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum JESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Et Senonensi in indice decretorum Decr. XVI. ubi hæc leguntur: *Eos autem, qui a dextris erunt, commendabit (Christus) non tam a fide, quam a bonis operibus, opera enim illorum sequuntur illos.* Talibus hostiis promeretur Deus, *facietque tandem misericordia locum unicuique juxta meritum operum suorum, non absoluta condignitate quidem (neque enim condignæ sunt passiones hujus seculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis) sed gratuita magis & liberali repromissione, qua conventionem facta de denario diurno, conduxit operarios in vineam suam &c.* Jam si bona opera citra omne pactum & promissionem vitæ æternæ meritoria forent in actu 2do, eamque infallibiliter inferrent, præmii hujus & mercedis retributio magis rependeretur *absolutæ* eorum condignitati, quam liberali Dei promissioni, ergo.

346

III. Ex PP. S. Augustinus *Enarrat. in Psal. CIX.* ait: *Fidelis Dominus, qui se nobis debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, sed omnia promittendo.* Idem *serm. XVI. de verbis Apostoli.* In his, inquit, quæ jam habemus, laudamus Deum largitorem; in his, quæ non habemus, tenemus debitorem; debitor enim factus est non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo. S. Cælestinus Papa in *epist. ad Gallos C. XII.* asserit: *tantum esse Dei erga nos misericordiam, ut nostra voluerit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

IV. Rationibus TT. I. Deus vi sui perfectissimi dominii in creaturas, earumque actus, posset omnia nostra pia opera exigere a nobis, veluti sibi debita titulo dominii, gratitudinis &c. igitur nullus actus creaturæ est in actu 2do meritorius præmii, nisi Deus actui liberaliter promiserit præmium. Paritatem habes in humanis: nam servus obsequiis suis alioquin Domino debitis non promeretur præmium. II. Meritum præcipue condignum ut in actu 2do consideratum & infalli-

fallibiliter inferens præmium, debet præmiantem aliquo modo obligare, seu debitorem facere, ut patet ex verbis Apostoli ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, sed nequit homo suis operibus ulla ratione obligare Deum, nisi ejus operibus præmium promiserit; cum enim Deus vi dominiæ supremi in creaturas, ut paulo ante diximus, justissime possit etiam nulla mercede proposita, ab homine quodlibet obsequium exigere; seclusa promissione, non apparet, unde ullo genere debiti teneatur operibus bonis mercedem reddere. III. Meritum se habet ut pretium oblatum, & præmium ut merx, atqui venditor seclusa promissione non tenetur acceptare pretium licet æquale, & tradere mercem, ut per se notum est, ergo.

Inferes I. actus supernaturales hominis justii, esse condigne meritorios in actu *1mo*, id est condignitate sufficientiæ, independenter a promissione & acceptatione Dei. Ratio hujus datur I. quia ad meritum condignum in actu *1mo* tale, sufficit si habeat suam æqualitatem cum præmio independenter ab acceptatione, vel promissione; atqui actus supernaturales justii habent æqualitatem; alias operibus justii non tribueretur vita æterna, tanquam merces & stipendium, ergo. II. Si justus per suos actus supernaturales non mereretur præmium de condigno in actu *1mo*, independenter a promissione, vel acceptatione, tunc peccator per contritionem mereretur de condigno justificationem, eo quod Deus justificationem eidem promiserit. Item: quilibet actus honestus posset esse meritorius de condigno unionis hypostaticæ, modo eam promiserit Deus. III. Cum meritum sic se habeat relate ad præmium, sicut pretium relate ad mercem, idcirco sicut pretium debet in se habere sufficientiam, seu esse dignum in actu *1mo* certa & determinata mercede; ut autem in actu *2do* tradatur merx pro illo, requiritur acceptatio libera pretii in ordine ad tradendam mercem ex parte vendentis, quæ tamen acceptatio nec dat, nec potest dare valorem, seu sufficientiam pretio, ita quoque meritum debet habere in se sufficientem in actu *1mo* æqualitatem, vel saltem proportionem aliquam cum præmio; ut autem in actu *2do* sit infallibiliter inductivum & causativum præmii, requiritur libera acceptatio præmiantis (præsertim Dei potentis alioquin aliis titulis exigere omnia opera nostra) quæ tamen acceptatio nec dat, nec potest dare merito æqualitatem, aut proportionem.

- 348 Inferes II. Cum Deus non possit obligari creaturæ ex stricta justitia, seu commutativa, ideo merito Theologico condigno, facta etiam promissione Dei, non debetur præmium ex stricta justitia, sed solum ex justitia latiore sensu accepta, nempe ex *fidelitate & immutabilitate* Dei. Hinc dum Scripturæ & PP. dicunt, Deum ex *justitia* reddere præmium, vel *debitorem*, aut *obligatum esse*; hæc in rigore non sunt accipienda, nihilque aliud significant, quam Deum tanta æquitate agere quoad effectum, quanta justissimus aliquis; atque ideo ait D. Angelicus, in Deo justitiam solum quoad effectum, non quoad affectum reperiri.

Respondetur ad objecta.

- 349 **O**ppon. I. Si promissio Dei requiretur ad rationem meriti, multi ex justis non fuissent meriti vitam æternam. Nam promissio non obligat, nisi facta acceptetur, sed multi ex justis promissionem illam Dei non acceptarunt, nec potuerunt acceptare, cum eam ignoraverint, ergo. II. Si quis videat operarium in vinea sua intuitu mercedis laborantem, tenetur ad eam persolvendam; ergo etiam Deus videns nostra bona opera, citra suam promissionem tenetur ea remunerari. III. Si requiretur præmii promissio ad meritum, id esset ideo, ut ponens meritum acquirat jus ad præmium, atqui istud nequit admitti; nam hoc jus acquisitum creaturæ ponenti meritum, induceret in Deo obligationem remunerandi, cujus obligationis Deus est omnino incapax, ut dixi in *Tract. de Jure & Justitia* Num. 315. IV. Peccatum grave sine omni promissione, seu comminatione Dei est condigne meritorium supplicii æterni, ergo etiam sine omni promissione Dei, merita justorum sunt condigne meritoria vitæ æternæ.

- 350 **R.** ad I. N. assertum: nullus enim unquam adultus justus fuit sine fide, qua creditur non solum Deum existere, sed etiam eum vitam æternam bonis justorum operibus, ut mercedem retribuere, quemadmodum patet ex Apostolo ad Hebr. II. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; adeoque nullus unquam adultus justus fuit, qui non cognosceret vel distincte, vel saltem confuse promissionem a Deo factam de vita æterna, ut mercede bonis justorum operibus retribuenda. Dein falsum est,

est, quod acceptatio Divinæ promissionis sit necessaria, tum quia Deus non obligatur ex stricto jure justitiæ, ita ut homo illud per acceptationem acquirat, uti alias fit in humanis; sed solum vi fidelitatis & immutabilitatis suæ, quæ non dependet ab acceptatione; tum etiam quia licet in privatis contractibus requiratur cognitio, vel acceptatio promissionis ad hoc, ut oriatur obligatio, attamen in iis, quæ per legem publicam statuuntur, aut promittuntur, non est necessaria notitia promissi præmii ad jus acquirendum; nec etiam jus ad præmium, vel pœnam dependet a notitia, verum ab opere per legem determinato; secus pœnas æternas per legem determinatas non incurrerent multi infideles, qui ignorant eas esse promissas. Caterum in omnibus sancte operantibus datur saltem virtualis & interpretativa acceptatio, in quantum unusquisque suo opere vult procurare illud bonum, quod potest, quæ acceptatio sufficit. Vide Soaresium *Lib. XII. de merito C. XVIII.* Simonnetum *Traçt. VI. de grat. Disp. VII. art. III.*

Ad II. Transf. ant. n. conf. dispar ratio patet: quia Dominus vineæ videns operarium laborantem, nisi eum impediatur, eo ipso censetur eum laborem, sibi alioquin indebitum, admittere in ordine ad mercedem, atque adeo virtualiter & interpretative mercedem promittere. At vero Deus tametsi videatur a nobis exerceri actus bonos intuitu mercedis, non tenetur tamen ad eam persolvendam seclusa liberali promissione, cum aliis titulis veluti sibi debita omnia nostra opera exigere & acceptare possit, ut dictum superius.

Ad III. Dist. M. ut ponens meritum acquirat jus late sumptum C. M. jus stricte sumptum, fundans in Deo obligationem strictæ justitiæ retribuendi præmium N. M. Sic distincta m. n. conf. Deus est omnino incapax obligationis ortæ ex stricta justitia, non item obligationis & necessitatis dandi præmium ortæ ex libera Dei promissione & immutabilitate suæ voluntatis.

Ad IV. Dist. ant. peccatum grave sine omni comminatione Dei, est in actu 1mo condigne meritorium supplicii æterni c. ant. in actu 2do n. ant. Nam etsi Deus ratione peccati mortalis acquirat jus infligendi pœnas æternas, nihominus potuit Deus peccatum etiam grave pœna duntaxat temporanea punire, si voluisset, vel prorsus nullam infligere, sicut reipsa non infligit pœnam damnatis

propter peccata, quæ cum libertate physica in inferno ab ipsis committuntur, nec acceptat jus in ordine ad infligendas graviores pœnas; quare cum quapiam proportione loqui possumus de demerito, sicut de merito. Alii aliter loquuntur, quod non moror.

Hic observ. Ad meritum congruum requiri, ut opus sit liberum, honestum, entitative supernaturale & in statu viæ positum; quia sine his conditionibus nullum opus movere potest Deum ad præmii supernaturalis retributionem. Ut vero *infallibiliter* inducat præmium in actu 2do, requiritur etiam promissio Dei de dando præmio; sic Ezech. 18. v. 21. Deus peccatori pœnitenti veniam promittit, quam peccator nondum justus de congruo solum mereri potest.

C A P U T Q U I N T U M.

An principium meriti possit cadere sub merito?

351 I. **P**incipium meriti aliud est *remotum*, aliud *proximum*. Illud dicitur, quod ad potentiam proximam præsupponitur. Istud, quod actum *immediatum* proximum constituit.

III. Principium meriti aliud est *essentialiter* & per se ita requisitum, ut sine illo nec meritum, nec potentia proxima merendi dari possit. Hujusm. principium est gratia actualis respectu omnis meriti. Aliud præcise *accidentaliter* requisitum ita, ut licet hic & nunc potentiam proximam merendi constituat, aut ad eam præsupponatur, absolute tamen loquendo non est ad merendum necessarium. Hujusm. principium sunt prædefinitiones Divinæ, habitus virtutum &c.

III. Rursus principium meriti aliud dicitur *effectivum*, aliud *dignificativum*. Effectivum ad omne meritum Theologicum etiam pure congruum essentialiter requisitum est gratia actualis. Gratia vero habitualis vel alia forma aut quasi forma, est principium dignificativum ad omne meritum condignum essentialiter requisitum. Utrumque principium considerari potest tum quoad substantiam sive *invariabilem* & substantialem conceptum principii, tum quoad circumstantias, sive conceptum *advariabilem* & accidentalem principii. Sic principium quoad substantiam essentialiter requisitum ad meritum

su-

pernaturale, est aliqua illustratio supernaturalis, aliqua causa supernaturalis physice effectiva: ad condignum vitæ æternæ, aliqua forma, vel quasi forma supernaturalis dignificans. Quod vero illustratio v. g. sit determinate tantæ intensiōis & perfectiōis, hoc potius loco & tempore, quam alio, per hoc potius, quam aliud decretum collata &c. quod principium supernaturale effectivum sit habitualiter inhærens potius, quam transiens &c. sunt circumstantiæ & conceptus accidentales principiorum; cum sine istis simpliciter haberi possit meritum Theologicum dignum supernaturali præmio.

Quæritur jam: utrum principium meriti sub ea ratione, sub qua necessario & determinate requiritur ad meritum, seu illud sit effectivum, seu dignificativum, cadere possit sub meritum propriè tale id est: impetrativum; sive possit dari in præmium? Huic quæsitio satisfacit

A S S E R T I O.

Nullum principium meriti sub ea ratione, sub qua per se & essentialiter inclusum, aut requisitum est ad meritum, potest dari in præmium ejusdem meriti.

Scholastica hæc quæstio demonstratur I. Potens proxime mereri, 352 & in actu 2do ponens meritum, qua talis, necessario differt a præmiato, & debet saltem pro priori naturæ posse esse & intelligi sine præmio, sed si principium meriti A, inclusum, vel prærequiritum ad meritum A, posset esse præmium meriti A, sub ea ratione, sub qua essentialiter includitur in merito A, aut prærequiritur ad meritum A, non differret necessario potens mereri & merens in actu 2do qua talis a præmiato, nec deberet posse esse, & intelligi pro priori naturæ sine præmio, ergo. M. patet 1mo: quia non tantum potenti proxime mereri, sed etiam in actu 2do ponenti meritum, potest Deus negare præmium, cum possit talis titulus dictum meritum exigere. 2do: quia non tantum potentia merendi, verum etiam ipsum meritum, utpote causa moralis efficiens præmii, est in signo priori naturæ ad præmium. Patet etiam m. quia totum id haberet potens proxime mereri, & in actu 2do ponens meritum, quod præmiatus haberet; & præmium esset, ac intelligeretur in eodem signo,

gno, in quo est potens proxime mereri, & ponens meritum, utpote essentialiter inclusum in merito, aut requisitum ad illud.

II. Meritum ex conceptu suo ordinatur ad præmium, ut fructum & lucrum discretivum potentis mereri & merentis, a potente mereri & reipsa non merente; sed non potest ordinari hac ratione ad præmium; siquidem tam merens, quam non merens, eo ipso, quod uterque sit potens mereri, haberet uterque principium meriti, per quod uterque constituitur potens mereri, ergo merenti nullum lucrum, nulla utilitas accederet præ non merente; uterque enim haberet principium meriti, quod supponitur in opposita sententia dari in præmium & lucrum merenti, ergo.

III. Nequit fieri, ut idem sit prius & posterius seipso eodem modo sumpto; atqui si principium meriti per se & essentialiter requisitum ad meritum, vel in merito inclusum, posset dari in præmium ejusdem meriti, principium illud posset esse prius & posterius seipso eodem modo & quoad substantiam sumpto, ergo. M. patet, m. *probat.* Meritum est natura prius suo præmio, movet enim *quia est*, seu quia absolute existit saltem in mente præmiantis; igitur etiam principium meriti quoad substantiam consideratum & prout requisitum necessario ad meritum, vel in merito inclusum, est prius præmio, sed præmium foret idem principium quoad substantiam, ergo principium meriti foret prius seipso eodem modo sumpto, quod utique fieri nequit.

Conseſtarium.

353 **P**Rincipium meriti, in quantum non est inclusum in merito, nec essentialiter requisitum ad meritum, seu secundum conceptus accidentales, ac circumstantias, potest esse præmium ejusdem meriti. Rationem do: quia h. i. quod conceptus & circumstantiæ dictæ sint accidentales merito, potest meritum sine iis existere & intelligi tum in mente præmiantis, tum a parte rei absolute existens, atque adeo salva manet, tum ratio meriti, tum præmii. Nam *1mo*: principium meriti quoad hujusm. circumstantias esset utilitas, & lucrum discretivum merentis a potente solum mereri & non merente. *2do*: Non daretur in præmium id, quod jam alio-

alioquin haberetur. *3tio*: Non sequeretur, quod idem sit prius, & posterius seipso eodem modo sumpto &c. ut consideranti patet.

Declarantur ista. Potuit Deus decreto absoluto prædefinire Christum ut Redemptorem cum suis meritis quoad substantiam, quin prædefiniret circumstantias v. g. loci, temporis, stirpis, matris &c. ad existentiam Christi quoad substantiam considerati determinate non requisitas. Hoc posito: Deus videns absolute futura Christi merita, & dignificata ab unione hypostatica, potuit in præmium horum meritorum (quæ in mente præmiantis Dei absolute existebant) decernere, ut hoc loco, tempore, ex hac stirpe, ab hac matre nasceretur; quia hæ circumstantiæ non includebantur in meritis Christi, nec erant principium meritorum essentialiter requisitum (quemadmodum erat unio hypostatica principium meritorum Christi quoad substantiam considerata) atque adeo principium meriti essentialiter requisitum ad meritum Christi, non caderet quoad substantiam sub meritum, eo quod istius meriti principium esset unio quoad substantiam considerata, præmium autem forent solæ circumstantiæ determinatæ. Consule *Tract. de August. Verbi Div. Myster. Num. 140.*

Satisf. Objectionibus.

O*Ppon.* contra assert. I. Potest Deus duplici decreto decernere principium meriti v. g. actualem, vel habitualem gratiam, uno intentivo tum principii, tum meriti determinati v. g. A, altero executivo; ergo principium meriti etiam quoad substantiam potest cadere sub meritum. *Cons. prob. 1mo*: Deus in decreto intentivo per scientiam visionis videret meritum A absolute futurum, igitur posset in præmium meriti A decreto executivo decernere executionem, seu existentiam physicam principii in merito A inclusi, vel ad meritum necessario requisiti, sed h. i. ergo. *2do*: Potest Deus per decretum intentivum decernere gloriam ut coronam prædestinato dandam propter merita, & positus deinde ab illo meritis decernere executionem ejusdem gloriæ ut coronæ, ergo etiam &c. **II.** Potest Princeps Deo revelante certus esse, a Petro occidendum gladio A hostem patriæ, & dare eidem gladium A in præmium occisionis, hoc gladio perficiendæ, ergo etiam potest principium meriti dari in

præmium meriti dependenter ab illo ponendi; si enim principium instrumentale meriti potest dari in præmium, cur non etiam principium effectivum, vel dignificativum? III. Finis ut existens in intentione potest esse causa sui ut existentis in executione, ergo etiam principium meriti ut existens in intentione, seu decreto intentivo, potest movere ad sui executionem, & sic sumptum esse præmium.

355

¶ Ad I. Dist. ant. potest Deus dicto modo decernere, si etiam decretum executivum pro suo objecto habeat principium meriti, vel ipsum meritum quoad substantiam n. ant. si pro suo objecto præcise habeat circumstantias principii meriti, vel ipsius meriti c. ant. Ad probat. *1am* conc. ant. & dist. similiter conf. Ratio distinctionis est: quia cum decretum intentivum supponatur esse absolutum & efficax, vi illius necessario infertur existentia v. g. principii meriti quoad substantiam considerati, nempe pro aliquo indeterminato tempore, hujus vel alterius intensiois &c. ac proinde decretum posterius, nempe executivum, ne sit essentialiter superfluum, nequit pro suo objecto habere ipsam substantiam, seu existentiam physicam principii meriti præcise qua talem, sed pro suo objecto habet solum circumstantias principii meriti, adeoque admissio gemino illo decreto, vi decreti executivi non daretur in præmium substantia principii meriti. Ad probat. *2dam* c. ant. & n. conf. Disparitas patet: quia Deus decreto intentivo decernit gloriam ut coronam prædestinato dandam propter ejus merita, videns igitur absolute futura merita, potest decreto executivo exequi gloriam ut coronam, quia gloria nec est principium necessarium meritorum, nec in illis includitur (ut patet in illis justis, qui post merita in statu gratiæ sanctificantis posita, finaliter non perseverant, ideoque æternum damnantur) & potest a prædestinato potentia antecedente impediri per omissionem meritorum. At vero si decreto executivo decerneret Deus substantiam principii ad meritum necessarii, nihil aliud decerneret ac vellet, quam voluit per decretum intentivum, proinde foret superfluum illud, ut supra dicebam. Præterea: cum decretum intentivum sit efficax, utique vi hujus absolute existeret principium meriti quoad substantiam consideratum, & in signo consequente ad istud decretum videns Deus absolute futurum meritum, videret etiam principium, a quo pendet, vel quod includit hoc meritum; igitur nequit decernere decreto executivo illud quoad substantiam

consideratum dare in præmium, quod videt jam habere absolute merentem.

Ad II. Dist. ant. potest dare eidem gladium A, si iste non sit essentialiter requisitus ad occisionem c. ant. si sit, subdist. potest dari in præmium spectatus quoad substantiam, seu secundum quod essentialiter requiritur ad occisionem n. ant. quoad circumstantias non necessarias ad occisionem (cujusm. sunt dominium, ornatus gladii &c. cum eodem gladio præcise mutuo accepto, vel furto sublato, aut detractis ornamentis supponatur posse perinde patrari occisio) c. ant. & n. conf. Unde in casu posito daretur in præmium principium meriti instrumentale, solum quoad circumstantias, & conceptum accidentalem.

Ad III. c. ant. n. conf. Inter causam finalem, & causam meritoriam lata intercedit disparitas. Nam causa meritoria, seu meritum causat & movet *quia est* jam absolute saltem in mente præmiantis, vel actu jam a parte rei, aut absolute futura, adeoque supponit omnes causas tam intrinsecas, quam extrinsecas ad sui existentiam necessarias jam applicatas, ac proinde non potest movere ad hoc, ut applicentur; alias enim moveret ad hoc, ut existant causæ & principia meriti, quæ necessario supponuntur existere ex parte potentis mereri & merentis. E contrario: finis seu causa finalis non movet *quia est*, sed solum *ut sit*, proinde non supponit sua constitutiva, vel principia essentialia existere, atque adeo non movet per existentiam suam absolutam etiam objectivam in mente operantis, verum supponit solum apprehensionem suæ bonitatis possibilis, vel conditionate futuræ, quæ apprehensa movet ad applicandam causam sui productivam, seu movet ad electionem mediorum, quibus mediantibus causat suam existentiam physicam, seu sui executionem.

Ut reliquis difficultatibus satisfacias observ. I. Potest Deus per scientiam mediam prævidere, quod si Petrus haberet auxilium A intensum ut quinque, consentiret, &: si haberet auxilium B intensum ut duo, etiam consentiret; hac scientia prælucente, potest Deus concipere decretum efficax, quo velit existentiam consensu a Petro eliciendi sub aliquo ex istis auxiliis inæqualibus in intensione; hoc decretum cum dependeret omnimode a scientia media, libertatem minime læderet. Posito jam hoc decreto, videt Deus absolute

356

357

lute

lute futurum consensum sub aliquo auxilio ex illis superius nominatis. Hoc viso potest Deus concipere secundum istud decretum: quo velit dare eidem Petro elicitoro consensum in præmium, vel auxilium intensius & perfectius A, vel anticipare illud; hoc autem posito fit, quod auxilium illud, dependenter a quo Petrus elicit consensum, secundum conceptum accidentalem *magis intensi*, vel *citius dari* cadat sub meritum & detur in præmium (non autem quoad substantiam, secundum quam necessario prærequiritur ad meritum) quia consensus ille prævisus sic absolute futurus habet sufficientem bonitatem, quæ Deum movere potest ad conferendum aliquod præmium. In hoc porro casu (pro alia solum providentia possibili) meritum non præcederet dationem præmii ordine executionis, seu a parte rei, sed solum ordine intentionis seu in mente præmiantis Dei; nam propter consensum sub alterutro auxilio A vel B. absolute prævisum, daretur in præmium auxilium A intensius ante consensum absolute positum. Nec obstat: quod existentia illius consensus futuri, sit primo futura; est enim jam absolute futura, & ut talis videtur per scientiam resultantem ex illo primo decreto; hujusmodi autem existentia sufficit, ut præmium anticipari possit, ut patet in meritis Christi, propter quæ antiquis Patribus, & Virgini Matri collata sunt auxilia & præmia.

II. Maternitas B. Virginis erat quidem principium remotum meritorum Christi ut Redemptoris, at non necessario requisitum; nam humanitas Christi potuit existere sine actione generativa, adeoque sine maternitate B. Virginis, poterat enim actione creativa produci; quo casu perinde extitissent merita Christi.

III. Ad rationem præmii strictè accepti, seu ad hoc, ut mereas fiat reipsa quoad substantiam ditior, non sufficit sola multiplicatio tituli, seu ut titulo meriti acquirat rem jam alioquin debitam, & essentialiter datam alio titulo.

IV. Etsi res eadem possit esse simul debita duplici titulo v. g. ex voto & præcepto, idem tamen nequit esse simul principium essentialiter requisitum ad meritum, & præmium ejusdem meriti. Dispar ratio petitur inde: quod obligationes ortæ ex voto & præcepto sibi profus non opponantur, nec ullum absurdum involvant. At vero principium esse essentialiter requisitum ad meritum, & idem dari in præmium ejusdem meriti, contradictionem involvit,

ut demonstratum Num. 352. Reliqua vide in *Tract. de August. Verbi Div. Myst. a Num. 141.*

C A P U T S E X T U M.

An, & qua ratione homo possit mereri gratiam primam, sive actualem, sive habitualem?

EXplanata operis meritorii natura, & conditionibus ad merendum requisitis, superest, ut in particulari proponamus, quid possimus sive de congruo, sive de condigno apud Deum promereri.

A S S E R T I O.

Non potest homo sibi mereri primam gratiam actualem, ne quidem de congruo, nec primam gratiam habitualemente de condigno.

Veritas primæ partis assertionis patet ex iis, quæ prolata sunt in 358
I. Dissertatione adversus Semipelagianos, quorum doctrina erat, initium fidei ac salutis esse ex nobis, adeoque posse nos, per solas naturales vires liberi arbitrii desiderare fidem, ut Deus intuitu illius desiderii naturalis, conferat gratiam in præmium ad reipsa credendum, prout oportet, necessariam; quod damnatur etiam a Synodo Trident. Sess. VI. c. V. his verbis: *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse: hoc est, ab ejus vocatione, qua NUL- LIS eorum existentibus meritis vocantur; ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratia libere assentiendo & cooperando, disponantur.* Si enim nulla merita in adultis præcedunt vocationem, seu primam gratiam actualem, certe nec de congruo eam promereri possunt.

Dein si homo primam gratiam actualem saltem de congruo posset mereri, ea jam daretur ex operibus, quod adversatur Apostolo ad Rom. c. II. v. 6. scribenti: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia,* ubi Paulus, interprete Augustino, loquitur de gratia actuali, quæ nostræ justificationis exor-

dium est, in quantum per eam prævenimur a Deo, & vocamur ad actus salutes exercendos, quibus disponimur ad justificationem; atqui homo non vocaretur *nullis existentibus meritis*, nec ad *in-scrutabilia Dei judicia*, sed ad congruum hominis meritum recur-rendum foret, cur unus e duobus acquirat primam gratiam effica-cem, non item alter, quod rursus adverfatur Apostolo, & Augusti-no *epist. CV. ad Sixtum* hunc in modum differenti: *Cur autem ille credat, iste non credat, cum ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident: altitudo est divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia, & apud quem non est iniquitas, dum cujus vult, miseretur, & quem vult, obdurat.*

Denique cum principium meriti necessario prærequisitum ad meritum, vel in eodem inclususum, non possit esse præmium ejus-dem meriti, & prima gratia actualis, seu prima illustratio & inspi-ratio supernaturalis sit principium morale effectivum, necessario præ-requisitum ad meritum etiam congruum, nequit prima hæc gratia esse præmium nostri meriti *de congruo*.

359

Hic observ. I. Nullum hominem defacto sibi mereri de congruo auxilia actualis gratiæ illa, quæ sunt simpliciter necessaria ad salutem. Præmium enim debet esse præmianti liberum, ita ut nec vi meriti, nec aliunde, sed solum vi suæ acceptationis, aut promissionis ad præmiandum, necessitetur illud dare: jam vero Deus ad danda cui-vis auxilia actualis gratiæ, simpliciter necessaria ad salutem, neces-sitatur alioquin dare, vi scilicet decreti universalis salvandi omnes, adeoque independenter a sua acceptatione, aut promissione. II. Me-meri tamen sibi de congruo gratiæ actualis auxilia sufficientia aliqua, quæ non sunt simpliciter necessaria ad salutem, secundum id, se-cundum quod non sunt simpliciter necessaria, ut auxilia pro tali loco & tempore, pro quo etsi non darentur, homo salvari posset, & auxilia intensiora quoad intensiorem excessum non necessarium ad salutem. Nam Matth. 25. Christus proponens parabolam de distri-butis talentis, de eo, qui cum acceptis talentis recte operatus erat, ait: *omni habenti dabitur, & abundabit*, quorum talentorum no-mine complures PP. intelligunt auxilia actualis gratiæ, quæ dantur abundantiora iis, qui recte sunt usi minoribus, atque istud rationi ac Divinæ misericordiæ admodum est congruum. Vide num. 368.

Alte

Altera pars assert. Probat. Ad Rom. 3. v. 24. Apostolus ait: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et Tridentinum Sess. VI. c. VIII. *Gratis autem ideo justificari dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur.* Tum S. August. in laudata Epist. ad Sixtum quarit: *Nullane sunt merita justorum? sunt plane, quia justus sunt; sed ut justus fierent, merita non fuerunt. Justus enim facti sunt, cum justificati sunt; sed sicut dicit Apostolus: justificati gratis per gratiam ipsius.* Indubitatum vero est, Tridentinum & Augustinum loqui de merito condigno (quod proprie & simpliciter vocatur meritum) igitur adultus, qui justificatur, non meretur de condigno suam justificationem, adeoque nec primam habitualem gratiam, quæ est formalis causa justificationis. Licet enim per actus fidei, spei, penitentia, adultus peccator disponatur ad gratiam justificationis, hanc tamen iis actibus de condigno non meretur: quia actus isti proficiuntur quidem a Spiritu Sancto movente, at non a Spiritu Sancto inhabitante; proinde non sunt actus filii & amici Dei, sed solum aspirantis ad filiationem & amicitiam Dei, atque ita deest illis dignitas operantis, ut infra rursus dicitur.

Hæc doctrina fundatur in Tridentino Sess. XIV. de penit. c. IV. hunc in modum loquente: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex geberna & penarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat Synodus, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse & Spiritus Sancti impulsam, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento penitentia, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento penitentia impetrandam disponit.* Et paulo supra: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic motus contritionis necessarius.* Quibus verbis æquivalenter dicitur: per contritionis motum (modo cætera, quæ requiruntur, omnia adsint) veniam peccatorum, adeoque primam gratiam sanctificantem, sine qua venia illa non datur, impetrari; (ubi nomine impetrationis Tridentinum intelligit meritum congruum per Num. 326. §. III.) sine contritionis

motu, etiam si adsint cætera omnia, quæ requiruntur, non impetrari.

Ratio præterea est: quod principium meriti non cadat sub meritum, secundum dicta Num. 352. atqui gratia habitualis est principium dignificativum meriti condigni: neque enim potest homo de condigno mereri, nisi sit Deo gratus & amicus, gratus autem & amicus fit Deo per gratiam sanctificantem; igitur per hanc solam dignificantur actus hominis, ut sint meritorii de condigno, atque adeo actus gratiam sanctificantem præcedentes, cum non procedant ab homine Deo grato & amico, nequeunt esse de condigno meritorii.

361

Neque dixeris I. Hoc ipso quod gratia sanctificans eodem instanti cum actu existat, actus procedit a justo; atqui gratia data in præmium actus A v. g. contritionis perfectæ, existit eodem instanti cum actu A; igitur actus A procedit a justo, sed h. i. dignificatur a gratia, adeoque eliciens contritionem, de condigno meretur gratiam sanctificantem ergo. Neque II. H. i. quod gratia conferatur homini in instanti A, homo fit & denominatur justus in instanti A; ergo etiam h. i. quod coexistat gratia actui eodem instanti, dignificat actum. Denique tota dignitas operantis pro instanti reali operationis, reperta in operante dignificat ejusdem actum, ergo.

Nam *g.* ad I. Dist. M. procedit ab homine justo specificative sumpto, seu qui eodem instanti est justus C. M. procedit ab homine ut justo, seu antea justo N. M. & concessa m. dist. similiter conf. Ratio hujus dari potest: quia eo ipso quod gratia sanctificans prima, detur in præmium actus, ante eam tanquam præmium præsupponitur tota vis meritoria actus A, independenter a gratia collata in præmium, ac proinde actus A non procedit a merente ut justo, seu ut prævie justo; vel ut habente dignitatem a gratia subsequente. Cujus ratio patet: quia meritum movet per dicta Num. 352. §. III. *quia est* præmiantem ad præmium dandum, qui utique movetur ab eo solum, quod merens adfert de suo ante collationem præmii; si enim moveretur etiam a præmio ipsius actus, præmium esset seipso prius & posterius eodem modo sumptum. Prius quidem, quia esset principium meriti sui ipsius; posterius vero, quia ejusdem meriti præmium & terminus foret, quod repugnat. Adde: quod gratia sanctificans habens se pro posteriore ad meritum, sit merces & præmium boni operis, merces autem & præmium non auget æstima-
bili-

ilitatem meriti, sed præsupponit. Hinc etsi peccator eodem instanti reali, quo contritionem perfectam elicit, obtineat gratiam sanctificantem, hæc tamen contritio nequit esse meritum de condigno, sed solum de congruo.

Ab om. Ad II. n. c. ant. n. conf. Dispar ratio datur: quia ab homine 362 secundum se sumpto nec dependet, nec exigitur gratia, proinde potest a gratia recipere denominationem iusti (cujus alioquin capax est) in quocunque signo detur gratia. E contrario: h. i. quod gratia sit præmium actus A, dependet & exigitur ab actu A, tanquam a sua causa morali meritoria, eoque est posterior natura; proinde necessario supponit totam vim meritoriam & dignitatem actus, tanquam suæ causæ, atque adeo eam dare non potest actui, nec actus evadit capax eam habendi ab hujusm. gratia, ut statim declarabitur per exemplum.

Postremo loco allatum dist. Tota dignitas operantis dignificat ejusdem actum, quæ se habet pro priori ad ipsam operationem, tanquam principium seu causa c. tota id est: etiam illa, quæ se habet pro posteriori ad ipsam operationem, tanquam effectus, seu præmium n. Istud Pater Marinus *Tract. XII. de merito Disp. III. Sect. II.* illustrat: Si Rex promittat præmia militibus hostem occisuris diversa pro diversa militum conditione, plebeis v. g. ut ipso facto Nobiles fiant; Nobilibus, ut fiant Comites &c. si miles plebejus hostem occidat, eo ipso fiet Nobilis; ex eo tamen quod eodem instanti, quo occidit hostem, factus sit Nobilis, non sequitur, quod fiat Comes. Nam occisio illa non censetur facta ab ipso ut a viro Nobili, adeoque in his non attenditur conditio, quam habet ex ipso præmio, sed quam habuit ante præmium, igitur etiam dignitas personæ, quam habet ante præmium, dignificat meritum, non autem ea, quam habet dependenter a præmio & pro posteriori. Reliqua expedientur Cap. VIII.

C A P U T S E P T I M U M.

Utrum finalis perseverantia cadat sub merito?

DOnum perseverantiæ finalis, quo quis in gratia sanctificante usque in extremum finem vitæ perseverat, seu in statu gratiæ de-

cedit, Dissert. I. c. X. contra Pelagianos & Semipelagianos ostendimus, esse speciale Dei beneficium, distinctum a gratia sanctificante & ordinariis auxiliis. De hoc speciali dono perseverantiæ quæstio agitur: utrum justus possit mereri de condigno, vel congruo finalem perseverantiã?

A S S E R T I O.

Nequit justus finalem perseverantiã mereri de condigno; potest tamen eam mereri congruo merito, non habente infallibilem effectum defectu promissionis Divinæ.

363 **H**anc assert. ut communem amplectuntur TT. & probat. prima illius pars I. Apostolus I. ad Corinth. 10. v. 12. hæc habet: *Qui se existimat stare, videat ne cadat; & ad Philipp. 2. v. 12. & 13. Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate,* quæ aperte indicant cuivis justo metuendum esse, ne suam justiciam amittat, item finalem perseverantiã prorsus incertam esse, nullamque de ea promissionem Divinam justum habere pro meritis suis. Etenim justus non meretur condigne perseverantiã finalem per omne opus suum supernaturale, cum multi justis post plurima opera bona æternum perierint; non etiam per aliquod particulare, cum nulli hoc privilegium, & promissionem esse annexam constet ex Scripturis & PP.

II. Deus in moderna providentia meritum condignum justis non acceptat in ordine ad merendum de condigno perseverantiã finalem, eo quod *adequate* illud remuneretur per augmentum gratiæ habitualis, & huic correspondentis gloriæ, ut sequenti Cap. dicitur; ergo meritum justis non habet valorem ad condigne promerendam finalem perseverantiã. Hinc etsi merita justis sint in actu primo condigna perseverantiæ finalis, non tamen in actu secundo; id est: non acceptantur in actu secundo ad illam.

364 Altera pars etiam *Probat.* I. Licet meritum condignum *qua tale* *adequate* compensetur augmento gratiæ & gloriæ, vis tamen ejusdem meritoria de congruo non exhauritur ita, ut nullum aliud donum supernaturale mereatur de congruo, ergo nec exhauritur ita,

ut perseverantiam finalem non mereatur de congruo. Ant. patet: nam multi multa dona supernaturalia sunt meriti de congruo per eadem omnino merita, quæ condigne compensata sunt per augmentum gratiæ & gloriæ; sic B. Virgo merita erat suam maternitatem quoad executionem; antiqui Patres circumstantias quasdam incarnationis, ut dictum in *Tract. de August. Verbi Divini Myster.*

II. Et si Deus magnum illud donum perseverantiæ, tanquam alicujus meriti præmium, non promiserit, est tamen ejus infinitæ liberalitati & bonitati congruum atque conveniens, ut id justo humili animo petenti tribuat. Et cum ipse Christus in oratione Dominica nos implicite docuerit ad hanc finalem perseverantiam petendam, ipsaque Ecclesia hunc in finem preces ac suffragia adhibeat, atque Pii & Sancti viri quotidianas ad Deum preces fundant, pro obtinenda finali gratia, clarum indicium habemus, nos eam aliquo modo promereri & impetrare posse. Unde D. August. *Lib. de dono persever. c. VI.* reprehendit eos; qui volunt ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Et c. XVII. *Restat*, inquit, *in his bonis usque in finem perseverantia, quæ frustra quotidie poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cujus actionem exaudit, operatur.*

Solvuntur Objectiones.

Oppon. I. Multi justii promeriti fuerunt finalem perseverantiam, ergo hanc potest justus mereri etiam de condigno; cum Deus ei promiserit eam ad Heb. 13. v. 5 *Non te deseram, neque derelinquam.* II. Justus potest sibi de condigno mereri gratiæ augmentum, ergo etiam perseverantiam in gratia. Ant. patebit amplius ex dicendis; conf. prob. Plus est augmentum gratiæ mereri, quam perseverare in ea, ergo. III. Idem justus potest de condigno mereri vitam æternam, ergo etiam finalem perseverantiam. IV. S. Augustinus *Lib. de dono perseverant. c. XV.* ait: *Unde satis dilucide ostenditur, & inchoandi & usque in finem perseverandi gratiam Dei, non secundum merita nostra dari, sed donare secundum ipsius secretissimam voluntatem; & C. VIII. Ex duobus, inquit, piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur,*
in-

inscrutabilia sunt judicia Dei; ergo finalem perseverantiam nequit justus etiam merito congruo mereri.

366

R. Ad I. c. ant. n. conf. Nam meritum condignum justī, Deus in moderna providentia adaequate compensat per augmentum gratiae & gloriae, nec promissa est alicui merito justī perseverantia finalis; interim potest justus mereri illam per congruum meritum cum effectu fallibiliter connexum. Concedimus itaque, justum merito congruo non habente infallibilem effectum promereri posse & spiritum constanter orandi, sicut oportet, pro perseverantia, & orando ipsam perseverantiam, ut loquitur Augustinus: *Hoc Dei donum (finalis perseverantiae) suppliciter emereri potest*. Caterum Deus non promisit, quod generatim omnibus merentibus, aut ob quodvis meritum dare velit in praemium congruum, finalis perseverantiae donum, sed solum aliquibus, & ob aliqua certa merita, nobis tamen determinate prorsus ignota. Unde nemo sibi de hoc perseverantiae dono certi aliquid absoluta certitudine promittere potest, ut ait Trident. Sess. VI. c. XIII. Ad rationem additam ajo: Deus promisit justo sufficientes gratias, quarum auxilio potest vitare peccatum, actus virtutum salutare elicere, & in bono perseverare si velit; at non promisit gratias praevias congruas & efficaces, quae solae dant in actu 2do ipsam perseverantiam.

Ad II. dist. ant. Justus potest sibi de condigno mereri gratiae augmentum, attamen in actu 2do re ipsa non merebitur augmentum gratiae sanctificantis, si non habeat auxilium praevium efficax, quod ipsi non est debitum (secus enim nunquam amitteretur justitia) c. ant. omnis justus re ipsa in actu 2do meretur augmentum gratiae per omne tempus vitae n. ant. & conf. Ad probat. dist. iterum ant. plus est augmentum gratiae mereri longiore tempore usque ad mortem, quam in gratia simpliciter perseverare & in ea decedere c. ant. plus est aliquo praevise tempore augmentum gratiae mereri, & subinde ea excidere n. ant.

Ad III. R. justus potest mereri & meretur de condigno vitam aeternam, verum non *absolute*, sed *conditionate*, nimirum sub conditione finalis perseverantiae; sub hac enim conditione Deus promisit vitam aeternam; at non promisit ipsam perseverantiam, ut unusquisque cum metu & tremore suam salutem operetur.

Ad IV. jam respondimus Num. 95. Hic præterea adverte: posse dici, quod S. Doctor loquatur simul de initio salutis & perseverantia finali in complexo, in quo sensu certum manet, non posse donum perseverantiæ, prout includit totam seriem auxiliorum a primo usque ad ultimum, cadere sub meritum congruum; prima liquidem gratia actualis nequit cadere sub meritum per dicta N. 358. Interim ultimum auxilium finale potest quis de congruo mereri hoc sensu, ut ei conferatur potius prævisum efficax, quam inefficax.

Ad alterum textum hæc: ex eo præcise sequi, finalem perseverantiam non cadere sub meritum etiam de congruo tantum, sed infallibiliter connexum cum effectu; alias dici posset, hunc perseverasse, quia promeritus est sibi donum perseverantiæ, alterum non perseverasse, quia illud non est promeritus, cum tamen promereri potuisset, & non esset recurrendum ad *inscrutabilia* judicia Dei.

C A P U T O C T A V U M.

Resolvuntur varia quæsitæ de merito & gratia.

Quæst. I. Utrum justus de condigno mereatur gratiæ habitualis & gloriæ augmentum? *re. affirmative.* Nam 2. ad Corinth. 9. v. 10. dicitur: per opera misericordiæ Deus *augebit incrementa frugum justitiæ*, seu habitualis gratiæ. Et apud Matth. 5. v. 12. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Tum Apocal. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Atque Tridentinum Sess. VI. Can. XXXII. statuit: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsius justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, se tamen in gratia decesserit, consecrationem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit;* ubi vox *vere* manifestum facit, justorum meritum plus habere, quam congruitatem. Deim opera supernaturalia iusti, utpote amici & filii adoptivi Dei, habent omnes condiciones ad meritum condignum requisitas: dignificantur enim a gratia, & adest promissio Divina &c.

Hinc observ. I. Illud Apostoli ad Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam &c.* intelligendum est vel de operibus & passionibus secundum suam entitatem spectatis, non autem secundum circumstantias, ut dictum N. 326. vel de æqualitate arithmetica, seu quantitatis, non autem æqualitate geometrica seu proportionis. II. Ex eo quod gloria debeatur justis solum ex promissione Divina, sequitur duntaxat, opera justorum non esse in actu 2do meritoria, sive inductiva infallibiliter gloriæ seclusa promissione, non autem, non esse meritoria in actu 1mo, cum ipsa Scriptura gloriam appellet *mercedem, coronam justitiæ.* III. Omne meritum condignum justis compensatur defacto adæquate per augmentum propriæ gratiæ & gloriæ, adeoque condignitas meriti ita exhauritur per hoc augmentum, ut præter istud nihil aliud detur in præmium condignum. Meriti enim condignitas exhauritur per præmium, quod Deus promisit, & est æquale, immo majus merito, atqui Deus condigno justis merito promisit augmentum gratiæ & gloriæ & est æquale, immo majus merito, ergo. Hoc tamen non obstante potest Deus idem meritum sic de condigno compensatum, acceptare tanquam meritum de congruo, ad alia præmia justo conferenda, nec dubium, quin sæpe sic acceptet.

368

Quær. II. Quid de aliis donis & beneficiis supernis dicendum? R. I. Justus defacto etiam ipsam æternitatem gloriæ condigne meretur, condigne enim meretur gloriam seu beatitudinem, quæ essentialiter æterna est. Et quamvis actus meritorius spectata intensione, duratione, libertate &c. finitus sit, includit tamen principia exigitiva æterna, uti ipsum principium merens, nempe animum natura sua immortalem, adoptionem quoque & amicitiam dantem jus ad hæreditatem æternam finaliter perseveranti, ut nuper diximus. Unde Apostolus 2. ad Corinth. 4. v. 17. ait: *Id quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* II. Defacto sub meritum condignum unius puræ creaturæ non cadit ullum præmium, quod alteri daretur a merente distincto. III. Nullus justus defacto meretur de condigno ullum actuale auxilium gratiæ, adeoque nec finalem perseverantiam, ut jam dictum; nec meretur infallibiliter auxilium efficax etiam merito congruo, quia non habetur hujus præmii Divina promissio; & sequeretur omnes justos perseveraturos,

ros, quia gratia efficax semper sortitur suum effectum. Quod si igitur justus per primum bonum opus mereretur sive de condigno, sive de congruo, infallibiliter efficacem gratiam, alterum bonum opus infallibiliter succederet, quod similiter meritorium gratiæ efficacis tertium bonum opus exciperet, & sic deinceps usque ad finalem perseverantiam, quod adversatur dictis priore Capite. IV. Justus reparationem post lapsum, neque de condigno, neque de congruo infallibiliter meretur per opera in Deo facta in statu justitiæ. Nam multi post plurima & eximia pietatis opera in statu justitiæ facta, lapsi, non resurgunt, sed in suis peccatis decedunt ex hac vita. Dixi: *de congruo infallibiliter*: potest enim justus per opera pietatis in statu justitiæ facta mereri de congruo (vel potius a misericordia Dei impetrare) sed fallibiliter, reparationem post lapsum; quia fieri potest, ut Deus justo lapsò auxilium efficax ad resurgendum a lapsu, donet intuitu alienius boni operis ab eo facti in statu justitiæ. Sic 2. Paralip. 19. ajebat Jehu Propheta ad Regem Josaphatum: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, & idcirco iram quidem Domini meruisti; sed bona opera inventa sunt in te; eo quod abstuleris lucos &c.* quibus verbis indicatur, Deum ob præcedentia merita Josaphato misericordiam exhibuisse non solum circa pœnam temporalem, sed probabilius etiam circa remissionem peccati, conferendo ei auxilium efficax ad salubrem pœnitentiam. Verum istud prorsus est fallibile generatim loquendo, cum nulla extet Divina promissio dandi auxilium efficax intuitu operum bonorum præcedentium, pendeatque a pura misericordia Dei, qui non semper lapsis præbet auxilium efficax ad pœnitendum, ut oportet, de peccatis; & cum præbet, non semper respicit pia opera in statu justitiæ patrata. V. Justus in nulla providentia potest mereri condigne peccatori remissionem peccati gravis, obtinendam per condonationem seu intrinsecam, seu extrinsecam. Nam quodvis meritum a pura creatura positum, utpote necessario quid leve relate ad Deum & offensam gravem Dei, non potest esse etiam geometricè æquale peccato gravi, cum ergo in æstimatione morali tam bona sit remissio injuriæ, & cessio juris ad exigendam satisfactionem condignam, præsertim si fiat positive indigno, nempe peccatori, quam mala sit ipsa offensa, nullum meri-

tum puræ creaturæ potest esse geometricè æquale, seu condigne meritorium remissionis peccati gravis.

369

Quær. III. Utrum peccator mortalis culpæ reus mereatur de congruo primam gratiam sanctificantem exclusivam, & remissivam peccati mortalis? *æ.* affirmative secundum dicta 360. si nempe eliciat contritionem, aut amorem Dei perfectum; habent enim hi actus aliquam congruitatem & proportionem ad primam gratiam sanctificantem: certe enim decet, ut hominem perfecte contritum Deus justificet. Dein adest Divina promissio hujus justificationis, ut patet ex Scripturis & Tridentino laudato; quæ requiruntur & sufficiunt ad meritum congruum infallibiliter inductivum sui præmit. Hic observ. Defacto nullum alium actum virtutis esse (præter contritionem & amorem Dei perfectum) quo homo peccator sibi de congruo mereretur primam gratiam justificantem in actu *2do* infallibiliter; quia videlicet nullum adest fundamentum dicendi, quod Deus alicui alteri actui, primam justificationem promiserit, licet promittere potuerit, adeoque etiam alii actus potuerint esse, quantum est de se, merita congrua justificationis.

370

Quær. IV. Utrum ad hoc ut gratia merentis dignificet actum meritorium, sit necessarium, ut hunc aliquo modo antecedit? *æ.* affirmative; unde gratia subsequens actum, cui ipsa datur in præmium, non dignificat eum. Ratio hujus est I. quia gratia habitualis ut dignificans nostra merita, a Tridentino scilicet VI. C. XVI. comparatur *virtuti vitis* in palmites; can. XXXII. comparatur eadem *vita*, quam caput derivat in membra; & secundum Augustinum *Lib. de Spirit & lit. C. XIV.* *Non est actus fructuosus, qui de radice charitatis* (id est: habitualis gratiæ) *non procedit*, sed ex his patet, gratiam debere esse priorem, quam sint opera, quæ dignificat, sicut prior est virtus vitis, quam palmites; vita capitis, quam aliorum membrorum; radix, quam rami, ergo gratia habitualis debet esse aliquo modo prior & antecedens ad actum, quem dignificat; in tantum enim actus est condignus, in quantum procedit a subiecto, ut digno & placente Deo, ergo. Vide etiam ea, quæ allata sunt Num. 360.

371

Neque dixeris: Si gratia habitualis solum actum, quem antecedit, dignificaret, sequeretur, actus virtutum in instanti determinato, seu in instanti urgentis graviter præcepti elicitos, non esse libe-

liberos, sed hoc non admittitur, ergo. M. probat. quia si gratia hos actus iusti antecedit, tunc h. i. intelligitur in signo priori naturæ ad hujusm. actus, sed h. i. isti actus non sunt liberi; gratia etenim habitualis essentialiter opponitur omissioni actus graviter præcepti; ergo essentialiter in instanti urgentis præcepti connectitur cum actu præcepto, adeoque hujus libertatem tollit, quia metaphysice necessitaret ad observationem præcepti.

Nam p. N. sequel. M. ad probat. N. M. & dico: quod gratia habitualis pro 1mo signo instantis non intelligatur, nec intelligatur ejus carentia, sed ab utroque præscindatur, nempe tum a physica existentia, tum a carentia gratiæ: quia tamen gratia intelligebatur & dabatur physice in instanti immediate antecedenti, & quia in signo 1mo instantis sequentis urgentis præcepti, non intelligitur ullum destructivum gratiæ, ideo dici potest, quod gratia in signo 1mo instantis sequentis, seu ex parte actus 1mi proximi intelligatur & detur existens moraliter. Posito dein in 2do signo actu præcepto, intelligitur ipsa gratia existens positive physice, & quidem illa ipsa gratia, quæ supponitur in instanti immediate antecedente extitisse, quæ proinde gratia nullo modo est præmium actus præcepti in hoc instanti. Hac ratione, ut vides, gratia habitualis est prior suo actu, eumque dignificat, etsi in actu 1mo proximo non intelligatur existens physice, uti nec potest intelligi, secus enim tolleretur libertas actus graviter præcepti, ut recte probatum erat in objectione. Hic rursum observ. I. Ut dignitas merentis, meritum ejus dignificet, non requiritur hujus dignitatis cognitio; alias cum homo non cognoscat, an sit in gratia Dei, ejus merita nunquam ab hac gratia dignificarentur; sed sufficit, quod dignitatem reipsa habeat, & habere cognoscat Deus præmians; eo ipso enim meritum a merente positum, est majoris valoris, quam si illa dignitate careret. II. Augmentum gratiæ habitualis, quod est posterius actu elicitio, & præmium hujus actus, non dignificat hunc ipsum actum ad majus præmium, sed sola illa gratia, quæ in instanti immediate antecedente hunc actum extitit, ut liquet etiam ex dictis Num. 362.

Neque dixeris II. Tridentinum Sess. VI. C. XVI. ait: *Cum Christus Jesus tanquam caput in membra & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem instuat: quæ virtus bonorum opera semper antecedit & comitatur, & subsequitur, & sine*

qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est; quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur; atqui actus sunt facti in Deo, seu sunt supernaturales, etsi gratia habitualis justificans solum subsequatur ipsos actus, ergo. Dein actus meritorius & gratia habitualis concurrunt ad præmium condignum, cur igitur actus non posset antecedere gratiam, & hæc illum subsequi?

2. enim: Tridentinum loqui præcise de actibus post obtentam justificationis gratiam, seu in statu gratiæ factis. Idcirco eadem Sess. Can. XXXII. sat clare indicat, opera condigna hominis justificati, debere procedere a gratia habituali; namque ait: *Quæ (opera) ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, vere mereri augmentum gratiæ &c.* Ad alterum dico: actum, si non subsequatur gratiam habitualem, esse ineptum, ut in ratione condigni meriti etiam partialiter una cum gratia habituali concurrat ad præmium supernaturale, ut patet ex dictis.

Neque dixeris III. Non potest explicari, qua ratione gratia habitualis dignificet actum meritorium, ergo non requiritur, ut istum antecedit.

Nam 2. n. ant. Etsi enim hæc gratia non influat per seipsam effective physice in actum meritorium, influit tamen in eum mediante habitibus, qui sunt connexi cum gratia habituali, & per seipsam etiam moraliter influit, in quantum personam operantem facit amicum & filium adoptivum Dei; & hoc modo actus merentis evadit secundum rectam æstimationem dignior præmio, quam si idem actus a peccatore, vel etiam innocente, at non amico & filio adoptivo Dei poneretur. Sicut in humanis, obsequium Regi a Principe præstitum pluris fit, quam si illud rusticus præstaret. Hinc cum causa etiam moralis effectu suo posterior esse nequeat, recte consequitur 1mo: gratiam consequentem ad actum, non posse dignificare eundem actum. Consequitur 2do: gratiam, quæ in eodem signo, quo ponitur actus, concomitatur actum, & mediante habitibus non influit in actum, non dignificare actum: neque gratiam influere in actum meritorium præcise in genere causæ formalis, sed simul

simul in genere causæ moralis; causa autem moralis cum ad efficientem aliquo modo pertineat, debet antecedere suum effectum.

Quær. V. Utrum major gratia habitualis præexistens in merente, augeat meritum ad majus præmium? 373
æ. affirmative cæteris paribus. Ratio est: quia meritum dignificatur & augetur a dignitate personæ operantis, igitur a majori dignitate, adeoque majori gratia magis dignificatur ad præmium. Patet id in Christo, cujus opera ab infinita dignitate Verbi, evadunt infiniti valoris, & meritoria omnis præmii possibilis. Unde damnata manet propositio Bajana ordine XIX. *Opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis, non traxerunt majorem valorem.* Patet id etiam in humanis: idem enim opus positum a Principe est majori dignum præmio, quam positum a rustico. Dixi: *cæteris paribus*: nam dignitas meriti non solum crescit ex gratia, sed etiam ex majori intensiōe, deliberatione, difficultate actus, uti etiam ex majori excellentia virtutis v. g. charitatis, ad quam pertinet actus, fundata in objecto seu formali & motivo, seu materiali virtutis &c. Hinc fieri potest, ut actus elicitus ab habente minorem gratiam, evadat dignior majori præmio ex aliis circumstantiis & titulis, quam elicitus ab habente majorem gratiam.

Dices I. Scriptura promittit unicuique mercedem secundum opera sua, & non secundum dignitatem operantis; & alias sequeretur, Deum esse acceptatorem personarum, utpote respicientem dignitatem personarum. II. Ex responsione sequeretur, quod justus mereatur per quodvis opus minimum, tantum præmium, quantum per maximum. III. Dignitas personæ non auget operis laudabilitatem, ergo nec dignitatem meritoriam. 374

æ. ad I. Scripturam loqui de operibus non mere entitative acceptis, sed secundum circumstantias, & præsertim dignitatem operantis, ad valorem meriti quidpiam conferentes sumptis. Nec ideo est Deus acceptator personarum: quia Deus attendens dignitatem personæ, sitam in gratia habituali, attendit dignitatem per se conferentem ad præmium vitæ æternæ. Viciū enim acceptationis personarum tunc solum committitur, dum attenditur circumstantia personæ, nihil conducens ad valorem operis, atqui major gratia conducit ad majus præmium, ut constat e dictis, ergo. 375

Ad II. N. assertum: valor enim meritorum crescit ex multis capitibus, ut dictum Num. 373. igitur inæqualia possunt esse merita, licet sit æqualis, aut eadem habitualis gratia.

Ad III. Trans. ant. n. conf. Ratio dispar est: quia laudabilitas operis, habetur ex honestate operis & libertate operantis, quam libertatem & honestatem non auget dignitas, seu gratia habitualis, ut multi existimant. At vero valor & æstimabilitas meriti, consistit in præstantia operis, & ad hanc confert dignitas personæ; quia actus & obsequia a personis dignis posita, esse majoris æstimationis, patet etiam in humanis. Alii perinde loquuntur de actu laudabili, ac de actu meritorio & æstimabili.

376 Dices IV. Gratia secundum se non est meritoria, igitur nihil confert ad dignitatem meriti. V. Major indignitas peccatoris orta ex peccatis nondum remissis, non reddit peccatum subsequens dignum majori pœna, ergo etiam &c. VI. Si major gratia augeret valorem operis meritorii, augeret arithmetice, ita ut quodvis opus bonum elicited v. g. a justo ut 6, mereatur primum ut 6. Sed hoc dici nequit: sequeretur enim hominem justum ultimo bono opere in vita elicited, licet istud foret valde remissum, plus mereri, quam pluribus actibus heroicis, in reliqua vita elicited. M. autem probatur partim rationibus Num. 373. adductis, partim paritate dignitatis infinitæ Verbi, quæ opera Christi meritoria arithmetice dignificant tanquam forma dignificans, ergo.

377 2. ad IV. c. ant. n. conf. Etsi enim gratia de se non sit meritoria, potest tamen ex ea crescere valor meriti, quia denominatio resultans ex pluribus partibus, non debet necessario convenire cuiusvis seorsim; sic cognitio indifferens ad libertatem requisita non est meritoria, aut libera, & tamen confert ad libertatem, adeoque etiam ad meritum, quia quo illa est magis indifferens, actus evadit magis liber & meritorius.

Ad V. c. ant. n. conf. Dispar ratio est: tum quia moralis indignitas peccatoris adeo non auget offensam subsequentem ad majorem pœnam subeundam, ut potius secundum rectam æstimationem magis displiceat tam homini, quam Deo, offensa facta ab amico & pluribus beneficiis affecto, quam ab inimico & paucioribus titulis obstricto, uti habetur Psal. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique - - - Tu vero homo unanimis dux meus &*
notus

notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos &c. Tum quia dicta vilitas peccatoris, ut supponitur, non influit in peccatum subsequens, nec constat eam ex se ordinari ad reddenda formaliter graviora peccata a peccatore commissa. At vero gratia habitualis, in qua dignitas operantis consistit, influit moraliter in opus bonum, & constat eam ex natura sua ordinari ad dignificanda opera ad primum, ac secundum rectam æstimationem pluris fit, si major dignitas submittatur in obsequium alicujus, quam minor, ut patet rursum in humanis.

Ad VI. N. M. quod videlicet gratia augeat valorem operis *arithmetice* in ordine ad præmium, sed auget solum *geometrice*, id est: cum proportione quadam nobis incerta & soli Deo nota, habito nempe respectu ad alias etiam circumstantias operis. Nam ratio meriti condigni ad præmium, non desumitur a sola gratia, verum etiam ab excellentia, honestate, intensione, aliisque circumstantiis operis; etsi igitur justus sit ut 6. attamen opus bonum elicited ab eo, non erit dignum præmio arithmetice æquali, sed cum respectu ad alias circumstantias operis meritorii. Ex eo autem, quod infinita Verbi dignitas omnia & singula opera Christi meritoria dignificet arithmetice, proinde infinite; non item dignitas justii dignificet arithmetice opera justii, dispar ratio patet: Nam *1mo*: dignitas infinita Verbi, eminenter continet omnem modum & titulum, quo posset dignificari opus, adeoque valor operum Christi habetur formaliter a sola dignitate infinita Verbi, non item ab intensione, aliisque circumstantiis actus. *2do*: Dignitas Verbi infinita est dignitas substantialis constituens Christum, eaque in omni genere simpliciter infinita, quæ ideo limitari nequit ab aliis circumstantiis actus, ideoque omnia opera Christi erant æqualis valoris, hoc est simpliciter infiniti. At vero gratia habitualis consistens in peculiari inhabitatione Spiritus Sancti, est accidentaliter in justo, & solum finito modo (nempe *secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur, singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*, ut loquitur Trident. sess. VI. C. VII.) communicata eidem, ideoque limitari potest gratia ab aliis circumstantiis, concurrentibus ad denominationem *digni præmio*, ne arithmetice dignificet actum justii.

378

379

Neque dixeris: Si gratia habitualis consistit in peculiari inhabitatione & unione morali Spiritus Sancti cum anima hominis, justius opus salutare esset infiniti valoris perinde ac Christi opus: etenim Spiritus S. moraliter unitus animæ justius, est dignitatis & sanctitatis infinitæ, & sic unitus dignificaret opus justius, sed h. i. dignificaret illud infinite, ergo.

Nam *q. N. M.* Additam rationem dist. Spiritus S. sic unitus dignificaret opus justius finite, & secundum mensuram prout veller, ac dispositio hominis postulare c. dignificaret infinite n. Unio enim moralis & affectiva incomparabiliter inferior est, quam unio hypostatica in Christo: nempe per moralem non fit justus, filius Dei naturalis, sed manet persona pure humana, & extranea, adeoque fit solum filius adoptivus; cum igitur non uniatur ad rationem unius suppositi, manifestum fit, quod opus salutare justius, non dignificetur infinite, licet Spiritus S. sit infinite dignus. Id patet a paritate: omnipotentia Dei licet sit infinita, attamen voluntas non fit infinita, cui illa applicatur ad actus salutares eliciendos. Quare verum manet, opus justius non evadere infiniti valoris, nec posse condigne satisfacere pro offensa gravi, quia per unionem moralem opus salutare non eveheretur ad supremum ordinem boni moralis, in quo solius Christi merita sunt, quæ sola sunt Theandrica; quia actiones sunt suppositorum; justus autem, non facit unam personam cum Spiritu S. Denique opus meritorium justius resultat ex personæ actum, & intensioe & objecto &c. actus, ex omnipotentia Dei habitualiter applicata, & Spiritu Sancto peculiariter inhabitante animam justius, atque ex his omnibus augetur, vel minuitur opus quoad meritum. De his consule *Tract. de August. Verbi Divini Myster.*

380

Quæ. VI. An prima gloria correspondens primæ gratiæ possit cadere sub merito condignum? *q. negative contra Platelium, qui cum aliis Num. DCLV. Cap. VI. §. 8. de meriti præmio docet, quod licet contritio perfecta, tanquam ultima dispositio ad gratiam, a peccatore elicitæ sit solum de congruo meritoria primæ gratiæ, collatæ pro signo posteriore ejusdem instantis, ab eadem tamen eodem instanti dignificetur contritio ita, ut sit condigne meritoria primæ gloriæ, seu gloriæ correspondentis eidem primæ gratiæ, ac proinde quod unus gradus gloriæ merenti debeat duplici titulo,*

titulo hereditatis ob gratiam illam *imam*, & simul titulo præmii ob contritionem veluti de condigno meritoriam. Ratio nostri responsi est *imo*: Contritio elicit a peccatore, nequit dignificari per gratiam *imam* eodem instanti collatam, igitur non potest mereri condigne *imam* gloriam. Conf. patet: *anti* vero demonstratur: gratia illa *ima* sanctificans est præmium dictæ contritionis, atqui gratia data in præmium actus, non potest dignificare eundem actum, ut diximus Num. 370. & alibi. Certe gratia consequens actum aliquem, nequit eum reddere condigne meritorium: sicut merx quæpiam a per-soluto pro ea pretio, majorem valorem intrinsecum desumere non potest; si autem *ima* gloria caderet sub meritum condignum, gratia sanctificans collata intuitu contritionis de congruo meritoria, deberet eandem reddere condigne meritoriam, ergo. II. Gratia sanctificans non dignificat nisi actus justus, atqui contritio a peccatore elicit, non est proprie actus justus; cum non procedat a justo prævie tali, sed primo faciat justum merendo de congruo justificationem, ergo. III. Gratia secundum dicta solum eos actus dignificat, quos antecedit, & in quos influit mediantibus suis habitibus, atqui in actum contritionis positum a peccatore, non influit mediante habitu charitatis, cum iste cum gratia conferatur in signo posteriore ad contritionem, ergo.

Neque dixeris I. Trident. sess. V. can. XXXII. a nobis Num. 367. laudatum ait: justificatum suis bonis operibus *vere*, adeoque de condigno mereri augmentum gratiæ, non autem ipsam gratiam. Dein ait: eundem justificatum mereri non tantum augmentum gloriæ, sed etiam vitam æternam, ac proinde cum recenscat *augmentum gloriæ & vitam æternam*, tanquam duo distincta præmia, nomine vitæ æternæ intelligit *imam* gloriam, hancque asserit cadere sub meritum condignum peccatoris justificati per contritionem.

Nam *II*. Tridentinum loqui de homine jam justificato, & bonis operibus ab eo jam prævie justo procedentibus, docereque justum augmentum gratiæ & gloriæ condigne mereri, nullo verbo declarans, peccatorem justificatum de condigno mereri *imam* gloriam. Quod vero recenscat *vitam æternam & augmentum gloriæ*, non sequitur hæc duo esse distincta præmia; nam eodem canone *vita æterna & vita æterna consecutio* distinctis verbis proferuntur, quia tamen distincta sint præmia. Non igitur ideo Tridentinum distinctis

verbis recenset *vitam æternam*, & *augmentum gloriæ*, ut significet, peccatorem justificatum, vel etiam jam prævie iustum, *unum* quoque gradum gloriæ de condigno mereri, verum ut duplicem errorem Sectariorum damnet, quorum alii negarunt iustum vere mereri vitam æternam; alii hoc fortassis admissis, negarunt inæqualitatem gloriæ in Beatis, provenientem ex inæqualitate bonorum operum. Porro iustus vere ac proprie ac coram Deo meretur vitam æternam quoad substantiam per actus salutare in statu gratiæ elicitos, in quantum ea in quovis augmento & gradu gloriæ cælestis continetur, quem de condigno meretur; & illam cum augmento gloriæ ita meretur, ut tametsi intuitu præcedentis *imæ* gratiæ sanctificantis eam nollet dare Deus, adhuc eandem vitam æternam vere mereretur. Quemadmodum cum proportione dicimus, peccatorem per singula gravia, mereri æternam damnationem quoad substantiam cum augmento pœnæ.

Neque dixeris II. Ex nostra responsione sequi, adultum salutem consequi posse sine operibus condigne meritoriiis vitæ æternæ, ut si post instans elicitæ contritionis mereretur; vel si eliceret attritionem, aut si nunquam graviter lapsus est, actum fidei, & spei cum proposito servandi totam legem, & susciperet rite baptismum, susceptoque illico moreretur; sed istud adversatur Scripturæ generatim asserenti: unumquemque adultum accepturum mercedem secundum opera sua, ergo.

Nam *sc.* cum Simonneto *Tract. VI. de grat. Disp. VII. art. VII.* istud minime adversari Scripturæ, cum verissimum sit etiam in nostra sententia, illos omnes, qui habent bona opera, accepturos esse mercedem bonis suis operibus proportionatam, sicut e contrario: qui habent mala opera, accepturos pœnam iisdem debitam.

382

Quæst. VII. Utrum ad meritum Theologicum condignum requiratur, ut actus sit elicited, vel saltem imperatus a charitate? *sc.* negative contra Bannezium opinantem, solos actus a charitate elicited esse de condigno meritorios vitæ æternæ, quam sententiam vocat Eximius Doctor improbabilem. Ratio nostri responsi est I. Quia Sacræ literæ omnibus virtutum actibus a iusto elicited, promittunt vitam æternam, nulla facta mentione charitatis; ut Matth. 5. paupertati: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Misericordiæ: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Item observationi mandatorum Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi,*

di, *serua mandata*. Immo omni operi bono I. ad Corinth. 15. v. 58. *Abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*. II. Justus potest elicere fidem, spem, virtutumque moralium actus supernaturales, licet eos non imperet voluntas per actum charitatis, atqui hujusm. actibus ex promissione Dei debetur vita aeterna, ergo. M. patet: quia e. g. fides est virtus Theologica distincta a charitate, & experimur, quod assensum fidei eliciamus, quin eum nobis imperemus per actum charitatis; m. etiam patet: quia in hujusm. actu a justo posito, reperiuntur omnes conditiones condigni meriti; sunt enim intrinsece supernaturales, cum sufficienti libertate &c. positi, ergo. Unde Trident. Sess. VI. can. XXXII. definit: *Si quis dixerit, justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & JESU Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam -- anathema sit*; atque adeo omnia opera, quæ iusti dependent a gratia actuali ex motivo cujuscunque virtutis supernaturaliter operantur, vere promerentur vitam æternam. Accedit, quod Clemens XI. inter alias Quesnelli propositiones damnaverit sequentes: LIII. *Sola charitas Christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum, & JESUM Christum*. LIV. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit*. LV. *Deus non coronat, nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit*. LVI. *Deus non remunerat, nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat*. E quibus manifestum fit, a Deo coronari & remunerari etiam actus virtutum iusti, qui non imperantur a Charitate.

Oppon. I. Apostolus I. ad Corinth. 13. ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ad Galat. 5. v. 6. Nam in Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*. Rursum I. ad Corinth. 10. v. 31. monet fideles: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; & c. 16. v. 13. *Omnia vestra in charitate fiant*; igitur ex mente Apostoli actus meritorius vitæ æternæ debet esse elicitus, vel saltem imperatus a charitate.

384

2. Apostolum in *1mis* duobus textibus loqui de charitate non actuali, verum habituali, quæ nunquam separatur in præsentī providentiā a gratiā sanctificante, atque id duntaxat velle, merita sine hac gratiā posita non esse condigne meritoria vitæ æternæ, nec prodesse ad salutem, si homo decedat sine ea; vel certe loqui de operibus factis in hæresi, aut schismate, quæ utique non profunt ad vitam æternam obtinendam, cum extra Ecclesiam nemo salutem consequi possit. Advertit præterea Platelius: verba ea *non habuero* non esse intelligenda mere negative, sed contrarie, ita ut sensus sit: si proximum oderim, si schismata & dissensiones fovero, nihil mihi proderit, quidquid perpeffus fuero pro Christo. Atque hic sensus conformis est intentioni & fini Apostoli, sanare cupientis fastum ac schismata Corinthiorum per charitatem, tanquam efficacissimam oppositam medicinam.

Ad textum *3rium* ajo: opera meritoria iusti referenda esse ad Deum, veluti finem ultimum, at non necessario ex motivo charitatis; sed satis ad eum referuntur, quod fiant ex motivo virtutis, vel in se supernaturali, vel saltem per illustrationem supernaturalem proposito, & sint opera filii adoptivi Dei procedentia a Deo, tanquam authore gratiæ & gloriæ. Sic enim per se, & natura sua tendunt ad finem honestum & supernaturalem, referunturque ad gloriam Dei si non *signate*, saltem *exercite*, in quantum ex huiusm. motivo operans & mandata observans vere glorificat Deum, faciendo quod ei gratum & gloriosum est, etli ab operante per alium peculiarem & distinctum actum non referantur; operatur item exercite in nomine Christi, in quantum operatur ex motivo virtutis Christianæ, seu a Christo præceptæ, vel commendatæ in Evangelio. Vide etiam Num. 76.

In postremo textu & alibi, cum Scriptura hortatur nos quidem Apostolus, ut omnia agamus in charitate & propter amorem Dei; verum eadem Scriptura nos crebro hortatur ad exercenda pia opera inferiorum virtutum, nullâ factâ charitatis mentione, iisque perinde vitam æternam pollicetur, modo fiant in statu gratiæ. Quare etli melius agat, qui sacro interest, vel jejunium colit ex motivo charitatis, quia tamen non omne, quod melius est, etiam necessarium ad salutem est, ideo recte quis agit, si ex motivo obedientiæ interest sacro &c. mereturque coram Deo.

Oppon.

Oppon. II. S. Augustinus *Lib. de grat. & lib. arbit. C. XVIII.* 385
 clarissime asserit, sine charitate nihil bene fieri, hoc est: nihil fieri,
 sicut oportet ad promerendam vitam æternam: *Hæc omnia*, in-
 quit, *præcepta dilectionis id est: charitatis, quæ tanta & talia*
sunt; ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine chari-
tate, nullo modo fiat bene. Et de moribus Ecclesiæ C. XV. ait:
Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtu-
tem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Item in *Enchiridio*
C. CVII. Regnat, inquit, *carnalis cupiditas, ubi non est charitas.*
 Præterea Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 14. art. 4. in ☉ docet:
Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias au-
tem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate
imperantur. Et ibidem ad 3. respondet: *Fidei actus non est meri-*
torius, nisi fides per dilectionem operetur. - - similiter etiam actus
patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex chari-
tate hæc operetur.

¶ ad I. textum Augustini: nomine *charitatis* non esse intelligen- 386
 dum in sensu stricto formalem actum charitatis Theologicæ, sed in
 latiore quemlibet amorem & actum supernaturalem cujusvis virtu-
 tis & honestatis, quo vel Deum diligimus, aut ad Deum diligen-
 dum disponimur, dicimurque eo ipso amare Deum, secundum il-
 lud Joan. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille*
est, qui diligit me.

Ad II. dico: S. Patrem loqui de ultima dispositione ad gratiam
 sanctificantem extra Sacramentum. Dein si Adversarii in rigore ac-
 cipiunt hunc aliosque textus ad suam opinionem firmandam, co-
 gentur fateri: justum non mereri vitam æternam per actum amoris
 Dei, nisi sit *summus*, sive intensissimus. Vocat igitur Augustinus
 amorem Dei *summum* non ob intensionem actus, sed quia *appre-*
ciative debet esse summus.

Ad III. textum ajo: charitatem a S. Augustino sumi in sensu
 latiore pro quavis bona voluntate & affectione cujuslibet virtutis
 supernaturalis (non vero in stricto ad exprimendum amorem, quo
 Deus propter se diligitur) quo sensu S. Doctor *Lib. VIII. de Tri-*
nit. C. X. dicebat: *Quid est charitas, quam tantopere Scriptura*
laudat, nisi amor b. m.? & *Lib. II. contra duas epist. Pelag. C. IX.*
Quid est, inquit, boni cupiditas, nisi charitas, de qua Joannes

288 *Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: charitas ex Deo est. Denique in rigore verborum Augustini dictum: Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas* probaret actus supernaturales virtutum a charitate non imperatos, non solum non esse meritorios, sed vitiosos & demeritorios, quod est falsissimum. Et alioquin proscripta est Quesnelli propositio ordine XLIX. *Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.* Sic qui propter mercedem æternam recte operatur, non solum non peccat, ut definitur a Trident. Sess. VI. can. XXXI. verum etiam exercet actum bonum & salutarem.

Angelico Doctori oppono Tridentinum supra laudatum, docens: omnia opera justorum esse vere meritoria vitæ æternæ. Præterea ipse S. Doctor eadem quæst. art. III. in ☉ docet sine omni exceptione, quodvis opus a iusto positum esse condignum vita æterna. Unde in speciem oppositi textus commode explicantur dicendo: S. Thomam duntaxat velle, ut opus meritorium aliqua ratione ad charitatem pertineat, & in illa fundetur ac radicetur; istud autem eo ipso habet, quod ponatur ex motivo supernaturali a filio adoptivo Dei, qui cum sit habitualiter conversus ad Deum, ut finem suum ultimum supernaturalem, censetur ad hunc finem illud referre actualiter saltem exercite ex natura ipsius operis honesti, ut cum Platelio loquitur Vasquezius *Tom. II. Diss. CXCI. C. II.* Simulque per hujusm. opus diligit Deum, ut supra indicavi.

387 Quæ præterea huc pertinent, sunt fere sequentia. I. Charitas habitualis, seu charitas sumpta pro gratia habituali (ut saepe sumitur) influit mediantibus suis habitibus in omnes actus salutes a iusto elicitos. Hinc tamen non sequitur, omnes hujusm. actus referri ad motivum charitatis, sive ad Deum, nisi exercite; signate enim quilibet actus refertur ad motivum illius virtutis, a cujus habitu procedit. Sic e. g. in actum misericordiæ a iusto positum non influit gratia sanctificans per habitum charitatis, sed per habitum misericordiæ.

II. Opera meritoria iusti vitæ æternæ, debent referri ad Deum vel signate vel exercite, non tamen necessario signate. Quod non debeant necessario signate referri ad Deum, constat e dictis Num. 382. Quod autem exercite referantur ad Deum, etsi non imperentur a charitate, patet ex Num. 384. §. ad textum *3rium.*

III. Charitas est quidem virtus omnium præcipua, nihilominus perfectio Christiana secundum totam suam latitudinem considerata, includit etiam observantiam præceptorum, & exercitium aliarum virtutum, quibus omnibus promittitur vita æterna. Dein actus charitatis non est ex se condigne meritorius vitæ æternæ, sed talis evadit per gratiam habitualement; igitur nec alium actum virtutis facit de se condigne meritorium vitæ æternæ.

IV. Ex his minime licet inferre, non dari obligationem ad eliciendum actum formalis charitatis; etenim datur præceptum charitatis per decursum vitæ sæpius eliciendi actum charitatis, uti etiam fidei & spei. Istud definiit tum Alexander VII. damnata hac propositione numero I. *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*; tum Innocentius XI. proscriptis propositionibus VI & VII. *Probabile est, ne singulis quidem rigoroſe quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.* Et vero absonum videtur ex ipso rationis dictamine, hominem ratione præditum, raro admodum semet conjungere Deo, veluti fini suo ultimo, fidem præstando iis, quæ revelavit, sperando media ad salutem obtinendam, & ipsam salutem æternam, diligendo Deum ut authorem gratiæ & gloriæ super omnia. Consule *Tract. de virtutibus Theol. Num. 232* ubi plures rationes e mente IT. adduxi ad frequentiores actus fidei, spei, & charitatis eliciendos.

V. Scriptura & PP. (ut & hoc addam) de charitate eodem modo loqui videntur, ac de gratia sanctificante; sic 1. Joan. 3. v. 1. legimus: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & semus.* Et 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* S. Bernardus de timore Dei serm. III. ait: *Perfecta charitas, perfecta est sanctitas.* D. Augustinus Lib. XV. de Trinit. C. XII. in illud Apostoli: *Major autem horum est charitas* inquit: *Nullum est isto dono excellentius*; hinc tamen non sequitur, actum charitatis, tanquam opus præstantissimum esse formam justificantem. Nam hoc vocabulum *charitas* in diversa significatione usurpatur, aliquando enim significat ipsam gratiam sanctificantem, ut supra memini; aliquando actum charitatis; aliquando

habitum charitatis, id quod ex adjunctis colligi debet. Unde charitas accepta pro gratia sanctificante, utique formaliter justificat; accepta pro actu charitatis Theologicae, dispositive, causaliter & illative justificat, in quantum actus charitatis de congruo meretur gratiam, eamque ob extrinsecam gratuitam promissionem Dei infalibiliter obtinet. Similes loquendi formae habentur de ipsa fide, etsi haec non *formaliter*, sed *dispositive* tantum justificet, ut Dissert. IV. C. III. vidimus. Accepta demum pro habitu charitatis, justificat *connexive*, cum habitus charitatis in moderna providentia non leparetur a gratia. Atque haec de Divina gratia & merito bonorum operum conscripta cedant

A. M. D. G.

Z BIBLIOTEKI
SEMINA SAUM
SANDOMIERSKIEGO





INDEX IN V. DISSERTATIONES

D E

D I V I N A G R A T I A.

P raefatio ad Theologiae Auditores.	Pag.	3
DISSERTATIO PRIMA. De gratia actuali generatim.		5
CAPUT PRIMUM. De diversa significatione & divisione gratiae.		6
CAPUT SECUNDUM. De vario humanae naturae statu in ordine ad gratiam.		12
Assert. Status purae naturae fuit possibilis, licet defacto in hoc non fuerit condita natura humana.		15
CAPUT TERTIUM. De erroribus circa gratiam Divinam.		24
De Pelagio ejusque erroribus.		25
De Semipelagianis, eorumque erroribus.		32
De erroribus Lutheri & Calvinii.		36
De Michaeli Bajo, ejusque erroribus.		38
De Cornelio Jansenio Ipen. ejusque erroribus.		40
De Paschasio Quesnello, ejusque erroribus usque ad nostra tempora.		45
CAPUT QUARTUM. In quo consistat gratia actualis, & quomodo influat in actus salutares?		47
Assert. I. Gratia interna actualis excitans & praeveniens, consistit in actibus vitalibus supernaturalibus tum intellectus, per quos innotescit, quod latebat; tum voluntatis, per quos suave fit bonum, quod non delectabat, vel displicere incipit malum, quod prius delectabat.		48
Actus intellectus, in quibus sita est gratia illuminativa, possunt esse actus omnium trium mentis operationum § I.		
Actus voluntatis, in quibus consistit gratia affectiva, sunt inprimis affectus indeliberati, & aliquando etiam delibera-		

Index in V. Dissertationes

- ti. 52. Actus indeliberatus voluntatis, in quo etiam sita est gratia excitans *1ma*, debet esse simplex, nec potest esse ab intrinseco efficax. 53
- Affert. II.** Gratia actualis consistens in actibus intellectus, & voluntatis, non influit in actus salutare physice, sed solum moraliter. 54
- CAPUT QUINTUM.** An & qualis gratia necessaria sit ad actus salutare? 62
- Affert. I.** Ad omnem omnino actum salutarem vitæ æternæ & præmii supernaturalis meritorium, necessaria est gratia actualis, eaque entitative & quoad substantiam supernaturalis. 63
- Affert. II.** Gratia supernaturalis ad actus salutare simpliciter necessaria, est illuminativa tenens se ex parte intellectus, & in moderno statu naturæ lapsæ, etiam necessaria est gratia affectiva tenens se ex parte voluntatis. 65
- CAPUT SEXTUM.** Utrum liberum arbitrium possit se disponere suis viribus ad gratiam? seu: quis sit sensus axiomatis istius: *Faciendi quod in se est, Deus non denegat gratiam?* 74
- I.** Sensus dicti axiomatis non est, quod Deus facienti quod in se est per vires naturæ, & ponenti opera naturalia honesta, conferat gratiam supernaturalem propter illa scilicet opera, ita ut hæc sint *1mo*: meritum de congruo; vel sint *2do*: dispositio positiva exigens dictam gratiam; vel sint *3tio*: dispositio si non positive exigens gratiam, certe aptans subiectum ad illam recipiendam, ita ut nisi illa præcedant, nunquam detur supernaturalis gratia; vel *4to*: sint conditio sine qua ex lege Dei & pacto cum Christo inito nunquam detur cuiquam gratia; vel denique *5to*: Sint occasio a Deo libere accepta, qua posita det, & non posita non det gratiam. *ibid.*
- II.** Sensus axiomatis est iste certissimus: facienti quod in se est per vires gratiæ, seu cooperanti *1mæ* gratiæ actuali, Deus ultiores gratias non denegat, quibus, si velit, justificationis gratiam obtinere, conservare & salvari potest. *ibid.*

De Divina gratia.

- CAPUT SEPTIMUM.** An ad bonum morale naturalis ordinis necessaria sit gratia. 77
- Assert.* Potest homo solis naturæ viribus, actus aliquos moraliter bonos & honestos velle, ac ponere, qui proinde actus essent præcise naturales, nec per se quidquam ad beatitudinem supernaturalem conferrent. 79
- Potest homo solis naturæ viribus elicere amorem Dei super omnia, impossibilem cum omni offensa saltem ad breve tempus. 82
- CAPUT OCTAVUM.** Utrum ad aliquod opus exercendum necessaria sit gloria habitualis, vel fides Theologica? 83
- Assert.* Potest homo peccator, etiam infidelis, aliquod opus moraliter bonum ordinis naturalis exercere, adeoque ad hujusmodi opus non est necessaria gratia habitualis, seu sanctificans, nec fides Theologica. *ibid.*
- Peccator fidelis sine habituali gratia, potest exercere opera bona etiam supernaturalia adjutus gratia superna. 84
- CAPUT NONUM.** Quanta sit necessitas gratiæ ad malum vitandum? 88
- Assert.* I. Potest homo in statu naturæ lapsæ, potentia physica superare sine auxilio speciali quamvis tentationem gravem, tentationem vero levem potest sic superare etiam potentia morali; nequit tamen potentia morali superare ullam tentationem gravem sine auxilio speciali, neque potest eadem potentia longo tempore superare omnes tentationes leves. 91
- Illa gratia & auxilium Dei indebitum, quod dicebamus homini lapsæ esse necessarium ad graves tentationes vincendas, non debet esse per se & ex natura rei supernaturale quoad substantiam &c. 93
- Ad observandam totam legem naturalem, adeoque vincendas tentationes contra illam, licet non sit necessaria ex natura rei fides Theologica, aut gratia habitualis, attamen utraque ex lege Divina modernæ providentiæ, necessaria videtur ad totam longo tempore sine peccato gravi moraliter observandam. *ibid.*

Index in V. Dissertationes

- Affert.** II. Potest justus toto, aut, etiam longiore vitæ suæ tempore, cum ordinariis auxiliis gratiæ habituali annexis, vitare omnia venalia peccata collective sumpta potentia physica, non tamen morali potentia sine speciali Dei privilegio, & auxiliis gratiæ extraordinariis. 95
- Homo** Gentilis qua ratione fidem perfectam obtineat? 102
- CAPUT DECIMUM.** Utrum ad perseverandum usque ad finem in accepta justitia, opus sit auxilio gratiæ speciali? 104
- Affert.** Potest justus potentia physica cum ordinariis auxiliis, quæ justis nunquam denegantur, perseverare in gratia sanctificante per longum tempus, usque ad finem vitæ, non tamen potentia morali, ideoque ad perseverandum finaliter, necessaria est gratia prorsus specialis, distincta a gratia sanctificante & ordinariis auxiliis. 105
- CAPUT UNDECIMUM.** Quod gratiæ genus datum & necessarium fuerit in statu naturæ sanæ & integræ? 110
- Affert.** Adamo innocenti necessarium erat ad exercendum bonum & vitandum malum modo salutari, supernaturale actuale auxilium gratiæ, præcise intellectum afficientis. 111
- Quod discrimen inter gratiam sanitatis & medicinalem? 115
- DISSERTATIO SECUNDA.** De gratia sufficiente & efficaci. 116
- CAPUT PRIMUM.** Qui errores hæreticorum oborti circa gratiam sufficientem? ibid. Proponuntur errores Lutheri, Calvini, Jansenii. 117
- Discrimen inter gratiam sufficientem Thomistarum & Jansenii. 120
- CAPUT SECUNDUM.** Quod sit dogma fidei Catholicæ de natura & existentia gratiæ sufficientis? 122
- Affert.** Præter gratiam efficacem datur in præsentī statu naturæ lapsæ, gratia pure sufficiens, id est: talis, quæ voluntatem perfecte completam & proxime expeditam reddit ad operationem salutarem, etsi illa reipsa non sit operatura, quia non vult. 122
- Jansenii gratia sufficiens, seu parva, quæ plenum & perfectum suum effectum non assequitur propter virium defe-

De Divina gratia

ctum, & potentiā relativæ ad præfentes fubjecti circum- ftantias, eft erronea.	125
Thomiftarum gratia, non videtur vere fufficiens ad actum falutarem.	ibid.
Quid fit adjutorium <i>fine quo non</i> , & adjutorium <i>quo</i> ?	127
CAPUT TERTIUM. Quid ex principiis fidei certum fit de effi- cacia gratiæ?	135
Affert. Fide certum eft, gratiam efficacem non poffe constitui in auxilio Divino natura fua, feu ab intrinfecco irrepudiabili & voluntatem neceffitante ad confenfum.	136
Quid fenferit de gratia efficaci S. Auguftinus, cujus authori- tate abutuntur Novatores?	138
CAPUT QUARTUM. Utrum gratia efficax recte ftatuatur in delectatione vicitrici Janseniana?	143
Affert. Gratia efficax nequit constitui in delectatione cœlefti fupe- riore, feu per gradus relative vicitricis.	145
Systema delectationis relative vicitricis in fenfu Jansenii, nul- lum omnino fundamentum habet in doctrina S. Augufti- ni, immo ab ifta prorfus alienum eft, ut demonftratur clariffimis ejufdem S. Patris fententiis.	147
Explicatur dictum S. Auguftini: <i>Quod amplius nos dele- ctat, fecundum id operemur neceffe eft.</i>	ibid.
Quid de delectatione vicitricis, quam nominant <i>prædetermi- nationem Auguftinianam</i> sentiendum?	153
CAPUT QUINTUM. Utrum gratia efficax in prædeterminatione phyfica, vel actu infpirato confiftat?	154
Enata controverfia inter RR. PP. Dominicanos & nostros occasione libri editi a Ludovico Molina.	ibid.
Affert. I. Gratia efficax non confiftit in prædeterminatione phyfica.	160
Quid reponant noftris argumentis Thomiftæ?	161
S. Thomas prædeterminationem phyficam non agnovit.	168
Affert. II. Gratia efficax nequit confiftere in actu amoris infpirato.	170
Qua ratione Deus fit <i>imūm</i> agens, <i>imūm</i> liberum, <i>imūm</i> determinans?	174 & 179

Index in V. Dissertationes

- Explicatur propositio damnata Petri de Rivo: *Quod ex præcedenti ordine successivæ durationis sequitur per necessariam consequentiam, necessarium est & impossibile.* 184
- CAPUT SEXTUM.** Utrum efficax gratia consistat in decreto Scotistico, aut in prædeterminatione morali? 185
- Assert.** Gratia efficax nequit consistere in decreto Scotistico seu antecedente, seu concomitante; nec in prædeterminatione morali. 187
- CAPUT SEPTIMUM.** Quod sit nostrum systema circa gratiæ efficaciam? 196
- Explicantur quædam mysteria scientiæ mediæ. 197
- Assert.** Gratia in actu *1mo* efficax, ut est præcise infallibiliter illativa consensus absoluti, habetur per auxilium excitans absolute existens, de se entitative indifferens, & futuritionem conditionatam consensus, sub conditione ejusdem auxilii. 201
- Explicatur, quomodo Deus gratia efficaci & congrua suaviter impellat voluntatem ad consensum salutarem, ut eum infallibiliter obtineat, salva immediata libertate? 204
- Quid importet gratia in actu *1mo* efficax, & gratia in actu *2do* efficax? 205
- In nostro systemate recte explicantur hæc duo, primum: Deum per auxilium in actu *1mo* efficax non solum facere, ut possimus bene operari, sed revera etiam facere, ut bene operemur, quia dat voluntati auxilium congruum, quod per scientiam mediam videt infallibiliter cum bono usu jungendum. Alterum: in nostra nihilominus libertate esse, ut bonum faciamus, in quantum possumus illi auxilio entitative sumpto, cui nos Deus prævidet certo libere consensuros, dissentire. 206
- Discretio justi ab injusto explanatur. 207
- Nostrum systema fundatur in doctrina S. Augustini. 213
- Quam longissime abest ab hæresi Sæmipelagianorum; id quod luce meridiana clarius demonstratur ex opposita doctrina Societatis. 214

De Divina gratia.

- 275 An gratia efficax sit partus scientiæ *exploratrix*? 220
- Voluntas seipfam libere determinans ad actum salutarem,
non prædeterminat Deum ad concurrendum. ibid.
- 180 Quid sentiendum est de testimoniis Ignat. Hyacinthi Amat
200 de Graveson, Laurentii Bertii, Thomæ de Lemos,
Hyacinthi Serry, adversus doctrinam Ludovici Molinæ
allatis? 222
- CAPUT OCTAVUM. Per quid habeatur gratia efficax, ut est in-
strumentum Divinæ providentiæ, & ut speciale bene-
ficio? 224
- Assert. Gratia efficax ut est medium & instrumentum Divinæ
providentiæ proxime aptam ad hoc, ut per illud Deus
infallibiliter obtineat consensum liberum creaturæ, præter
entitatem auxilii indifferentis importat etiam scientiam
mediam, qua cognoscit consensum sub auxilio entitative
indifferente conditionate futurum; ut vero est speciale be-
neficio præ inefficaci respectu creaturæ, importat etiam
prædefinitionem actus salutaris, & decretum collativum
auxilii, sub quo prævidebatur consensus conditionate fu-
turns. ibid.
- Decretum collativum auxilii, per quod gratia efficax in ra-
tione specialis beneficii, quem modum tendendi habeat?
exponitur. 238
- DISSERTATIO TERTIA. De distributione actualis gratiæ. 241
- CAPUT PRIMUM. Utrum omnibus justis detur gratia sufficiens
ad observationem præceptorum? 242
- Assert. Omnibus justis confertur gratia vere ac proprie sufficiens
ad observanda præcepta Divina, adeoque nulla præcepta
sunt justis observatu impossibilia. 243
- CAPUT SECUNDUM. An conferatur fidelibus peccatoribus,
etiam obduratis, gratia sufficiens ad conversionem? 250
- Assert. Fidelibus peccatoribus, etiam obduratis, confertur a Deo
saltem remote sufficiens gratia, tum ad conversionem &
vitanda ulteriora peccata, tum ad præcepta Divina ob-
servanda. 252

Index in V. Dissertationes

- Explicatur auxilium remote sufficiens. 254
- CAPUT TERTIUM.** Utrum Deus omnibus infidelibus, etiam iis, qui laborant infidelitate negativa, det gratiam sufficientem ad salutem obtinendam? 261
- Affert.** Infidelibus omnibus, etiam iis, qui laborant infidelitate negativa, datur gratia sufficiens ad fidem & salutem. 262
- CAPUT QUARTUM.** Utrum omnibus quoque parvulis provi- sum sit de sufficiente remedio ad salutem? 267
- Affert.** Deus omnibus etiam parvulis providit remedium saltem remote sufficiens ad salutem. 268
- Deus omnes & singulos homines salvos vult fieri ita, ut sin- gulis hominibus in posteriori signo ad prævisionem pecca- ti Adæ, conferat vel proxime, vel remote auxilia suffi- cientia ad salutem. 272
- CAPUT QUINTUM.** An sit possibilis creatura, quæ prævideat- ur omnibus auxiliis indifferentibus sibi dabilibus consen- sura vel dissensura? 273
- Affert. I.** Nullus est homo creatus, aut in præsentis rerum or- dine creandus, qui reipsa dissentiret, & dissensurus prævi- deatur omnibus auxiliis de se indifferentibus, sibi dabili- bus ad consensum, si ei darentur; immo moraliter impos- sibile est, ut creatura libera omnibus dictis auxiliis dis- sentiat, & videatur sub conditione, si ei darentur, dissen- sura, adeoque moraliter necessarium est, ut quælibet sub aliquibus consentiat. 274
- Affert. II.** Non est tamen metaphysice necessarium, ut quælibet creatura libera possibilis consentiat & consensura prævi- deatur per scientiam mediam alicui auxilio ex indifferenti- bus sibi dabilibus, si hæc ei darentur, adeoque non re- pugnat absolute & metaphysice, ut quævis creatura libe- ra videatur omnibus auxiliis indifferentibus dissensura. 275
- Explicatur: Deo essentialem & necessariam esse aliquam po- tentiam proximam convertendi quamvis creaturam, adeo- que etiam prævisam omnibus auxiliis indifferentibus dis- sensuram 280. Item ejusdem creaturam meritorie conver- tendam. 285

De Divina gratia.

- CAPUT SEXTUM.** Utrum authoritas D. Augustini in materia de gratia sit irrefragabilis? 287
- Assert.* Etsi plurimi fiat S. Augustini authoritas in materia de gratia, ea tamen non censetur irrefragabilis, nisi solum quoad ea, quæ continentur in epistola Cœlestini I. ad Episcopos Galliæ. 288
- DISSERTATIO QUARTA.** De Justificatione impii. 294
- CAPUT PRIMUM.** An in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio & renovatio hominis interioris? *ibid.*
- Assert.* In justificatione impii fit vera remissio peccatorum, & sanctificatio ac renovatio hominis interioris; cujus causa formalis est gratia sanctificans. 298
- CAPUT SECUNDUM.** Utrum ad justificationem impii requiratur motus fidei, & quænam debeat esse hæc fides? 304
- Assert.* In adultis ad justificationem requiritur fides, qua credimus mysterium quodvis a Deo revelatum. 305
- Enumerantur* actus secundum doctrinam Tridentini, quibus adultus ad justificationem disponitur. 308
- CAPUT TERTIUM.** Utrum justificatio fiat per solam fidem? *ibid.*
- Assert.* Non sola fides, verum etiam aliarum virtutum actus, sive opera requiruntur ad justificationem, adeoque hæc non fit per solam fidem. 309
- Explicantur* difficiliora loca epistolæ S. Pauli ad Rom. 311
- CAPUT QUARTUM.** An justus possit excidere a gratia sanctificante? 316
- Assert.* Justus quamdiu manet in statu viæ, potest excidere a gratia sanctificante; proinde justitia semel acquisita, iterum amitti potest per quodvis peccatum grave. 317
- CAPUT QUINTUM.** An quis certus esse possit, se justificatum? 311
- Assert.* Nullus mortalium citra peculiarem Dei revelationem, debet aut potest esse certus absolute & certitudine fidei, quod sit justificatus, seu in statu gratiæ. 322
- CAPUT SEXTUM.** Quosnam gratia sanctificans effectus præstet? 328
- ¶.* Inter *imarios* effectus formales gratiæ sanctificantis, numeratur I. Quod hominem, cui donatur, formaliter reddat participem, speciali quadam ratione, naturæ Divinæ. II. Quod eundem reddat filium Dei adoptivum. III. Hæ-

Index in V. Dissertationes

- dem Dei & cohæredem Christi. IV. Amicum Dei. V. Justum. VI. Sanctum seu immunem a peccato gravi. Hos omnes effectus feliciter explicat nostra sententia, qua tuemur gratiam sanctificantem consistere in unione morali Spiritus Sancti cum anima justæ. 331
- CAPUT SEPTIMUM.** Utrum gratia sanctificans opponatur peccato gravi? 333
- Assert.* Gratia sanctificans metaphysice opponitur peccato gravi tum actuali, tum habituali ita ut nec per absolutam Dei potentiam simul esse possint in eodem subjecto. 335
- DISSERTATIO QUINTA.** De merito bonorum operum. 344
- CAPUT PRIMUM.** Quid sit meritum, & quæ ejus divisio? 345
- CAPUT SECUNDUM.** Utrum opera auxilio gratiæ elicitæ sint meritoria apud Deum etiam vitæ æternæ? 348
- Assert.* I. Opera bona auxilio gratiæ elicitæ, sunt vere ac proprie meritoria apud Deum. 349
- Assert.* II. Bona opera hominis justæ sunt de condigno meritoria vitæ æternæ. 350
- Bona opera hominis peccati mortalis rei elicitæ dependenter a gratia actuali superna, sunt meritoria de congruo præmii supernaturalis. 352
- CAPUT TERTIUM.** Quæ conditiones requirantur ad meritum? 357
- Assert.* I. Ad meritum Theologicum ex parte merentis requiritur status vitæ, & libertas non solum a coactione, sed etiam a necessitate simpliciter antecedente omne exercitium voluntatis creatæ; ad meritum vero condignum requiritur præter ea status gratiæ habitualis, seu amicitæ & filiationis adoptivæ Dei. *ibid.*
- Assert.* I. Ad meritum Theologicum ex parte operis requiritur, ut actus voluntatis sit positivus & moraliter honestus, ac entitative supernaturalis. 360
- CAPUT QUARTUM.** Utrum ex parte Dei requiratur ad meritum promissio de danda mercede? 365
- Assert.* Ut opera nostra sint meritoria in actu 2do præmii supernaturalis, ex parte Dei præmiantis requiritur promissio & acceptatio in ordine ad præmium. *ibid.*


De Divina gratia.

- Actus supernaturales ab homine justo eliciti, sunt condigne meritorii in actu *1mo*, id est: condignitate sufficientiæ, independenter a promissione & acceptatione Dei. Ut vero in actu *2do* infallibiliter inducant & causent præmium, requiritur acceptatio Dei præmiantis. 367
- Cum Deus non possit obligari creaturæ ex stricta justitia, ideo merito Theologico condigno, facta etiam promissione Dei, non debetur præmium ex stricta justitia, sed solum ex justitia latiore sensu accepta; nempe ex fidelitate & immutabilitate Dei. 368
- CAPUT QUINTUM.** An principium meriti possit cadere sub meritum? 370
- Affert.** Nullum principium meriti sub ea ratione, sub qua per se & essentialiter inclusum, aut requisitum est ad meritum, potest dari in præmium ejusdem meriti. 371
- Principium meriti, in quantum non est inclusum in merito, nec essentialiter requisitum ad meritum, seu principium meriti secundum conceptus accidentales & circumstantias, potest esse præmium ejusdem meriti. 372
- CAPUT SEXTUM.** An & qua ratione homo possit mereri primam gratiam, sive actualem, sive habitualem? 377
- Affert.** Non potest homo sibi mereri primam gratiam actualem ne quidem de congruo, nec primam gratiam habitualem de condigno. *ibid.*
- CAPUT SEPTIMUM.** Utrum finalis perseverantia cadat sub meritum? 381
- Affert.** Nequit justus finalem perseverantiam mereri de condigno; potest tamen eam mereri congruo merito non habente infallibilem effectum, defectu promissionis Divinæ. 382
- CAPUT OCTAVUM.** Resolvuntur varia quæsitæ de merito & gratia. 385
- Quær. I.** Utrum justus de condigno mereatur gratiæ habituales & gloriæ augmentum? *R.* affirmative. *ibid.*
- Quær. I.** Quid de aliis donis & beneficiis supernis dicendum? *R.* Justus defacto etiam ipsam æternitatem gloriæ condigne meretur. **II.** Defacto sub meritum condignum puræ creaturæ non cadit ullum præmium, quod

Index in V. Dissertationes de Divina gratia.

- alteri daretur a merente distincto. III. Nullus justus de facto meretur de condigno ullum auxilium gratiæ, adeoque nec finalem perseverantiam. 386. IV. Justus reparationem post lapsum, neque de condigno, neque de congruo infallibiliter meretur per opera in statu justitiæ facta. V. Justus in nulla providentia potest mereri condigne peccatori remissionem peccati gravius. 387
- Quær. III. Utrum peccator mortalis culpæ reus, mereatur de congruo *imam* gratiam sanctificantem exclusivam & remissivam peccati mortalis? R. affirmative; si nempe eliciat contritionem, aut amorem Dei perfectum. 388
- Quær. IV. Utrum ad hoc, ut gratia merentis dignificet actum meritorium, sit necessarium ut hunc aliquo modo antecedit? R. affirmative. ibid.
- Quær. V. Utrum major gratia habitualis præexistens in merente augeat meritum ad majus præmium? R. affirmative cæteris paribus. 391
- Quær. VI. An prima gloria correspondens primæ gratiæ possit cadere sub meritum condignum? R. negative. 394
- Quær. VII. Utrum ad meritum Theologicum condignum requiratur, ut actus sit elicitus, vel saltem imperatus a charitate? R. negative. 396

F I N I S.



ERRATA NOTABILIORA CORRIGE.

Pag.	Lin.		Corrige.
27.	6.	CCCCVI.	CCCCXVI.
50.	5.	<i>Gratia Dei</i>	<i>sine Gratia Dei.</i>
56.	1.	sine	sive.
82.	22.	super omnia	<i>Adde: supernaturali.</i>
109.	34.	<i>beneficientissimam.</i>	<i>beneficientissimam.</i>
112.	25.	habeat	habebat.
131.	16.	potest	non potest.
160.	28.	regugnet	repugnet.
168.	32.	<i>opere</i>	<i>operante.</i>
171.	2.	cum	cum.
208.	2.	<i>congrue</i>	<i>congruere.</i>
233.	36.	Dum	Cum.

P I N I S





ERRATA NOTABILIORA CORRIGEND.

Page	Line	Correction
233	36	Dum
208	2	congruis
171	2	com
158	30	opere
150	28	reputat
131	16	potest
111	27	habere
109	24	Antiquiss.
82	20	super omnia
70	1	hoc
57	2	Gentia Dei
57	6	CCCCVI

BIBLIOTHECA
 UNIVERSITATIS
 OXFORDIENSIS

Corrigenda
 CCCCXVI
 Genia Dei
 hoc
 Antiquiss.
 super omnia
 habere
 potest
 reputat
 opere
 com
 congruis
 Dum







00042802

5-3